Digitized by Google

Digitized by Google

<36615604050019

<36615604050019

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

4 H.eccl. 223-2

Cornelius.

Digitized by Google

Digitized by Google

4 H. eccl. 223 - 2

Digitized by Google

EXEMPLAR
UNICUM
PRO INCLYTA BIBLIOTHECA
SUÆ CELSITUDINIS
ELECTORALIS PALATINÆ
&c. &c. &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

CRETA SACRA

SIVE DE EPISCOPIS UTRIUSQUE RITUS

GRAECI ET LATINI

IN INSULA CRETAE.

ACCEDIT

SERIES PRAESIDUM VENETORUM INLUSTRATA

AUTHORE

FLAMINIO CORNELIO

SENATORE VENETO.

TOMUS SECUNDUS.

VENETIIS MDCCLV.

Typis Jo. BAPTISTAE PASQUALI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Digitized by Google



CRETAE SACRAE

PARS TERTIA.

Bſoluta Græcorum Antiſtitum ſerie, age nunc Latinos Archiepiſcopos aggrediamur illuſtrandos, qui eo tempore inſtituti fuerunt, cum ex Bonifacii Comitis Montis Ferrati ceſſione univerſa Cretæ Inſula ad Venetorum ditionem pleniſſime acceſſit. Quamvis autem neque de tempore ſatis conſtet, neque de modo, quibus Eccleſiæ Cretenſes aut conſtitutæ, aut de Græco ad Latinum ritum deductæ fuerint, attamen in ipſis Venetæ Dominationis exordiis id contigiſſe arguimus ex Ducali Petri Ziani diplomate dato menſe Septembri anno MCCXI. In eo dum equitibus & peditibus in Cretam Inſulam miſſis prædia & redditus loci aſſignantur, ſic additur: *Eccleſias autem omnes ſupraſcriptæ Inſulæ debetis habere liberas, & miniſtros earum, ſcilicet de poſſeſſionibus earum ſic eſſe debet ſicut ſtatuerit Dux, qui erit ibi cum ſuo Conſilio.* Eapropter milites ipſi, qui conceſſionis beneficio aucti fuerant, dum obedientiam & fidem

Duci & Reipublicæ Venetiarum insequente mense Octobri solemni sacramento despondent, inter cætera hæc quoque promiserunt: *Laudes vobis* Petro Ziani Duci *& vestris successoribus, in Archiepiscopatu, & Episcopatibus decantari faciemus quater in anno, in Nativitate Domini: in Pascha Resurrectionis: in festo S. Marci*, (cui nondum in Candiæ civitate Templum erectum fuerat) & in festo majoris Ecclesiæ Cretensis, Sancti Titi videlicet, cujus titulo Ecclesia ipsa nuncupabatur. Quid autem laudum nomine intelligatur, inferius dicendum erit, cum de Clero Latino sermonem habebimus. Antiquissimæ institutionis testimonium proferunt epistolæ a Senatu Veneto missæ Oratoribus suis in Curia Romana, seu potius Avenionensi, in qua urbe tunc morabatur Clemens V. Pontifex Maximus. In iis igitur epistolis hæc præ cæteris leguntur exarata.

„ In facto infrascripto & ipsius facti notitia Dominus Dux
„ & Commune Venet. plurimum consolantur quod Sanctis-
„ simus Summus Pontifex & Romana Ecclesia cognitionem
„ plenam habeant & veritatem, & cognitionem sciant, &
„ culpent culpanda & laudent collaudanda, quod tale est,
„ quoniam temporibus antecedentibus longe decursis Insu-
„ le Cretensis Episcopatus, & Ecclesie, & earum possessiones
„ bona & jura occupata fuerunt, & erant per Hereticos
„ Schismaticos rebelles Fidei, & Venetiarum hostes contra
„ quos civitas Venetiarum in favorem defensionem & augu-
„ mentum Fidei, & reformationem sue quietis & status in-
„ tendens viriliter insurrexit, & magnis impensis laboribus
„ & expensis viriliter impugnando tandem ipsam insulam
„ recuperavit, & omnes episcopatus & Ecclesias & earum
„ possessiones & bona de hostium potestate in libertatem,
„ & quietem reduxit. Tunc autem quia ex tanta hostium
„ multitudine potenti non potuit radicitus extingui malitia,
„ quin aliqui remanerent, contra quos necessaria erat de-
„ fensio continua, que pertinebant ad defensionem terre tam
„ Laycorum, quam Episcopatuum & Ecclesiarum & bono-

rum

Digitized by Google

„ rum ipſarum provida deliberatione fuit proviſum & ſta-
„ tutum, ut militie ccxxx. in ipſa Inſula conſtituerentur,
„ per quarum milites habendos in illis defenderentur recupe-
„ rata, & Epiſcopatus & Eccleſie & bona earum conſerva-
„ rentur, & hoſtium malitia premeretur, & quia ad ho-
„ rum militum & defenſorum expenſas temporalia bona non
„ ſuperabant, nec continuare poterant ſine ſuffragio multo,
„ proviſum fuit providentibus & aſſentientibus etiam ipſis
„ Prelatis & Clericis quorum tutela & negotium agebatur,
„ quod de quolibet Epiſcopatu modo predicto ad fidem &
„ libertatem reducto poſſeſſiones darentur, & deputarentur,
„ & date fuerunt, & deputate certe poſſeſſiones ad ipſarum
„ eccleſiarum tam pium negotium tuendum & proſequen-
„ dum, que nec ſunt occupata per laycos, nec in eorum
„ negotiis, ſi recte conſpicitur, conſumitur, ſed in utilitati-
„ bus & negotiis Eccleſie veraciter applicatur, & tali ordi-
„ ne & proviſione neceſſaria fuit eadem Inſula, quantum
„ potuit ad fidem & ſtatum & cum utilitate eccleſiarum
„ reducta & conſervata, & quia eadem Inſula ſic eſt per
„ ſitus diſpoſita, quod non poſſet totaliter ab hoſtibus extur-
„ pari, quin munitiones & receptacula hoſtibus remanerent,
„ continua fuit, & eſt neceſſaria proviſio, & defenſio ſu-
„ pradicta, & ut ſolidius tam pia intentio Venetorum con-
„ foveretur, adeo jurisdictionem ipſius totius Inſulæ a Mar-
„ chionibus Montisferrati per acquiſitionem Imperii Roma-
„ nie factam per eos, & eis competentem, Commune Ve-
„ netiarum per pecuniam aquiſivit, & in iſto titulo in ip-
„ ſa jurisdictione conſiſtit.

„ Ad hec etiam quia, ut predictum eſt, in predicta In-
„ ſula ratione ſitus, & fortalitiarum non poſſet totaliter ra-
„ bies hoſtium extirpari ad conſervandum, in ipſa Inſula,
„ aquiſita, proviſum fuit, quod in eadem Inſula Civitas
„ conſtitueretur, que eſſet inimicorum confuſio, & conſer-
„ vatio queſitorum, & quia hec proviſio omnibus etiam
„ Prelatis & Clericis utilis & neceſſaria viſa fuit, que non

„ pote-

„ poterat ſine abundantibus ſumptibus conſumari, proviſum
„ fuit, ut in edificatione murorum civitatis ejusdem, & eo-
„ rum conſervatione per Laycos & Clericos in hoc, eo
„ tempore ſponte & liberaliter pro ſua utilitate, & neceſ-
„ ſitate ſuccurereturper certum datium de poſſeſſionibus
„ præſtandum in ipſo opere ponendum & conſumandum,
„ quod non recipitur, nec conſumitur niſi ſolum in ipſo-
„ rum murorum edificatione & conſervatione, que, ſi ve-
„ re inſpiciatur, Epiſcopatuum, Clericorum, & Eccleſia-
„ rum, & ſuorum bonorum eſt defenſio, & tutella, & in
„ negotiis Eccleſia conſumitur, nec pro aliis exhibetur.
„ Ad hoc etiam quia circa predicta apparuerunt aliqui
„ Clerici conquerentes, & in Romana Curia pro tempore de-
„ curſu querimonias poſuerunt ..... ſic veritas & Juſtitia ab
„ omni culpa Civitatem Venetiarum defendit, quoniam pro
„ tempore modo ultimo inſurgentibus predictis hoſtibus con-
„ tra Venetos, & ſtatum & quietem eorum & Clericorum,
„ & Epiſcopatuum & Eccleſiarum, & Venetis viriliter de-
„ fendentibus duravit ipſa guerra decem octo annis & ul-
„ tra, in qua multi homines de Venetiis ceciderunt, &
„ tandem per eventum caſus fortuiti Januenſes Venetos ſu-
„ peraverunt in mari, & propter temporis conditionem ipſi
„ Veneti cum predictis hoſtibus pacta tranſitoria inierunt,
„ in quibus quantum fecerunt pro ſua utilitate, tantum fe-
„ cerunt pro utilitate Eccleſiarum, & quod eo modo, &
„ fructu Eccleſiarum actum fuit, in pactis eisdem quod da-
„ rentur trecenta quinquaginta yperpera certis Epiſcopati-
„ bus de hiis, qui nihil habuerant, nec habere potuiſſent,
„ usque ad quinquennium per hoſtes eosdem ipſis volenti-
„ bus illa recipere, que poſtea certi ex illis ſponte & quie-
„ te vicibus aliquibus receperunt, & extra iſtam formam,
„ & ſine aliquo onere remanſerunt Epiſcopatus undecim per
„ pacta eadem, & ſi Veneti potuiſſent omnes ſine onere
„ facere remanere libentius feciſſent, ſed fecerunt quod po-
„ tuerunt ſemper ad Eccleſiarum conſervationem, augumen-

„ tum,

„ tum, & commodum intendentes. In quibus caſibus pre-
„ dictis & ſingulis Sacroſancta Romana Eccleſia, quæ cun-
„ cta recte diſponit nihil habet concipere, nec credere debet,
„ quod per Dominum Ducem, Commune Venetiarum, &
„ Civitatem Venetiarum aliquid ſit actum, unde Commu-
„ ni Venetiarum culpa poſſit imponi, ſed de fide, & au-
„ gumento Clericorum & Eccleſiarum habet Commune Ve-
„ netiarum, & homines dignis operibus habent, & debent
„ per Sanctam Romanam Eccleſiam merito commendari.

Eccleſiaſticas Cretæ res alto pertranſierunt ſilentio Hiſtorici omnes, qui de Venetorum in ea Inſula geſtis pertractarunt, ipſeque Andreas Dandulus, qui in laudatiſſimo Chronico *multarum Eccleſiarum inſtitutiones, & Cœnobiorum plurimorum fundationes* (ut teſtatur in aurea ſua epiſtola mihi clementiſſime miſſa Benedictus Papa XIV.) recenſuit, ſacras hujus Inſulæ res jejune omnino percurrit. Eapropter cum & ipſa quoque deſint documenta, ſeries Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, quos agnoſcere in maxima rerum obſcuritate licuit, ad ſingulas Eccleſias, quoad fieri potuit, chronologico ordine proferam a Candienſi ſeu Candacenſi Eccleſia incipiendo, quam veluti matrem reliquæ venerabantur.

Verum antequam ad illuſtrandum Archiepiſcoporum Elenchum progrediar, non abs re erit, ut quemadmodum de Clero & ſacris ædibus Græcorum nonnulla ſuperius protuli, ita hic quoque aliqua etſi non gravis admodum momenti ad Templa & Clerum Latinorum ſpectantia exhibeam, de quibus aliquid vel leviter attigerunt Neoterici in explanationibus ad tabulas Geographicas, & Martinierus in Dictionario Geographico. Initium itaque facio a Primiceriali Baſilica, quam in civitate Candiæ milites Coloniæ Venetæ in Cretam deductæ Sanctiſſimo patriæ ſuæ Protectori Marco Evangeliſtæ extrui decreverunt anno 1240. Ut autem Baſilica ipſa magnifico opere in proprio ipſorum fundo erigenda Eccleſiaſticis etiam decoraretur privilegiis, fundum ipſum *Romanæ Eccleſiæ* obtulerunt, *ut in jus & proprietatem Apoſtolicæ Sedis* reci-

reciperetur. Ea, qua Venetos profequebatur, humanitate militum vota excepit Gregorius Papa IX. *locumque ipſum & dictam Eccleſiam ad Romanam Eccleſiam perpetuis temporibus pertinere* decrevit, ſtatuto *unius yperperi* cenſu Cameræ Apoſtolicæ *in feſto dicti Evangeliſtæ ſingulis annis* exſolvendo. Hoc ſuæ voluntatis decretum ipſis militibus Cretenſibus per Apoſtolicas litteras anno 1239. die V. Julii ſignificavit Gregorius Pontifex, eademque die Epiſcopo Hierapetrenſi per Apoſtolica ſcripta mandavit, *quatenus* Pontificia *authoritate primarium lapidem eisdem militibus concedere non differret*. Utrumque diploma in publicam formam deinde redigi curavit Fr. Angelus Maltraverſo Joannis Quirini in Sede Cretenſi Metropolitica ſucceſſor.

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis Filiis Militibus Cretenſibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ Cum ſicut ex parte Nobilis viri Ducis Venetiarum & „ nobis veſtra extitit intimatum, vos quandam Eccleſiam „ in fundo proprio ad honorem Dei & Beati Marci Evan„ geliſte in civitate que dicitur Candida ſita in Inſula Cre„ tenſe extruere intendatis, & fundum ipſum Romane Ec„ cleſie dixeritis offerendum. Nos ipſius Nobilis, & veſtris „ precibus inclinati locum ipſum in jus, & proprietatem „ Apoſtolice Sedis recepimus, & dictam Eccleſiam ad Ro„ manam Eccleſiam perpetuis temporibus decernimus per„ tinere. Ad judicium autem hujusmodi percepte a Sede „ Apoſtolica libertatis eadem Eccleſia cenſum unius yper„ peri camere noſtre in feſto dicti Evangeliſte ſingulis annis „ exolvet. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pagi„ nam noſtre aſſumptionis infringere, vel ei auſo temera„ rio contraire. Si quis autem hoc atemptare preſumpſerit „ indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & „ Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

„ Datum Laterani III. Nonas Julii Pontificatus noſtri „ anno XIII.

Ego

„ Ego Jacobus Sanctorum Apoſtolorum Presbyter & Nota-
„ rius hoc exemplum ſumptum ex autentico D. Grego-
„ rii Papæ ejus bulla cum filo ſerico roborato ſcripſi
„ & exemplavi & de mandato pariter & autoritate Do-
„ minorum Angeli Divina miſeratione Archiepiſcopi &
„ egregii D. Angeli Mauroceni Ducis Cretenſis & Comi-
„ tis Arbenſis & ſui Conſiliarii ab eis rogatus in publi-
„ cam formam redegi nihil addens vel minuens quod
„ ſententiam mutet Anno Domini MCCLV. Menſis A-
„ prilis Indictione tercia decima.

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Epiſcopo Gerapetrenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ Cum ſicut nobis ex parte nobilis viri Ducis Venetia-
„ tiarum & dilectorum filiorum militum Cretenſium nobis
„ extitit intimatum hiidem milites quamdam Eccleſiam in
„ fundo proprio ad honorem Dei & Beati Marci Evange-
„ liſte in civitate, que dicitur Candida ſita in Inſula Cre-
„ tenſe intendant conſtruere, ac fundum ipſum Romane Ec-
„ cleſie duxerint offerendum. Nos ipſius Ducis, & eorum-
„ dem militum precibus inclinati locum ipſum in jus, &
„ proprietatem Apoſtolice Sedis recepimus, & dictam Ec-
„ cleſiam ad Romanam Eccleſiam perpetuis temporibus de-
„ cernimus pertinere. Quo circa Fraternitati tue per Apo-
„ ſtolica ſcripta mandamus quatenus authoritate noſtra pri-
„ marium lapidem eisdem concedere non poſtponas.

„ Datum Laterani III. Nonas Julii Pontificatus noſtri
„ anno XIII.

In hac deinde S. Marci Eccleſia Primicerius, qui ex Cretenſium Nobilium ordine aſſumeretur, inſtitutus fuit, ut ſicuti in ſæculari regimine ſtatutum fuerat, ita & in eccleſiaſticis rebus civitas Candiæ, quæ Metropolis Regni & Inſulæ caput erat, Urbi Venetiarum, cui ſuberat, in omnibus aſſimilaretur. Publico autem Decreto ſtatutum fuit, ut

vacante aliquando Primicerii dignitate, novus Primicerius, qui cedenti vel decedenti ſuccederet per Ducem Cretæ ex Nobilium, ut diximus, ordine excitaretur. Pauca quidem ex documentorum inopia nobis ſuperſunt nomina eorum, qui Primicerii munus in Cretenſi Sancti Marci Eccleſia obtinuerunt; eorumque primus, qui nobis innoteſcat, eſt Nicolaus Baroccius, cui univerſæ carnis viam ingreſſo ſuffectus fuit Jacobus Zeno filius *Blaxii Zeno Ducæ Cretenſis*. Pro ejus electione authoritate Summi Pontificis confirmanda epiſtolas miſerat Senatus ad Curiam Romanam ſeu Avenionenſem; *& cum præſentatio facta* Joanni Papæ XXI. *ſignata fuiſſet*, ipſe Pontifex e vivis exceſſit, quapropter Senatus Philippo Belegno, Joanni Quirino, Nicolao de Priolis & Marco Juſtiniano Oratoribus ſuis ad Benedictum XII. miſſis per epiſtolas datas die IX. Februarii anno MCCCXXXIV. more Veneto, ſcilicet æræ vulgaris 1335. imperavit, ut de confirmatione expedienda apud Pontificem ageret. Hoc eſt fragmentum epiſtolæ, quod ad Jacobum Zeno electum Candiæ Primicerium ſpectat.

„ Inſuper expeditis negotiis noſtri Communis exponatis „ Domino Pape: queſtio, nominatio, & preſentatio Primi„ cerii ſeu Capellani Eccleſie Sancti Marci de Candida ſpe„ ctat & pertinet ad Duchas noſtros Cretenſes a ſui fun„ datione, & in poſſeſſione juris preſentandi ſunt & fue„ runt pacifice nunc & per tempora retroacta, cujus Pri„ micerii inſtitutio, ſeu inveſtitio ad Dominum Summum „ Pontificem & Sedem Apoſtolicam dinoſcitur pertinere, „ per quod vacante ipſa Eccleſia Sancti Marci Primicerio „ ſeu Capellano per mortem Venerabilis viri Nicolai Baro„ ci tunc ipſius Eccleſie Primicerii ſive Capellani Nobilis „ Vir Blaxius Zeno Ducha Cretenſis authoritate & nomine „ dicti Ducatus Cretenſis preſentavit, & nominavit Jacobum „ Zeno filium ſuum Clericum Caſtellane Dieceſis Primicerium „ ſeu Capellanum dicte Eccleſiæ Sancti Marci vacantis. Et „ cum preſentatio facta fuerit Sanctiſſimo Domino Pape predeceſ-

„ deceſſori ſuo, & ſignata fuerit petitio, ſupplicabitis Sue „ Sanctitati quatenus dignetur de ſolita benignitate Sue San- „ ctitatis ipſum negotium mandare favorabiliter expediri, „ & litteras Apoſtolicas de confirmatione ipſius Primicerii „ exhiberi.

A Procuratoribus Jacobi Zeni Primicerii electi, qui nec-dum ſuæ dignitatis confirmationem acceperat, petiit Archi-epiſcopus Cretenſis, ut certam pecuniæ ſummam pro bel-lo ſacro authoritate Summi Pontificis indicto exſolveret, quod cum reſciviſſet Senatus, Archiepiſcopo per epiſtolas die XVI. Julii anno MCCCXXXIV. datas ſignificavit, Primi-cerium Cretenſem ad hujusmodi ſolutionem minime teneri, *cum id quod tenet, & gaudet* ſit *de jure & Dominio* Venetæ Reipublicæ eidem Primicerio conceſſum ad publicæ benepla-citum voluntatis. Hæ ſunt publicæ epiſtolæ Archiepiſcopo miſſæ.

„ Per litteras Viri Nobilis Petri Zeno (*hic Blaſio ſucceſ-* „ *ſerat in Inſulæ regimine*) Honor. Duche Cretenſis ejusque „ Conſiliariorum nobis innotuit, quod petebatis a Procura-„ toribus Nob. Viri Jacobi Zeno Primicerii Eccleſie noſtre „ Sancti Marci de Candida, ut ſolveret denarios pro facto „ paſſagii, quod per Dominum Summum Pontificem exti-„ tit ordinatum, ſed cum ipſa Eccleſia numquam in tali-„ bus ſolutionibus fuerit aggravata, quia id quod tenet & „ gaudet, eſt de jure & Dominio noſtri Communis conceſ-„ ſum ſibi ad noſtre beneplacitum voluntatis. Itaque idem „ Primicerius nihil poteſt de jure dare, quod ſuum eſſet, „ Paternitatem veſtram attente rogamus quatenus vobis pla-„ ceat in facto ipſius Eccleſie noſtre novitatem non face-„ re, que non ſit facta temporibus retroactis, quam vobis „ in omnibus commendamus, ut beneplacitis veſtris pro-„ penſius teneamur.

„ Datum in noſtro Ducali Palatio die XVI. menſis Julii „ anno MCCCXXXIV.

Suam diu Eccleſiam rexit Jacobus Zeno, quem ex hac vita transmigraſſe die IV. Julii anno MCCCLXXII. novimus ex publicis documentis. Succeſſorem Jacobo defuncto delegit Petrus Cornario *Ducha Cretenſis*, qui electionem, & confirmationem Primicerii ad ſe *ex regalia conſueta & conſuetudine approbata* ſpectare aſſerens, *Philippum Cornario in Clericatus Ordine conſtitutum filium Nobilis viri Joannis Cornario* Primicerium dictæ Eccleſiæ elegit & confirmavit. Quum autem & Conſiliarii, qui Duci in regimine Inſulæ aſſidebant *jurisdictionem habere in electione & confirmatione Primicerii* affirmarent, electionem a Duce promulgatam (ne ſuo juri officerent) ſe de *gratia ſpeciali* confirmare & approbare dixerunt.

MCCCLXXII. Menſe Julio die XXIII. Indict. X.

„ Cum vacante Eccleſia Sancti Marci de Candida Pri-
„ micerio per mortem Dom. Jacobi Geno quondam Primi-
„ cerii, qui die quarto inſtantis menſis Julii de hoc ſecu-
„ lo transmigravit per Magnificum Dom. Petrum Cornario
„ honor. Ducham Crete electus & confirmatus fuit Primi-
„ cerius dicte Eccleſie Nobilis Vir Philippus Cornario in
„ Clericatus ordine conſtitutus filius Nobilis Viri Johannis
„ Cornario, & dicat ipſe Dominus Ducha, quod electio,
„ & confirmatio dicti Primicerii ſpectat ſibi ſoli ex regalia
„ conſueta, & conſuetudine approbata. Nos Baldus Quiri-
„ no, & Nicolaus Delphino conſiliarii Crete. Dicimus nos
„ habere jurisdictionem in electione & confirmatione dicti
„ Primicerii vigore quarumdam litterarum Ducalium con-
„ tinentium libertatem conceſſam Duche & Conſiliariis Cre-
„ te in providendo dicte Eccleſie de prepoſito ſeu plebano
„ & certo numero Canonicorum, ac etiam in dotando eam
„ beneficio competenti; & ideo confirmamus, & approba-
„ mus dictam electionem & confirmationem de gratia ſpeciali.

Peculiari ſuperius notavimus animadverſione Eccleſiam Sancti Marci Cretenſis ad alendos ſacros miniſtros redditibus

ex

ex publica Reipublicæ liberalitate adauctam fuiſſe ; ex alio quoque documento addiſcimus in ſuppellectilem etiam eccleſiaſticam ad ipſorum miniſtrorum uſus ſuppeditandam, eandem Venetæ pietatis munificentiam impenſas ex publici ærarii proventibus erogaſſe.

MCCCCXLII. Die XXIV. Maii.

„ Cum Eccleſia Beati Marci protectoris noſtri Civitatis „ noſtre Candide non habeat aliquod paramentum pro pro- „ ceſſionibus & aliis ſolemnitatibus fiendis, quod eſt cum „ maximo onere noſtri Dominii.

„ Vadit pars quod mandetur authoritate hujus Conſilii „ regimini noſtro Crete, quod de primis denariis extrahen- „ dis de poſſeſſionibus Lembari venditis ad X.^m perſolvere „ debeat illos denarios, qui illis mittentur ad ſolvendum „ per cambium, per Procuratores noſtros Eccleſiæ Sancti „ Marci pro paramentis faciendis pro dicta Eccleſia. Et ex „ nunc captum ſit, quod predicti Procuratores dare debeant „ modum ad facienda dicta paramenta, ſicut illis videbitur „ pro honore Eccleſie Sancti Marci predicte, ac Dominii „ noſtri, poſſendo expendere pro dictis paramentis id quod „ videbitur Dominio, & prefatis Procuratoribus.

Memorantur in publicis regeſtis Nicolaus Donato J. U. D. Bernardi filius Primicerius Cretenſis, qui anno 1464. bis propoſitus fuit in Senatu ad Patriarchatum Venetum ; Laurentius Georgio, qui anno 1550. die 20. Martii hominem exuit Venetiis in Clauſtro Regularium Sancti Stephani tumulatus. Et Marcus Renerius Delphini filius, qui Venetiis pariter degens anno ætatis ſuæ XXIII. lenta febre conſumptus mortalitatem exuit anno 1617. die 24. Martii.

Ex Cretenſibus autem regeſtis nomina ſuperſunt Auguſtini Valerii Primicerii Cretenſis ad annum 1629. & Hieronymi Gradonici pariter Cretæ Primicerii ad annum 1642.

Antequam vero ad alias Cleri ſæcularis Eccleſias progrediamur,

diamur, pauca quædam de Regularibus Latini ritus afferre liceat, eorum Monaſteria, quæ haud multa erant, enumerando; ea autem in Cretenſi Regno pietas publica vel permiſit, vel mandavit ædificari. Potior Cœnobiorum pars ad Fratres Minores ſpectat, quos Obſervantes vocant, ipſis enim aſſignata fuerunt etiam loca, quæ Minores Conventuales olim poſſidebant, antequam ex Inſula anno 1445. diſcederent. In ipſa Regni Metropoli Candia civitate ex duobus Cœnobiis, in quibus degebant, unum Seraphico Patriarchæ Franciſco dicatum erat, & Cœnobitarum numero (quinquaginta enim numerabantur) & ædificiorum magnificentia ſpectabile & auguſtum, cujus Eccleſia cæteras urbis & amplitudine, & decore longe ſuperabat. Ex hujus Cœnobii ſeptis Petrum Philargium Cretenſem S. R. E. Cardinalem poſtea Alexandrum V. nuncupatum prodiiſſe tradunt, qui in Monaſterio Villæ novæ Hierapetrenſis Diœceſis Fratrum Minorum habitum aſſumpſerat. In hujuſce rei teſtimonium aſſervabantur Cretæ illuſtria hujus Pontificis dona Calix argenteus, duæque thiaræ gemmis ac margaritis pretioſæ ac ſpectabiles, annulus æneus inauratus, ſcilicet ille idem, quem Piſcatoris vocant, Cruces duæ argenteæ circumductis ex auro ornamentis, utraque elaboratiſſimum opus, & quarum altera fragmentum vivificæ Crucis continebat.

Divite ſuppellectile affluebat Eccleſia, cujus ornatus, ut & ſingulas Cœnobii partes adeo accurate deſcribit opuſculi ſuperius enuntiati author, ut haud immerito autumari poſſit, ejusdem alumnum fuiſſe.

Quanta veneratione Seraphicum Minoriticæ familiæ Patriarcham proſequerentur Cretenſes, ii etiam, qui Græco ritui adhærebant, aperte arguitur ex Joannis XXIII. diplomate, qui anno 1414. conceſſit Græcis tam Religioſis, quam Sæcularibus Presbyteris, ut in feſto Sancti Franciſci Miſſam & alia Divina Officia in Candienſi ejusdem Sancti Eccleſia celebrare & peragere ſecundum eorum morem Apoſtolica authoritate permittente valerent.

Joan-

Digitized by Google

Joannes Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei Memoriam.

„ Juſtis & honeſtis ſupplicum votis libenter annuimus il-
„ laque favoribus proſequimur opportunis. Sane petitio pro
„ parte dilectorum filiorum Miniſtri Provincialis, & Fra-
„ trum Domus Candidæ Ordinis Minorum Provinciæ Roma-
„ næ ſecundum morem dicti Ordinis, nobis nuper exhibita
„ continebat, quod Græci, ac quaſi ſinguli de natione Græ-
„ ca illarum partium zelo devotionis accenſi, quem ad Bea-
„ tum Franciſcum gerere comprobantur, ad Eccleſiam do-
„ mus præfatæ in die feſti ipſius Beati Franciſci confluunt
„ in multitudine copioſa, & plerique ex eisdem Græcis tam
„ Religioſi, quam ſæculares Presbyteri in eadem Eccleſia
„ Miſſam, ac alia Divina Officia cupiunt celebrare. Quare
„ pro parte dictorum Miniſtri & Fratrum fuit nobis humi-
„ liter ſupplicatum, ut ſuper præmiſſis providere de beni-
„ gnitate Apoſtolica dignaremur.

„ Nos igitur qui Divinum cultum, noſtris ubilibet ad-
„ augeri temporibus, intenſis deſideriis affectamus, hujus-
„ modi ſupplicationibus inclinati authoritate Apoſtolica te-
„ nore præſentium ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod
„ omnes & ſinguli ex præfatis Græcis, ſive Religioſi Ordi-
„ nis cujuscumque, ſive ſæculares Presbyteri Miſſam & alia
„ Divina Officia ſecundum eorum morem, & conſuetudi-
„ nem a primis Veſperis usque ad ſecundas Veſperas in-
„ cluſive diei & feſti præfatorum poſſint, & valeant in præ-
„ fata Eccleſia celebrare, conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis
„ contrariis non obſtantibus quibuscumque. Nulli ergo om-
„ nino hominum liceat hanc &c.

„ Datum Bononiæ IV. Nonas Aprilis Pontificatus no-
„ ſtri anno IV. (qui anno æræ communis 1414.
„ alligatur).

Divo

Divo Joanni Baptiſtæ Præcurſori ſacrum erat alterum minoris molis Cœnobium a duodecim Fratribus, ut diximus, Minoritis de Obſervantia excultum, cujus quidem inſtituti alia undecim numerabantur in Inſula Cretenſi Monaſteria, pleraque tamen Hoſpitia potius nuncupari debent, ſiquidem in eis tres vel quatuor ex ipſis Fratribus commorabantur. Hæc itaque ſunt olim Obſervantium Minorum loca. In civitate Cydoniæ duo: unum Sancti Franciſci, & alterum Sancti Salvatoris, in quorum primo viginti, in altero vero ſex Fratres degebant. In civitate Rethimi tres: primum Sancti Franciſci, in quo decem, alterum Sanctæ Barbaræ, in quo ſex, tertium denique Sancti Athanaſii, in quo tres Regulares commorabantur. In civitate Sethiæ duo Hoſpitia, Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctæ Luciæ titulis nuncupata, quorum utrumque tres tantum Fratres habebat. In oppido Hierapetræ Hoſpitium tribus Religioſis aſſignatum, & in oppido Villæ novæ Cœnobium, quod ſex Fratres continebat. In poſtremo hoc Villæ novæ Monaſterio Seraphicæ Religioni (ut traditum eſt) nomen dedit Petrus Philargius Cardinalis, & poſtea Alexander V. qui in pago Candienſis ditionis ortum habuit. Apud Caſtrumnovum (Caſtelnovo) aliud Monaſterium erat ſub nuncupatione S. Mariæ Angelorum non longe a ſpelunca, quæ Labyrinthus creditur, & Fratres (erant ii decem numero) in eo degentes curam habebant animarum ſub jurisdictione Candienſis Archiepiſcopi: neque enim in Inſula Cretæ præter Cathedrales Eccleſias aliæ habebantur Parœciales, quæ Latinis ſacramenta miniſtrarent, eaquepropter Latini etiam Nobiles in pagis, atque oppidis aliquando commorantes cogebantur ad Regularium Eccleſias, ne Divinis officiis fraudarentur, accedere. Poſtremo non procul a Chiſſamo aliud Monaſterium viſebatur Sancti Gregorii de Valſamachia nuncupatum, quod in medio nemoris ad radices montium prope munitiſſimam turrim ædificatum ſpeciem quamdam præſeferebat & caſtri, & eremi. Ad eam turrim igneis baliſtis inſtructam confugiebant Fratres, ſi quando pyratæ

Digitized by Google

ratæ Turcæ Inſulam devaſtantes nemus ingrederentur. Ad laudes deinde Seraphicæ Religionis author libelli progreditur, ex quibus ipſius inſtitutum profeſſum fuiſſe autumamus, magnique aſſerit apud Græcos haberi Minoriticum Ordinem, tum ob vitæ auſteritatem, tum quia ipſorum regulam cum Divi Baſilii diſciplina in multis convenire noſcebant.

Ordo Prædicatorum in urbe Candia duo Cœnobia poſſidebat, Sancti Petri Martyris unum a XX. religioſis viris excultum, Sancti Pauli alterum de jurepatronatus Familiæ Dandulæ, quod cum initio ſæculi XVII. ad ipſos pervenerit, (hoc aſſerit author ſæpe citati libelli) illud eſſe puto, quod de jure olim erat Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis, ut videre eſt in Eccleſiis Venetis Illuſtratis Tom. II. pag. 8. & quidem cum in eo quatuor tantum Fratres commorarentur, Hoſpitium potius dixerim, quam Cœnobium. In Cydonia civitate eadem Sancti Dominici Religio Monaſterium amplum habebat a XXV. & ultra fratribus excultum, & in civitate Rethimi Hoſpitium ſub Sanctæ Mariæ Magdalenæ titulo, in quo vix tres viri ex eleemoſinis alebantur.

Quoniam vero Monaſterium S. Pauli de Candia olim a Fratribus Servorum excultum memoravimus, liceat in eo pauliſper immorari, ut clariſſimi Ordinis olim in eo degentis memoriæ hoc loco inter alios Religioſos cœtus recenſeantur. Locum igitur, in quo Sancti Pauli Cœnobium fundatum fuit, obtulerant Beato Antonio de Viterbio Nobiles Viri Cretenſes, unde initium fuit Provinciæ Græciæ, ut narrant Annales ejusdem Ordinis. Ad eam Provinciam de more viſitandam electus fuit anno 1429. Fr. Paulus Cretenſis, qui ſacrum Religionis habitum in Veneto S. Mariæ Servorum Monaſterio anno 1406. priidem aſſumpſerat. Hic cum commiſſi ſibi Officii munera abſolviſſet, in Italiam remeavit cum Demetrio Palæologo Meotide, & Iſidoro Monacho Abbate S. Demetrii Oratoribus Imperatoris Græcorum, & Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Baſileenſe Concilium. Paulo ex Inſula Cretæ in Italiam reverſo ſuffectus fuit Petrus Pico-

li Venetus, qui Vicarius Ordinis in univerſa Græcia deceſſit initio anni 1440. ſeu potius anno 1439. ad finem vergente, ut innuere videntur Ephemerides Oeconomicæ Veneti S. Mariæ Servorum Monaſterii, in quibus hæc leguntur ad diem 13. Aprilis anni 1440. *Recepi a Nobili Viro Domino Maphæo Donato ducatos XXIII. qui ducati fuerant de rebus venditis Fr. Petri Parvi, qui deceſſit in partibus, & in Inſula Cretenſi, ſive in Candia.....per dictum Nobilem virum*, qui tunc erat Dux Candiæ libr. LXXVIIII. ſol. XIX. Poſt hæc, circa ea tempora, quibus Turcarum Imperator adverſus Venetam Rempublicam acre bellum moverat, Fratres Servorum Candienſe S. Pauli Monaſterium deſeruerunt. Hinc Nobiles Danduli, de quorum jure erat Cœnobium, illud Marco Juſto Epiſcopo Archadienſi conceſſerunt anno 1470. die 26. Martii, conditione tamen hac appoſita, *quod ſi per totum menſem auguſti proximi* 1470. *Fratres Servorum venerint, præfatus D. Epiſcopus teneatur cedere illud Monaſterium Fratribus antedictis.* Collationis documentum relatum eſt in Eccl. Venetis Illuſtr. Tom. II. pag. 78. Quum autem Provinciam Græciæ Ord. Servorum adminiſtrandam ſuſcepiſſet ſub Vicarii Generalis titulo Frater Bartholomæus Venetus, omne ſtudium contulit, ut Monaſterium S. Pauli Cretenſi ſuæ religioni reſtitueretur. Id obtinuiſſe Bartholomæum adjuvante inprimis Nicolao Dandulo Patritio Veneto innuunt patentes litteræ, quibus Antonius Alabantus totius Ordinis Servorum XXI. Generalis in Conventu Stratæ Majoris Bononiæ datis die IX. Auguſti anno 1490. ſupralaudatum Nicolaum de Ordine & de Cretenſe Monaſterio benemerentem ad participationem meritorum & orationum univerſi Ordinis admiſit, ut videre eſt in Eccl. Ven. Illuſtr. Tom. II. pag. 79. Anno deinde 1526. Hieronymus de Luca Generalis *Fratrem Baſilium Cilenium Venetum Priorem S. Pauli in Creta, atque ſuum Vicarium Generalem in tota Græcia & per Orientales partes conſtituit.* Enuntiatur in ſchedis Archivi Sanctæ Mariæ Servorum de Venetiis ad diem XXX. Octobris anni 1597. Frater Dionyſius

nyſius Stiatico Bononienſis Prior Sancti Pauli de Candia, qui tamen videtur eo tempore Venetiis commoratus fuiſſe. Anno demum 1609. Sanctus Cucina Venetus Monaſterii Sanctæ Mariæ Venetiarum alumnus ad Cretam Inſulam univerſamque Græciam Vicarius Generalis mittitur, quo in munere Cretæ obiit ibidem in Sancti Pauli Monaſterio tumulatus. Ex traditione invaluerat, uti habetur in Eccleſ. Ven. Illuſtr. Tom. II. pag. 110. Fratres Ordinis Servorum, usque ad lacrymandam Regni Cretenſis invaſionem in eo Cœnobio perſeveraſſe, at cum in ms. fide quidem digno Monaſterium S. Pauli de Candia a Fratribus S. Dominici habitatum legamus, nullaque in eo inveniatur Fratrum Servorum mentio, argui jure debet, Cœnobium illud a Fratribus Servorum vel inopia, vel alia quacumque de cauſa iterum dereliſtum ad Prædicatorum Ordinem tranſiiſſe.

Quinque in univerſa Cretenſi Inſula obvenerant Ordini Eremitarum S. Auguſtini loca, ex quibus Monaſterium Sanctiſſimi Salvatoris titulo inſignitum in urbe Candiæ, ornatiſſimum erat, quindecim fratres alens, alia vero hoſpitia dicebantur a paucis exculta viris, ſcilicet Sancti Georgii Venetici in ipſa urbe Candia, Beatæ Mariæ Virginis de Miſericordia in urbe Cydonia, Sanctæ Mariæ in civitate Rethimi, & Sanctæ Catharinæ in Sethia civitate.

Antiquiſſimus etiam Fratrum Cruciferorum Ordo locum obtinuit in urbe Candiæ ab ipſo ferme Venetæ Dominationis exordio, ſiquidem de redditibus ſibi aſſignatis controverſias habuiſſe anno 1372. novimus ex regeſtis Cancellariæ Ducalis Cretenſis, in quibus hæc leguntur:

MCCCLXII. Menſe Decembris die IX. Indiſt. XV.

„ Per Magnificum Dominum Franciſcum Mauroceno ho-
„ norabilem Ducham Crete & Dominum Guisbertum Dan-
„ dulo Conſiliarium, non exiſtente cum eis in conſcientia
„ Domino Donato Moro altero Conſiliario, dictum eſt quod

„ queſtio, quam Frater Joannes de Offida Prior Monaſterii, „ & Eccleſie Sancte Marie Cruciferorum de Burgo Candi- „ de movet Commiſſariis ſeu heredibus ſer Marini Greco „ qu. Danielis, petens, quod conceſſio facta Nob. Viro Da- „ nieli Greco qu. Patri dicti Marini de terra ſeu Caſali de „ Guve ſibi conceſſo perpetuo annulletur, nec debeat au- „ diri niſi dictus Prior det fidejuſſionem dictis commiſſariis „ de yperperis decem millibus pro reconventione, cum pre- „ dicti de Cha Greco edificaverint ſuper territorio predi- „ cto caſtrum unum, & domus, & caſale, & disboſcaverint „ territoria dicti loci, que antea fuerunt ſalvatica & bo- „ ſcoſa, que omnia facta fuerunt cum magnis expenſis eo- „ rum in melioramento, & avanciamento dicti loci.

Multos in regeſtis Cancellariæ Cretenſis memoratos legimus hujus Monaſterii Fratres, & Curatores (œconomos vocant), ex quo arguitur non unum in eo Cœnobio degiſſe virum regulari inſtituto adſcriptum. Fluxu autem temporis ſeu ex imminutione redituum, ſeu ex obſervantiæ relaxatione, quæ in Cruciferorum Ordinem irrepſerat, cultus Divinus adeo in eo Cœnobio imminutus fuit, ut anno 1501. Divina Officia per unum tantummodo ſæcularem Sacerdotem in Eccleſia peragerentur, redditus vero Venetias ad Priorem Cruciferorum annuatim mitterentur. Illaudabilem ſacri loci deſtitutionem, quam moleſte ferebant Pheudati Cretenſes, Senatui Veneto per Legatos ſuos Andream Mudaccio, & Benedictum Barbadico denunciarunt, ejus religionem obteſtantes, ut ad Nobilium Virginum refugium deſertas ædes in Religioſa Sanctimonialium Clauſtra permutari concederet. Æquas Oratorum preces libenti animo ſuſceperunt P. C. latoque Decreto commutandi Monaſterii facultatem a Summo Pontifice omni ſtudio impetrandam juſſerunt. Nec tamen e voto rem ceſſiſſe novimus, ſiquidem loci & reddituum poſſeſſio, in Cruciferorum jura usque ad extinctam eam Religionem permanſit.

Sed & Monachi Ciſtercienſes S. Thomæ Torcellani Monaſte-

naſterium quoddam Gereri nuncupatum in Inſula Cretæ acceperunt anno 1217. ex publico Petri Ziani Ducis Ven. munere, cujus pietatem æmulatus ſucceſſor ejus Jacobus Theupulo Monaſterium aliud ſub titulo S. Mariæ Varangorum eisdem Monachis dono dedit anno 1230. quarum donationum diplomata allata ſunt in Eccl. Torcellanis Illuſtr. pag. 227. & 234. Poſſeſſiones domos & alia bona in Cretæ Inſula poſita olim ad Venetum S. Georgii Majoris Monaſterium ſpectaſſe novimus ex Sancti Laurentii Juſtiniani Epiſcopi Caſtellani diplomate relato in Eccl. Ven. Illuſtr. Tom. VIII. pag. 267. nullum tamen Monaſterium in eo Regno poſſediſſe cognoſcimus.

Ad hos regularium cœtus, qui in Cretenſi Inſula vel Monaſteria, vel redditus poſſidebant, addi poteſt Societas Jeſu, cujus filii ad eam vineam Apoſtolicis laboribus excolendam aliquo, licet brevi tempore, inſudarunt. In Cretam igitur ignoto mihi anno appulſi Jeſuitæ Eccleſiam Sanctæ Mariæ Formoſæ, quæ de jure erat Patriarchalis Conſtantinopolitanæ menſæ, primum obtinuerunt, a qua deinde, urgente potiſſimum Primicerio (ut ab onere alendi Capellani levaretur) ad Baſilicam Sancti Marci tranſierunt, ibique in Primicerii ædibus degentes, puerosque liberalibus diſciplinis, & Chriſtianæ pietatis rudimentis inſtituentes ex piorum eleemoſinis arcte victitabant. Aliam deinde Eccleſiam Sancto Antonio ſacram ſuſceperunt, quæ poſt ipſorum ab Inſula, & Veneto Dominio receſſum, ad uſum Hoſpitalis militaris una cum adjectis ædibus converſa fuit. Hanc Sancti Antonii Eccleſiam adjectasque ædes per Priorem adminiſtratas fuiſſe, non obſcure arguimus ex Ducali commiſſione Venetis Legatis ad Benedictum Papam XII. miſſis facta anno 1333. in qua ſic legitur: *Exponetis Summo Pontifici quomodo Dom. Cardinalis Maurocenus Patriarcha Conſtantinopolitanus deceſſit, qui habebat nepotem nomine Nicolaum Maurocenum Plebanum Sancti Angeli Caſtellanæ Diœceſis, & Priorem Sancti Anthonii de Creta perſonam utique laudabilem & circumſpectam,*

ac

ac nobis & noſtræ Communitati caram, ad cujus promotionem & bonorem ſuis exigentibus meritis propenſius invitamus, ... eo quod ſpes eſt firmiter tenenda quod per ejus promotionem ad dictam Eccleſiam Conſtantinopolitanam eadem Eccleſia poterit, Domino favente, a periculis & leſionibus ingruentibus ex Turchorum perfidia plurimum conſervari.

Frequentia etiamſi eſſent in Cretenſi Inſula Regularium Latini ritus Monaſteria, quia in ipſis præter Divina Officia etiam animarum cultus exercebatur, nihilominus pauciſſima erant Sacra loca, in quibus Sanctimoniales Latini ritus incluſæ Deo in perfecta diſciplinæ obſervantia deſervirent. Ex iis, quod cæteris & Choro Virginum & ædificiorum amplitudine præſtabat, ſitum in Urbe Candiæ erat, in quo centum & amplius Moniales Seraphicum inſtitutum profitentes numerabantur. Proxime ſecundum hoc recenſendum venit Candienſe Monaſterium Divæ Catharinæ Virgini & Martyri ſacrum, in quo licet *amplis poſſeſſionibus & electis introitibus dotato* degebant olim quinque tantummodo vel ſex fœminæ habitum quidem Sancti Benedicti geſtantes, ſed moribus & diſciplina non recte ſanctiſſimo tanti Patris inſtituto reſpondentes. Pravam mulierum vivendi rationem & dilapidatos Monaſterii redditus Senatui Veneto anno 1462. denuntiarunt Nobilium Pheudatorum nomine Marcus Mauro & Matthæus Mudaccio Legati Cretenſes, qui publicam Religionem obteſtati ſunt, ut nonnullas e Venetis Clauſtris Virgines Cretam mitti curaret, quarum pietate & exemplo cæteræ ad rectam vivendi normam evocarentur, & religioſus locus numero & merito augeretur. Aſſenſit Senatus, cujus reſponſum, uti & Legatorum preces exhibemus.

MCCCCLXII.

„ Cum ſit per diverſas occaſiones, quod Veſtri feudati
„ ſint reducti in tantam paupertatem, quod vix de iſtis
„ ſuis entratibus poſſeſſionum vel feudorum ſuorum poſſint
ducere

„ ducere vitam ſuam & eorum familiæ multiplicantur, &
„ dicti nec habent modum nec viam maritari filias ſuas
„ propter impotentiam eorum, propter quod inveterantur
„ in domo cum magnis languoribus mentis & corporis,
„ quia privati omnibus remediis etiam non poſſint habere
„ refugium intercludendi eas in aliquo devoto Monaſterio,
„ ſicut fit in aliis civitatibus dominationis Veſtræ, & ſit in
„ hac noſtra terra Candidæ quoddam magnificum Monaſte-
„ rium intitulatum Sancta Catterina Monialium Ordinis S.
„ Benedicti dotatum amplis poſſeſſionibus & ellectis introi-
„ tibus, quæ omnes (proh dolor) ingorgantur a quinque
„ vel ſex feminutiis Monialibus commorantibus in eodem
„ Monaſterio male morigeratis indoctis ignobilibus, & ma-
„ le inſtructis ab aliquibus hominibus modicæ fidei & cari-
„ tatis, & ſit ſanctum & pium ad laudem & gloriam Dei
„ quod dictum Monaſterium ſit penitus reformandum, ſup-
„ plicamus Veſtræ Illuſtriſs. Dominationi quatenus digne-
„ tur ſua ſolita clementia & prudentia perſcrutare hanc
„ devotam materiam & invenire modum vel remedium per
„ viam ſanctitatis Summi Pontificis, vel alicujus alterius di-
„ gniſſimi Prelati ſufficientis auctoritatis vel per aliam dignam
„ auctoritatem, quod deinde eligantur quatuor vel quinque
„ Venerabiles dominæ Moniales laudabilis religionis & devo-
„ tæ obſervantiæ inſtructæ & doctæ ac ſufficientes ad regen-
„ dum, & gubernandum dictum Monaſterium & ad dan-
„ dum bona exempla Sororibus ſuis Monialibus & ad divi-
„ na officia celebrandum quibus per obedientiam impona-
„ tur, ut veniant huc ad regendum & gubernandum di-
„ ctum Monaſterium, & ad dandum bona exempla Soro-
„ ribus ſuis Monialibus, & ad divina officia celebrandum
„ & ad regendum Moniales ibidem commorantes, & con-
„ ſervandum poſſeſſiones, & introitus ipſius Monaſterii, quo-
„ niam hoc ſancto & cattolico principio creſcet devotio
„ Chriſtianorum Latinorum, & Catholicorum & in eodem
„ Monaſterio, & in eo ponent ſuas attinentes, & parentes

ad

„ ad ſerviendum Deo, & frequentabitur hic magnus cul-
„ tus divinus de tempore in tempus, & etiam ſatisfiet ne-
„ ceſſitatibus occurrentibus, ut ſuperius dictum eſt, & pro-
„ ut per noſtros oratores fuit recordatum, & hoc petitur
„ de gratia ſpeciali.

„ Reſpondeatur: quod aloqui faciemus Reverendiſſimum
„ D. Patriarcham noſtrum ſuæque Rev. P. inſtantiſſime per-
„ ſuadere hortarique faciemus, ut requiſitioni ſuæ ſatisfiet,
„ de qua re detur etiam notitia Rever. D. Archiepiſcopo
„ Cretenſi, (erat is Hieronymus Lando) qui Monaſterium
„ ipſum gubernat, ut aſſentiat pro commoditate Monaſterii
„ ipſius & honore Dei.

Quæ deinde pro reformatione Monaſterii acta fuerint, me latet; veriſimile tamen eſt Pontificia authoritate mediante ad Prædicatorum Ordinem Moniales translatas fuiſſe, ſiquidem ſæculo XVI. dum Candia fatali Turcarum obſidione premeretur, octoginta circiter in eo degebant Religioſæ mulieres Deo ſub Divi Dominici vexillo militantes.

Aliud quoque in Candia Urbe ſitum erat fœminei ſexus Monaſterium Sancti Georgii de Burgo Candidæ nuncupatum, quod etſi redditu tenuitate, & incolarum numero (erant enim vix quadraginta,) attamen fevera regulæ Sancti Benedicti obſervantia, & mirabili morum ſanctimonia ſpectatiſſimum erat. De eo in regeſtis Cretenſibus mentio eſt, quod a Veneto Magiſtratu ipſi adjudicata fuerit S. Cyrilli Eccleſia a quodam Græco Sacerdote in Monaſterii fundo ædificata. Sententiam utpote ad elucidandas Cretenſes antiquitates maxime opportunam non abs re erit eruditorum curioſitati offerre.

MCCCLXXII. Menſe Januario. Die XXVII. Ind. XI.

„ Cum coram Magnifico Domino Franciſco Mauroceno
„ honorabile Duca Crete & ejus conſilio queſtio verteretur
„ inter Mariam Aymo & Paraſchi Armachu Sorores filias

con-

„ condam Papatis Michaelis Agapito dicti Agiasmachiti ex
„ una parte petentes, & Sororem Agnetem Abbatiſſam Mo-
„ ſterii Monialium de Burgo Candide ex altera defenden-
„ tem. Super eo videlicet quod ſupraſcripte Sorores pro-
„ ponebant dicentes, quod ſupraſcriptus Papa Michael Aga-
„ pito quondam pater earum hedificaverat ſuis expenſis quam-
„ dam Eccleſiam ſub vocabulo beati Kirilli poſitam in bur-
„ go Candide ſuper quodam territorio ſibi conceſſo in per-
„ petuum per aliam Abbatiſſam & Moniales dicti Mona-
„ ſterii Sancti Georgii ſolvendo anno quolibet yperpera qua-
„ tuor pro terratico ipſius, quam quidem Eccleſiam ipſe
„ tenuit, & poſſedit quamdiu vixit & poſt ejus obitum il-
„ lam tenuerunt predicte Sorores tanquam perſone deſcen-
„ dentes ab ipſo Papate Michaele & hec tenuta duraverat
„ continuo per annos viginti octo vel circa, ſed tempore
„ regiminis Domini Petri Cornario olim Duche Crete ſui-
„ que Conſilii de mandato Dominationis ipſe Sorores fue-
„ runt ejecte de tenuta dicte Eccleſie, & tunc ſupraſcripta
„ Abbatiſſa dicti Monaſterii fuit poſita in tenutam ipſius,
„ ſalvo tamen jure omnium perſonarum, ſicut contineba-
„ tur in ſententia inde lata. Unde ſupraſcripte Sorores vi-
„ gore dicte reſervationis allegabant dicentes, quod predi-
„ ctus Papas Michael quondam Pater earum fuit Villanus
„ Communis & ſecundum ordines Curie bona omnia Vil-
„ lanorum Communis devenire debebant poſt eorum obitum
„ in filios & filias ſuas & ideo juxta formam dicti ordinis
„ petebant ſibi dari de predicta Eccleſia illam partem, que
„ jure hereditario eas tangere poterat, & inſuper dicebant
„ ſe obtinuiſſe cartam dijudicatus pro duobus tertii Repro-
„ miſſe Herini matris ſue condam uxoris ſupraſcripti Papa-
„ tis Michaelis Agapito, per quam data fuit eis plena vir-
„ tus tantum intromittendi de bonis dicti condam Papatis
„ Michaelis, quantum ſunt yperpera ſexaginta ſex & groſ-
„ ſi octo pro duobus tertiis ſupraſcriptis & allegabant ſe ha-
„ bere jus in dicta Eccleſia vigore dicti dijudicatus tanquam

„ in re ſpectante dicto Papati Michaeli, & ideo requirebant
„ illam debere vendi pro ſatisfactione dicte carte dijudica-
„ tus. Ad que ſupraſcripta Abbatiſſa reſpondebat dicens
„ dictam Eccleſiam non fuiſſe reedificatam ad expenſas pro-
„ prias antedicti Papatis Michaelis, ymo fuit conſtructa &
„ hedificata ad requiſitionem & inſtantiam convicinorum
„ habitantium in illa Contrata cum elemoſynis eorundem
„ & cum ſubventione Monialium dicti Monaſterii & fuit fun-
„ data ſuper territorio Monaſterii ſupradicti, in quo jam
„ fabricatus erat antea murus, qui eſt a facie boree cum alio
„ muro qui eſt a facie Ponentis, ita quod Moniales dicti Mo-
„ naſterii pro conſolatione ac devocione convicinorum, qui
„ antea non habebant ibi Eccleſiam, in qua poſſent audi-
„ re divina officia more greco conceſſerunt dictos muros &
„ terram vacuam pro dicta Eccleſia hedificanda, & tunc
„ de novo fabricatus fuit murus reſpiciens verſus Auſtrum
„ cum cuva & cohopertura, & ſic completa fuit dicta Ec-
„ cleſia facta cum helimoſinis convicinorum & Monialium
„ predictarum tamen dictus Papa Michael officiabat in ea
„ celebrando divina officia a tempore quo fuit hedificata,
„ quo usque vixit de licentia & conſenſu Monacharum di-
„ cti Monaſterii tenens illam ad affictum ad certum tem-
„ pus pro yperperis quatuor annuatim & percipiebat pro-
„ ventus ejus, ſed nullum jus proprietarium habuit in ea
„ unquam & per conſequens prefacte Sorores nullam juris-
„ dictionem habere poterant in eodem jure paterno & ma-
„ terno ſuperius allegatis, ſed dicta Eccleſia remanere de-
„ bebat pleno jure Monaſterio ſupradicto. Auditis & intel-
„ lectis juribus, allegationibus, & oppoſitionibus partium,
„ & examinatis teſtibus productis per ſupraſcriptam Abba-
„ tiſſam, per quos plene probatum fuit dictam Eccleſiam
„ fuiſſe hedificatam ad inſtantiam convicinorum cum helee-
„ moſynis, & ſubventionibus eorumdem ac etiam cum ſub-
„ ventione dictarum Monialium, viſis etiam teſtibus produ-
„ ctis per ſupraſcriptas Sorores, per quos nichil probave-

runt

„ runt in favorem ſue partis cum etiam non appareat per
„ aliquod inſtrumentum ſeu teſtes factam fuiſſe ſupraſcripto
„ Papati Michaeli conceſſionem aliquam ab ipſis Monialibus de dicta Eccleſia perpetuo vel ad tempus & helemoſyne date pro hedificatione Eccleſiarum non hominibus, ſed Deo, cui ipſe Eccleſie dedicate ſunt, offerantur & habito reſpectu ad conditionem ſupraſcripte carte dijudicatus, que fieri non poterat ſecundum ordines curie quoniam prohibitum eſt expreſſe uxoribus Villanorum Communis relinquentium heredes facere cartas dijudicatuum pro ſuis repromiſſis dictum eſt per ſupraſcriptum Dominum Ducham & ejus conſilium concorditer & ſententialiter quod ſupraſcripta Soror Agnes Abbatiſſa dicti Monaſterii Monialium Sancti Georgii de Burgo Candide ſit & eſſe debeat abſoluta a petitione quam ſupraſcripte Sorores ſibi faciebant de predictis, imponentes eisdem Sororibus perpetuum ſilentium in premiſſis & quod ſupraſcripta carta dijudicatus facta contra ordines terre ſit caſſa & annullata, & nullius valoris vel vigoris exiſtat.

Quum autem & Quæſtores Communis Venetiarum Eccleſiam prædictam Sancti Cyrilli in publica jura adduxiſſent, eo quia ipſius fundatores ex ruſticorum numero tunc temporis mortui erant, quorum bona eorum devenire oportebat in jus communis; Ducha ejusque Conſiliarii lato decreto ſanxerunt, ut Eccleſia ipſa pleno jure ad Sancti Georgii ſanctimoniales, earumque Monaſterium pertineret, eo quia ædificata fuerat ad inſtantiam & ex eleemoſinis convicinorum, ipſis etiam monialibus ſubſidia ad ædificationem erogantibus.

MCCCLXXII. Menſe Januarii. Die XXVII. Indict. XI.

„ Dictum eſt per magnificum Dominum Franciſcum Mau-
„ roceno honorabilem Ducham Crete & ejus Conſilium con-
„ corditer & ſententialiter quod Soror Agnes Abbatiſſa Mo-
„ naſterii S. Georgii de Burgo Candide ſit, & eſſe debeat ab-

», ſoluta a peticione, quam ſibi faciebant Camerarios Com-
», munis, petentes Eccleſiam S. Kirilli hedificatam ſuper ter-
», ritorio dicti Monaſterii, dicentes ipſam Eccleſiam fuiſſe
», fabricatam ad expenſas proprias Papatis Michaelis Agapi-
» to dicti Agiasmachiti, & Papatis Nicolai condam filii ejus,
» qui ambo fuerunt villani Communis, & mortui ſunt in
» tali conditione quod bona eorum devenire debebant in
» Commune. Cum per teſtes productos in Curia plene pro-
» batum fuerit, quod dicta Eccleſia fuit fabricata ad in-
» ſtantiam convicinorum habitantium in contrata dicti Mo-
» naſterii cum heleemoſynis eorumdem, & cum ſubventio-
» nibus dictarum Monialium, taliter quod dicti Papates
» nullum jus habuerunt in eadem & per conſequens Com-
» mune nullum jus habere debebat in ipſa Eccleſia.

Quoniam in ſupradictis ſententiis mentio eſt Villanorum Communis, de quorum numero erant Michael & Nicolaus Agiasmachiti Papates, ideſt Sacerdotes, non abs re erit, pauca de ſervis in antiquiſſimo apud Cretenſes uſu afferre ex veterum ſcriptorum teſtimonio. Servis itaque ſeu mancipiis utebantur Cretenſes non quidem ex externis gentibus, ut aliæ ſolent nationes vel pretio emptis, vel bello devictis, ſed ipſos indigenas in prœliis abductos ad ſervitutem redigebant, ut notat Athenæus lib. VI. *Cretenſes ſervos, quibus in civitate utebantur Chryſonetos vocabant; Amphamiotas vero, quibus in agro, indigenas quidem, ſed bello in ſervitutem quia vero eos ſorte abduxiſſent, etiam Clarotas.* Servos Cretenſium rura colentes, quos Amphamiotas dicit Athenæus diverſo nomine vocavit Ariſtoteles lib. II. Politic. cap. 8. cujus hæc ſunt verba: *Habet vero inſtitutio Cretica, quod reſpondeat Laconicæ. Nam bis quidem agros colunt Helotes, Cretenſibus vero Periæci.* Periæcos tamen ab Amphamiotis diverſos notat loco citato Athenæus ex Soſicratis teſtimonio: *Soſicrates libro ſecundo rerum Creticarum, publicam ſervitutem, inquit, Cretenſes Mnoiam vocant, privatam autem Aphamiotas: Periæcas vero ſubditos.* Utcumque de nomine

res

res ſit, hoc compertum ex documentis habemus, ab indigenis ſervis Cretenſium agros etiam eo tempore excultos fuiſſe, quo Veneta Reſpublica totius Inſulæ poſſeſſionem iniit, cujus deinde Reipublicæ beneficio, ut inferius dicemus, Veneta Nobilium Colonia non agros ſolummodo, ſed & ſervos, quos Villanos vocabant, in perpetuum phæudum accepit. Inter hos ſervos ſeu Villanos etiam ſuperius enuntiati Michael & Nicolaus adnumerabantur, quorum infima conditio nihil apud Græcos obſtiebat, quin ad ſuprema Sacerdotii officia aſſumerentur, licet perſonæ ſtatus in ſua humilitate perſeveraret. Hujus rei exemplum etiam apud Occidentales Latini ritus referunt Maurini Monachi in adnotationibus ad Gloſſarium Ducangii, ad litteram P; poſt enuntiatos Presbyteros Villanos, hæc addentes: *Illud vero obſervatu dignum videtur Presbyteros inter ſervos, & mancipia recenſitos fuiſſe, ita ut in partitionem venirent, & a Dominis poſſent permutari. Antiquum ea de re extat exemplum apud Mabillon. lib. VI. diplom. Ch. 70. ex commutatione mancipiorum inter Theodradam Abbatiſſam Monaſt. S. M. Argentogil & Einhardum Abbatem anno 824. Dedit igitur præcellentiſſima Theodrada Abbatiſſa de ratione S. Mariæ partibus Einhardi Abbatis homine aliquo nomine Gulfoco Presbytero.* His obiter & quaſi arrepta occaſione dictis ad Monaſteria, revertamur.

Præter tria hæc quæ in Regni Metropoli fundata fuerant mulierum Latini ritus Monaſteria, unum tantummodo in reliqua Inſula viſebatur fœminei ſexus Cœnobium in Cydoniæ ſeu Caneæ civitate ædificatum, cujus Eccleſiæ Sancta Maria de Miraculis nuncupatæ deſerviebant quinquaginta Moniales Ordinis Prædicatorum.

Talis in Regno Cretenſi erat Regularis Cleri ſtatus, apud quem & frequentior habebatur Sacramentorum adminiſtratio, & defunctorum Latini ritus depoſitio; etenim præter Cathedrales Baſilicas, nulla alia inſtituta fuerat apud Cretenſes Parœcialis Eccleſia latini ritus, in qua cum animarum cura Officia Divina per ſæculares Presbyteros peragerentur.

Cathe-

Cathedralis igitur, quæ & unica Parœcialis Latinorum in Candia civitate erat, Divi Titi nomine, & ſacro capite decorabatur, apud quam antiqua æque ac magnifica Archiepiſcoporum habitatio exurgebat, Venetorum expenſis remotiori ævo ædificata. In ejus Clero, qui XL. numerum excedebat duodecim Canonici numerabantur, & quinque dignitates Decanus ſcilicet, Archidiaconus, Cantor, Præpoſitus, & Theſaurarius, quibus omnibus congrui redditus aſſignati fuerant. Per hujus Cleri Sacerdotes & ſacramenta, & divini verbi pabulum Italico ſermone Latinis miniſtrabatur, nec deerant, qui Græca etiam loquela apud Moniales evangelium explanarent tempore præſertim Quadrageſimæ, ad quos propterea audiendos confluebat in ipſis Monialium Eccleſiis Latinarum mulierum multitudo frequens. Verumtamen quia Græco populo Latini numero longe inferiores videbantur, quamvis in Cathedrali Templo officia omnia Divina Romano ritu celebrarentur, attamen ex Pontificio indulto conceſſum fuit, ut tam mobilium, quam immobilium feſtivitatum ſolemnia ſimul cum Græcis, qui Kalendarii Romani emendationem non exceperant, agi poſſent. Hinc intelligere pronum eſt, ſacras annuas celebritates pompa ſupra quam dici poteſt, ſolemni fuiſſe peractas. Scilicet ad earum decus augendum conveniebant una Græcus & Latinus Clerus præcedente in omnibus Latino, tum frequens indigenarum & exterorum multitudo accedebat. Spectabatur id maxime feria ſexta Paraſceves, cum Archiepiſcopus in ſolemni ſupplicatione Sacram Synaxim deferebat comitantibus utriusque ritus Clero, & Laicis ſodalitatibus, nec non Magiſtratibus ex utroque ordine militari ac civili, quorum omnium modeſtia, pietas, ac religio in totius urbis oculis verſabatur. Ab hac ſacra ceremonia, quæ Cathedralis Eccleſiæ propria erat, ſeſe transferebant Græci ad primarium ſui ritus Templum, quod diximus, Sanctam Mariam Angelorum vocatum fuiſſe. Ibi novam magnificentiſſimam ſupplicationem inſtaurabant, in qua efferebatur imago Crucifixum Dominum

Digitized by Google

num defunctum & jacentem exhibens in feretro posita, ad cujus imaginis pectus Eucharistia in fermentato confecta, & aureo calice inclusa visebatur. Procedebat supplicatio ad usque Templum Sancti Titi, ubi obvii occurrebant Archiepiscopus & Veneti Magistratus, & Latini Patritii quamplurimi, qui cereas faces manu deferentes pompæ comitatum augebant, tum omnes simul ad Sanctam Mariam Angelorum, unde fuerat ductum supplicationis initium, revertebantur. Sed quoniam solemnitates commemoravi, quibus uterque Cretæ Clerus intererat, opportunum hic erit celebritates describere, quæ Laudes seu *Laudo* peculiari nuncupatione dicebantur. Id genus solemnitatis, cujus typum aliquem Sacra Concilia exhibent, ortum habuit in ipsis exordiis Veneti Dominii in ea Insula. Siquidem Petrus Ziani Dux quando Venetæ Coloniæ bona publica Regni Cretensis concessit, publice indixit: *Laudes nobis & successoribus nostris in Archiepiscopatu & Episcopatibus decantari facietis quater in anno: In Nativitate Domini, in Pascha Resurrectionis, in Festo S. Marci, & in festo Majoris Ecclesiæ Cretensis.* Hoc autem se præstituros Patritii illi solemniter deinde promiserunt: *Laudes vobis & vestris successoribus in Archiepiscopatu & Episcopatibus decantari faciemus quater in anno in Nativitate Domini, in Pascha Resurrectionis, in Festo S. Marci, & in Festo Majoris Ecclesiæ Cretensis.* Porro laudes istæ tum Romano Pontifici, & Latino Cretæ Archiepiscopo, tum Ducibus Veneto, & Cretensi persolvebantur. Utrumque genus paucis describam.

Ter in anno nimirum diebus festis Epiphaniæ, Omnium Sanctorum, & Divi Titi Titularis conveniebant ad primas Vesperas & postridie ad solemne sacrum in ipsa Cathedrali Ecclesia Magistratus omnes, & ingens Nobilium & Popularium multitudo. Aderat Archiepiscopus Pontificali indumento conspicuus, atque spectabilis, quem hinc inde stipabant Græcus & Latinus Clerus, & Ordinum Religiosorum Præsules. Archidiaconus cum duobus Cantoribus manu candelam

delam geſtans ad Archiepiſcopum accedebat, quo aſſurgente mitramque deponente Cantores incipiebant: *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat:* Eadem verba Chorus iterabat: Rurſus Cantores: *Sanctiſſimo ac Beatiſſimo in Chriſto Patri ac Domino noſtro Domino N. Divina Providentia Papæ N. Sanctæ & Univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici Salus honor vita triumphus & victoria cum gloria ſempiterna*: quod idem Chorus repetebat. Cantores deinde proſequebantur: *Sancte Petre:* eisque Chorus reſpondebat: *Tu nos adjuva.* Hac laude exequuta Archiepiſcopus capite mitra cooperto ſedebat; tum Cantores poſt Antiphonam: *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat:* etiam a Choro repetitam, Archiepiſcopo laudes canebant: *Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino noſtro Domino NN. Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopo totius Regni Cretæ digniſſimo Salus honor vita cum gloria ſempiterna:* quæ pariter verba repetens Chorus canebat. Poſtea Cantores: *Sancte Tite*, deinde Chorus: *Tu nos adjuva.* Eundem ritum Græci ſervabant, qui ad Romani Pontificis nomen reverenter caput inclinabant. Poſt haſce laudes ad oſculum manus Archiepiſcopi aſcendebant in primis Canonici, & Clerus Latinus, tum Ordinum Religioſorum Superiores, & loco omnium ultimo Græcorum Clerus præcedente Protopapa videlicet eorum Archipresbytero, cui ex antiquo privilegio Archiepiſcopus his ſolemnibus diebus reſtitutionem exulis in patriam, aut aliquid tale juxta conſuetudinem indulgebat. Hæc eadem Laudum ſolemnis ceremonia in aliis Eccleſiis Regni Cathedralibus peragebatur; dummodo adeſſet Cleri ſufficiens copia. Ibidem Romani Pontificis & Archiepiſcopi laudibus Diœceſani etiam Epiſcopi laudes adjungebantur.

Nec ſuis quidem laudibus carebant in Epiſcopatuum Cathedralibus Duces Venetus & Cretenſis, quibus erant dies quatuor aſſignati Reſurrectio, & Nativitas Domini, tum Feſtum S. Marci, & S. Titi, quod ultimum in quartam diem Januarii incidit. Et hoc quidem ex antiquo inſtituto, atque ex

diplo-

Digitized by Google

diplomate Petri Ziani Ducis, ſed cum graviſſima rebellio Venetæ Coloniæ in Regno Cretenſi feliciter compreſſa fuiſſet die X. Maii, in eandem diem ex publico decreto traductæ fuerunt laudes, quæ Feſto Sancti Titi fuerant alligatæ.

Ad hanc Laudum pro Duce utroque ceremoniam non accedebant niſi Clerus Sæcularis Græcus & Latinus, ſiquidem Religioſæ familiæ ſuos Præſides mittere non tenebantur. Ritus erat, idem qui ſupra, & variatio erat ſolum in titulis, & in Sanctorum invocatione: pro Veneto enim Duce canebatur *Illuſtriſſimo & Sereniſſimo Principi & Domino &c.* deinde ad implorandam Sanctorum protectionem dicebatur: *Sancte Marce: Tu nos adjuva*. At pro Cretenſi *Ducha: Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino &c.* ac deinde: *Sancte Tite: Tu nos adjuva:* Laudibus abſolutis Græcus Protopapa petebat de more, & obtinebat vel exulantis reditum, vel non abſimilem aliquam quampiam gratiam.

Porro ſacrarum hujusmodi adprecationum, quæ in Cathedralibus Eccleſiis ſeu inter Miſſarum ſolemnia, ſeu inter alia Divina officia agebantur, invocata in auxilium Principum tum Eccleſiaſtici, tum Laici ordinis Sanctorum Tutelarium interceſſione, hoc quod apud Cretenſes in uſu erat, nec unicum, nec primum fuit in ditione Venetorum exemplum; ſiquidem cum Petrus Urſeolus hujus nominis II. Dux Venetiarum, parata adverſus Sclavos navali expeditione, Dalmatiam ſub Venetæ Reipublicæ Dominio excepiſſet, Veglenſis & Arbenſis Epiſcopi, qui *cum eorum civitatum Prioribus* fidem Veneto Duci obſervandam juraverant, *ſacramentis inſuper eisdem confirmaverunt*, ſe ipſius Ducis nomen *in Eccleſiis glorificaturos*. Hæc habemus ex Andreæ Danduli Chronico lib. IX. cap. I. par. XIX. *Veglenſis & Arbenſis Epiſcopi cum eorum civitatum Prioribus adfuerunt, & pari voto ſuper ſacra Evangeliſtarum dicta iteraverunt, quod juxta illorum ſcire & poſſe deinceps Domini Petri Ducis fidem obſervare debuiſſent. Inſuper Epiſcopi eisdem ſacramentis confirmaverunt, quod feriatis diebus, quibus laudis pompam in Eccleſia depro-*

mere ſolebant, iſtius Principis nomen poſt Imperatorum laudis præconiis glorificarent. Quum autem feriatos dies, *legamus, quibus laudis pompa in Eccleſia* depromi, & Imperatoris nomen laudis *præconiis* glorificari ſolebat, manifeſto arguimus, adprecationum, ſeu acclamationum hujusmodi uſum antiquitus in univerſali Eccleſia viguiſſe, quod plurimis tum exterorum, tum Venetorum exemplis, & veterum ſcriptorum teſtimoniis ſuſe probat eruditiſſimus Dufresnius in Gloſſario mediæ & infimæ latinitatis littera L ad vocem *Laudes etiam dictæ acclamationes publicæ*, ubi Litanias etiam affert ex codice ms. Eccleſiæ Arelatenſis, ſimilesque aſſerit aſſervari in alio pariter ms. codice Eccleſiæ Lemovicenſis. Litanias Aquilejenſes, in quibus ſaufta Summo Pontifici, Imperatori, & aliis Principibus adprecantur, nuper vulgavit Clar. P. de Rubeis in Diſſertatione de ſacris Forojulienſibus ritibus cap. XXXI. ubi etiam Goldaſtum Tom. II. Rerum Alamannicarum, Sollerium in actis Sanctorum ad diem XVI. Julii, Ducangium & Dandulum citat de his Litaniis ſeu acclamationibus ſcribentes.

Quamvis itaque (ut ſuperius diximus) unica Cathedralis Baſilica in gregem Latinum Parochialia jura exerceret, non tamen aliæ deerant in Candienſi civitate Eccleſiæ ſeu ad familiarum nobilium commodum, ſeu ad Divini cultus augmentum ædificatæ. Earum præcipua ea erat, de qua egimus, Primicerialis Eccleſia, cui proxima erat altera Sancta Maria de Platea nuncupata, apud quam viſebantur Primiceriales ædes, quæ tamen, una cum iis quas afferemus, Oratorium potius & Sacellum appellari debet, quam Eccleſia. Sacella igitur Latino ritu exculta in civitate Candiæ hæc erant.

S. Antonii Eccleſia, Clericis Regularibus Societatis Jeſu olim conceſſa, quæ poſt ipſorum receſſum Hoſpitali Militum adnexa fuit.

S. Claræ Hoſpitalis de Pietate.

S. Sebaſtiani, ubi Sodalitium Nobilium erectum erat.

S. Ni-

S. Nicolai Sacellum publico Armamentario navali conjunctum.

S. Georgii e regione Cathedralis Ecclesiæ.

S. Mariæ de Hispania, apud quam residere solebat Abbas ex familia Trivisana assumptus.

S. Mariæ, Familiæ de Medio.

S. Mariæ, Familiæ Faletræ.

Sancti Spiritus, Familiæ Corneliæ.

S. Constantini, Familiæ Pascalicæ.

S. Bernardini, Familiæ Dandulæ.

S. Mariæ de Barocciis, ejusdem Familiæ Dandulæ.

S. Mariæ, Familiæ Fuscarenæ.

Spiritus Sancti, Familiæ Rasmini.

S. Barbaræ, Societatis Balliſtariorum.

SS. Crucifixi a Sodalitio Verberatorum ædificatum.

S. Vincentii, in qua Sodalitium Mercatorum convocabatur.

SS. Nominis Dei ad Pistores spectans.

S. Rochi, Oratorium erectum anno 1592. in gratiarum actionem ob sedatam pestem.

S. Andreæ, de jure Canonicorum.

S. Venerandæ extra muros, ad quam Ecclesiam jugis populi erat frequentia.

S. Jacobi, jurisdictioni Episcopi Rethimensis subjecta.

S. Mariæ Formosæ Græco nomine *Eumorphi*. Sodalitium quod mensæ Patriarchali Constantinopolitanæ adnexum erat, de quo superius diximus, olim ibi degisse Sacerdotes Regulares Societatis Jesu. Quoniam vero Ecclesiæ Constantinopolitanæ mentionem egimus, non abs re erit ipsius redditus in Insula Cretensi positos singillatim enuntiare. Patriarchatui huic olim prædiviti, & nobilissimo, & deinde post recuperatam a Græcis Imperialem urbem ad extremam inopiam redacto, assignaverat publica religio nonnullos in Regno Cretæ redditus, qui tamen tantæ dignitatis decori impares videbantur. Quum autem Patriarchali Constantinopoleos titulo insignitus fuisset Bessarion Trapezuntius Cardinalis Ni-

cænus Veneti nominis amiciſſimus, ære proprio rura quædam, Caſalia nuncupata, hac illac per Cretenſem Inſulam emit, eaque ad Præſulum ſibi ſuccedentium patrimonium deſtinavit; hac tamen adjecta lege, ut ſexdecim Presbyteros Græci ritus, ſed Catholici dogmatis alere tenerentur, quorum cura eſſet Græcum indigenam rudimentis Orthodoxæ Religionis imbuere. Hi propterea ex inſtituto *Catholici* vulgo nuncupabantur, atque ex ipſorum numero deligebantur Archipresbyteri, ſeu, ut eos vocant, Protopapates in civitatibus Candiæ, Sithiæ, Rethimi, & Caneæ.

Porro redditus omnes, qui ſive ex publica munificentia, ſive ex Cardinalis Beſſarionis pietate Patriarchatui Conſtantinopolitano, & Patriarchis pro tempore eo titulo inſignitis deſtinati fuerant, ad annuos *ducatos ſexcentos auri Venetos* aſcendiſſe comperimus ex publico Locationis documento, quo Ægidius ex ordine Eremitarum Sancti Auguſtini S. R. E. Cardinalis & Patriarcha Conſtantinopolitanus cuidam Ludovico Caſata Rhodienſi omnes redditus & proventus ſuæ Patriarchalis menſæ in Inſula Cretenſi poſitos locavit anno MDXXX. ut patet ex ſequenti documento.

„ In Chriſti nomine Amen. Noverint univerſi & ſingu-
„ li preſens publicum Inſtrumentum lecturi, ſeu legi au-
„ dituri. Quod anno dominice nativitatis milleſimo quin-
„ genteſimo vigeſimo octavo Indictione prima die Mercurii
„ undecimo menſe Martii In mei Notarii & teſtium infra-
„ ſcriptorum preſentia perſonaliter exiſtens Reverendiſſimus
„ in Chriſto pater & Dominus D. Egidius miſeratione di-
„ vina tit. S. Matthei Sancte Romane Eccleſie Presbyter
„ Cardinalis & Patriarcha Conſtantinopolitanus digniſſimus
„ omnibus melioribus modo, via, jure, cauſa & forma qui-
„ bus melius potuit & poteſt de jure, caſſando prius & re-
„ vocando omnes & quaſcunque alias conceſſiones & loca-
„ tiones factas per D. S. Reverendiſs. usque modo quibus-
„ cunque aliis perſonis dedit conceſſit & locavit jure ſim-
„ plicis locationis pro uno anno tantum qu. habeat incipe-

re

„ re a die preſentationis & intimationis hujusmodi inſtru-
„ menti magnifico & glorioſo Domino Ludovico Caſata No-
„ bili Rodienſi habitanti Candide Inſule Cretenſis licet ab-
„ ſenti & hujusmodi locationem poſteaquam ei fuerit preſen-
„ tata & intimata acceptare volenti omnes & ſingulos fru-
„ ctus redditus & proventus ac emolumenta quecunque pre-
„ fato Reverendiſſimo Domino Cardinali locatori ratione di-
„ cte ſue Sancte Sedis Patriarchalis debitas ac debita pro-
„ venientes & provenientia & quibuscumque terris fundis
„ prediis & poſſeſſionibus quomodocunque dicte Sedi ſpetan-
„ tibus exiſtentibus in dicta Inſula Cretenſi & territorio Can-
„ dide pro quibus & ex quibus fructibus redditibus pro-
„ ventibus & emolumentis dictus Dominus Ludovicus pro
„ dicto anno teneatur, & debeat dare, ſolvere, & reſpon-
„ dere integre prefato Reverendiſs. Domino Locatori vel
„ ejus legitimo nuncio ducatos ſexcentos auri in auro Ve-
„ netos boni auri, & juſti ponderis ſeu tot ducatos illius
„ qualitatis & eſtimationis prout judicatum & declaratum fue-
„ rit per Magn. Dom. Rectores dicte civitatis Candide coram
„ quibus pendet in preſentiarum lis & controverſia inter
„ conductores dictorum prediorum terrarum poſſeſſionum at-
„ que locorum & fundorum dicte Sedis Patriarchalis ex una
„ & Dominos Procuratores ſeu agentes pro prefato Reve-
„ rendiſs. Domino Cardinali & Patriarcha ex alia: Utrum
„ videlicet ipſi conductores teneantur ſolvere affictus ſuos
„ in tot aureis Venetis, aut in tot ducatis currentibus: non
„ computatis tamen in dictis ſexcentis ducatis trecentis du-
„ catis, qui ſingulo anno ſolvuntur, & ſolvi debent ex di-
„ ctis introitibus illis ſexdecim Sacerdotibus Calegeri nun-
„ cupatis, qui inibi more catholico ſerviunt in divinis nec
„ non deductis & ſatisfactis prius ex dictis ducatis ſexcen-
„ tis omnibus & ſingulis expenſis impoſitionibus angariis
„ oneribus & gravaminibus pro dicta Sede Patriarchali tam
„ ordinariis, quam extraordinariis, tam impoſitis, quam
„ imponendis quacumque auctoritate de quibus teneatur ipſe

Do-

„ Dominus Ludovicus reddere juſtum & bonum computum
„ trasmittendo reſiduum, quod ſupererit Venetias ad manus
„ Spec. Domini Leonardi a Volta civis & mercatoris Vene-
„ tiarum per totum menſem Martii ex tunc immediate ſe-
„ quentem cum hoc pacto quod ſi hujusmodi reſiduum trans-
„ miſerit in tot mercibus & rebus quod cedat damnis expenſis
„ & periculis ipſius D. Ludovici ſi vero ex commiſſione & man-
„ dato prefati Rev. D. Patriarche miſerit in pecuniis quod
„ tunc cedat damnis periculis & expenſis ejusdem Rev. D. Pa-
„ triarche. Inſuper autem prelibatus Reverendiſs. D. Cardi-
„ nalis & Patriarcha dicte ſue Patriarchalis ſedis nomine re-
„ vocando prius & caſſando omnes Procuratores alios ſuos
„ hactenus quomodolibet per eum conſtitutos omnibus me-
„ lioribus modo via cauſa jure ac forma quibus melius po-
„ tuit, conſtituit, ordinavit, ac deputavit ſuos veros & le-
„ gitimos nuncios & procuratores Reverendiſſimum in Chri-
„ ſto patrem & Dominum D. Arſenium Dei & Apoſtolice
„ Sedis gratia Archiepiſcopum Monebaſten. & Ven. D. Fr.
„ Hieronymum Vicemanum Ordinis Eremitarum S. Augu-
„ ſtini Priorem Conventus S. Salvatoris ejusdem civitatis Can-
„ dide & ſupradictum Magnificum D. Ludovicum abſentem
„ tamquam preſentes omnes tres ſimul & conjunctim ſpe-
„ cialiter & expreſſe ad ipſius Reverendiſſimi D. Patriarche
„ & ejus Patriarchalis Sedis nomine renovandum & etiam
„ confirmandum quascunque locationes & conceſſiones factas
„ & fieri conſuetas per bis viginti novem annos terrarum
„ poſſeſſionum fundorum prediorum, & locorum nec non
„ ſalvis & intervenientibus honoribus & .... bus ſolitis &
„ ſolvi conſuetis pro hujusmodi renovationibus confirmatio-
„ nibus que quidem renovationes, & confirmationes locum
„ habeant cum primum dictus Reverendiſſimus Dominus
„ Cardinalis & Patriarcha ſuum in ſcriptis ſuperinde pre-
„ ſtiterit conſenſum, que quidem augmenta honores & mu-
„ nera ſint ejusdem Reverendiſs. Domini Patriarche & ejus
„ commodo & utilitati cedant & accreſcant, & Venetias,

cui

„ cui & pacto de quibus ſupra fit mentio transmitti debeant
„ & generaliter omnia alia & ſingula dicendum gerendum
„ exercendum faciendum, & procurandum que in hujusmo-
„ di conceſſionum ſeu locationum renovationibus & ſeu con-
„ firmationibus & circa illas neceſſaria fuerint & quomodo-
„ libet opportuna & que ipſemet Reverendiſſimus Domin.
„ Cardinalis & Patriarcha faceret & facere ..... preſens
„ eſſet, etiam ſi eſſent talia que mandatum requirent ſpe-
„ cialius iſto. Promittens inſuper prelibatus Reverendiſſimus
„ Dominus Cardinalis & Patriarcha mihi Notario publico
„ infraſcripto, ut perſone publice & autentice ſolemniter
„ ſtipulanti & recipienti, qui vice ac nomine ſupraſcripti
„ Magnifici Domini..... quatenus hujusmodi locationem
„ acceptare voluerit, quam omnium & ſingulorum aliorum
„ quorum intereſt intererit aut intereſſe poterit quomodo-
„ libet in futurum ſe ratum gratum atque firmum perpe-
„ tuo habiturum ſupradictam locationem, ac omnia & ſin-
„ gula que per dictos Dominos Procuratores & Nuncios ſuos
„ ſimul & conjunctim actum dictum geſtum & procuratum
„ fuerit in premiſſis aut aliquo premiſſorum ſub obligatio-
„ ne omnium & ſingulorum bonorum preſentium & futu-
„ rorum. Acta fuerunt hec Padue in Monaſterio Heremi-
„ tarum, in quo ad preſens dictus Reverendiſſimus Domi-
„ nus Cardinalis moram trahit Preſentibus ibidem Reveren-
„ diſſimo Domino Scipione Bongallo Abbate Fiani Nepeſi-
„ ne Dyoceſis & Ven. Domino Fratre Gregorio de Floren-
„ tia Ordinis Heremitarum Sancti Auguſtini in eodem Mo-
„ naſterio commorantibus. Teſtibus ad predicta habitis ſpe-
„ cialiter & rogatis currentibus anno indictione die & men-
„ ſe quibus ſupra Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto
„ Patris & D. N. D. Clementis divina Providentia Pape Se-
„ ptimi anno quinto.

„ Ego Cathaneus Lippus Bellunenſis quond. egregii Viri
„ D. Antonii Lippi de Lippis civis & habitator Padue pu-
„ blicus Imperiali auctoritate Notarius Judex ordinarius &

Epi-

Digitized by Google

„ Epiſcopalis Curie Paduane Scriba predictis omnibus inter-
„ fui & preſens publicum inſtrumentum exinde manu pro-
„ pria conſeci ſubſcripſi & in hanc publicam formam re-
„ degi ſignoque meo ſolito ſignavi in fidem ac teſtimonium
„ premiſſorum rogatus & requiſitus.

„ Paulus Bergaſius juris utriusque doctor Dei & Apoſtoli-
„ ce Sedis gratia Epiſcopus Nimoſienſis in Epiſcopatu & Dio-
„ ceſi Paduana pro Reverendiſſimo Domino D. Cardinale Pi-
„ ſano Eccleſie Paduane perpetuo adminiſtratore digniſſimo
„ Locumtenens & Vicarius in ſpiritualibus generalis univer-
„ ſis & ſingulis preſentes inſpecturis ſeu legi audituris fidem
„ indubiam facimus & atteſtamur qualiter ſuprafcriptus ſ. Ca-
„ thaneus Lippus, qui de ſuprafcripto locationis inſtrumen-
„ to rogatus fuit eſt Notarius publicus legalis & auctenticus
„ bone opinionis & fame ac publice in epiſcopali curia no-
„ ſtra notariatus officium exercens, cujus inſtrumentis & ſcri-
„ pturis plena inhibetur fides in judicio & extra in quorum
„ fidem &c. Dat. in Epiſcopali palatio die XVIIII. menſe
„ Februarii MDXXX.

„ Gaſpar Eſtellus Not. Epiſcopalis
„ Padue mandato ſubſcripſi.

Caſalium autem, quæ per hujusmodi inſtrumenta loca-bantur, expreſſa nomina proferimus ex vetuſtis ſchedis Familiæ Zenæ Nobilis Cretenſis in Archivo Servorum B. M. V. Venetiarum aſſervatis, in quibus pariter redditus ipſorum Caſalium non uno in loco notati leguntur.

Caſalia Ligurtinum & Prineum annui redditus argenteorum (Veneti ducatos vocant) XXXVI.

Caſalia Ruachani & Pandoglion annui redditus duc. CLX.

Caſalia Sarò Turitum & Pluti ann. red. duc. CCCLXXXVIII.

Caſalia Gagnes & Craſſi ann. red. duc. LVIII.

Caſalia Livadia, Cartenicò, Pacidi & Miceum an. red. duc. CCXXXVIII.

Caſale Ethea an. red. ducat. LI.

Caſale Luſida an. red. duc. LII.

Caſa-

Caſale Cicuri an. red. duc. xxxii.

Caſale Choxari an. red. duc. iiii.

Caſale S. Barbaræ in territorio Caneæ an. red. duc. cxxii.

Caſale Ombros in eodem territorio, a quo Patriarchatus nullum percipiebat emolumentum.

Caſalia Calogerico & S. Herini apud oppidum Bonifatii, quæ ut in emphiteoſim concedi poſſent, indultum fuit anno 1545. Franciſco Piſauro Patriarchæ Conſtantinopolitano, ut patet ex diplomate Apoſtolicæ Pœnitentiariæ, cujus fragmentum exhibemus.

„ Peregrinus Fabius J. U. D. Domini Pape Cappellanus „ diſcretis viris S. Panthaleonis & S. Joannis Novi ac S. Auguſtini Eccleſiarum Venetiarum Plebanis ſalutem in Do„ mino. Ex parte Ven. in Chriſto Pat. Dom. Franciſci Pi„ ſauro Dei Gratia Patriarche Conſtantinopolitani, & dilecti „ etiam in Chriſto Petri Barbadico qu. Franciſci nobis obla„ ta petitio continebat, quod alias idem Dom. Patriarcha „ cupiens ſue Patriarchalis menſe, quam, ut premittitur, „ obtinet, conditionem efficere meliorem, quendam locum & „ Caſale nuncupatum *Calogerico* ſitum ſub ditione *Bonifa„ cii* & totum locum *S. Herini* ſitum in diſtrictu *Bonifacii* „ in Inſula Crete de jure dicti Patriarchatus exiſtentia, & „ ad illum legitime ſpectantia &c. Datum Rome apud S. „ Petrum ſub ſigillo offitii penitentiarie tertio Kal. Martii „ Pontificatus Dom. Pauli Pape tertii anno XI.

Eadem deinde Caſalia renovatis tabulis aliis, atque aliis ſtatuto cenſu conceſſerunt ſucceſſores Patriarchæ, videlicet Raynutius Farneſius S. R. E. tit. S. Angeli Presbyter Cardinalis Patriarcha C. P. anno 1550. Scipio Rebiba S. R. E. tit. S. Anaſtaſiæ Presbyter Cardinalis Patriarcha Conſtantinopolitanus annis 1567. & 1573. Proſper Rebiba Scipionis Cardinalis ex Fratre Nepos Patriarcha C. P. Bonaventura Secuſius Patriarcha C. P. annis 1604. & 1612. Alcanius Geſualdus Patriarcha C. P. anno 1630. & Fr. Franciſcus Maria Machiavellus poſtea Card. Patriarcha C. P. anno 1642.

Digitized by Google

His omnibus, quæ Clerum Latinum ſæcularem & regularem, tum proprias ejus Eccleſias poterant aliquo modo illuſtrare, expeditis, ad Præſules tandem venio.

ARCHIEPISCOPI CANDIENSES.

N primus recenſetur Archiepiſcopus Cretenſis, quem ſupp. preſſo nomine ad Concilium Lateranenſe Innocentius III. evocavit, datis litteris die 19. Aprilis anno 1213. Archiepiſcopo huic vel ejus ſucceſſori epiſtolas miſit Honorius III. anno 1223. die 22. Novembris, quibus ipſi, non expreſſo tamen nomine, mandat, ut Abbati & Monachis Sancti Thomæ de Torcello, qui domos ſupra quasdam terras in *montana nigra* Diœceſis Cretenſis ædificare cupiebant, *ſe benevolum* exhibeat *& benignum*, ut *ſe* ejus *favore aſſequutos gaudeant, quod intendunt*. Diploma legitur in Eccleſiis Torcellanis Illuſtr. ad Monaſterium S. Thomæ de Torcello.

II. Joannes hujus nominis primus ex Patritia familia Quirina ad Archiepiſcopalem Candiæ ſedem, quo neſcimus anno, aſſumptus fuit, a qua deinde abductus, ad Ferrarienſem Epiſcopatum translatus fuit ex Innocentii VI. decreto, qui (ut refert Ughel. in Ferrarienſibus) Joannem olim Archiepiſcopum Cretenſem, & electum Ferrarienſis Eccleſiæ Epiſcopum Capitulo Ferrarienſium Canonicorum per epiſtolas anno 1252. die 17. Julii datas enixe commendavit.

III. Fr. Angelus Maltraverſus Venetus ex Ordine Prædicatorum Archiepiſcopus Cretenſis apoſtolica Gregorii IX. diplomata (ut vidimus) in publicas tabulas redigi juſſit anno 1255. menſe Aprilis. Eodem anno ad Ferrarienſem Epiſcopatum translatum fuiſſe, aſſerunt Ughellus in Ferrarienſibus Tom. II. Venetæ edit. col. 543. Cavallerius Tom. I. pag 30. & Fontana Theatr. Domin. par. I. pag. 192. Utcumque de hoc aſſerto Epiſcopatu res ſit, in quo Fontana

na perperam asserit Angelum pluribus annis sedisse, si ad ipsum electus fuit, paucis deinde ab electione elapsis diebus ad Patriarchatum Gradensem ab Alexandro IV. promotus fuit. Scribit Fontana, & ex eo Bremondius in Bullario: *Apostolicis litteris Neapoli datis V. Kal. Junii*, nempe die 28. Maii, *Pontificatus anno primo, Christi MCCLV. Alexandrum IV. Capitulo Gradensi commendasse Fr. Angelum Patriarcham*. Plura de eo in Italia Sacra, in Patriar. Gradensibus, & in Eccles. Venetis Illustr. Tom. III. atque in Scriptoribus Dominicanis.

Notanda hoc loco veniunt ea quæ affert Marinus Sanuto in suo Chronico Tom. XXII. Rerum Italicarum col. 771. ubi affert documentum nuptiarum inter Constantiam filiam Michaelis Mauroceni, & Uladislaum Stephani Regis Serviæ filium in publicas tabulas redactum anno 1293. die 24. Augusti, ubi inter alia hæc leguntur: *Queste cose furono fatte in Venezia nel gran Palazzo del Signor Albertino Morosini*, (is Michaelis Pater erat, & Constantiæ Sponsæ avus) *al che furono testimonj Messer Brixa Vescovo di Trieste*, (Episcopum hunc in Tergestinis ignoravit Ughellus) *e Frate Jacopo di Roma dell' Ordine de Predicatori eletto Vescovo di Creta, e Ruggiero Morosini* &c. Neque tamen documenti hujus authoritate adducor, ut Jacobum hunc assertum Cretæ electum Episcopum Elencho Candiensium Archiepiscoporum inseram, tum quia ejusmodi argumentum in authore, qui multis noscitur scatere mendis in nominum, & chronicarum notarum assignatione, mihi minus grave est; tum quia titulus Episcopi ea tempestate incongruus erat Præsuli Metropolitæ, qui ab omnibus Archiepiscopus nuncupabatur. Ad hæc accedit, quod ex publicis actis habemus anno insequenti 1294. mense Aprilis Angelum Beaquam *electum & confirmatum Cretæ*, nullumque præterea reperi Episcopum Jacobum nomine ex Ordine Prædicatorum, qui per ea tempora ulli Cretensi Ecclesiæ præfuerit.

IV. Angelus Beaqua uti electus & confirmatus Cretæ seu

Cretenſis memoratur ad diem VII. Aprilis anni MCCXCIV. in quodam conſultationis documento ab Emmanuele de Yslanis publico Notario in Actorum codicem redacto, quod ad Lectoris eruditionem integrum, licet ad res Creticas minus pertinens, exhibemus. In eo autem præter Angelum Beaquam electum & confirmatum Cretæ ſeu Cretenſem, qui primo loco ante Marcum Paradiſo Ducalis Eccleſiæ Primicerium enuntiatur, etiam Raphael Paganus Archidiaconus Cretæ recenſetur, qui cum ſupralaudato Angelo, & aliis prudentibus viris de quadam excommunicationis abſolutione ſuum convocati protulerunt judicium.

„ In Chriſti nomine Amen. Anno a nativitate ejusdem „ milleſimo ducenteſimo nonageſimo quarto Indicione ſepti- „ ma die ſeptimo intrante menſe Aprilis. Convocatis pru- „ dentibus viris Dominis Angelo Beaqua electo & confir- „ mato Crete Marco Paradiſo Primicerio S. Marci Venet. „ Fr. Florio Priore Predicatorum Fr. Franciſco Le..... „ ejusdem Ordinis Fr. Federico Ordinis Predicatorum Ja- „ cobo Gauſono Canonico Caſtellano utriusque juris docto- „ re & Raphaele Pagano Archidiacono Crete per egregium „ Virum Dominum Albertinum Mauroceum de Venetiis „ ſupra eo quod dictus Dominus Albertinus a predictis ſa- „ pientibus querebatur videlicet cum in queſtione habita cum „ Monaſterio & fratribus de Brondulo per quemdam Prio- „ rem de Strata fuerit vinculo excommunicationis innoda- „ tus & a dicta ſententia excommunicationis abſolutus fue- „ rit in articulo mortis per Ven. & religioſum Virum D. Fr. „ Bonifacium tunc Priorem dicti loci de Veneciis propoſi- „ tis quibusdam per dictum Dom. Albertinum videlicet ſe „ abſolutum a predicto fratre Bonifacio eſſe ſe etiam para- „ to extitiſſe & eſſe ad obediendum tam penitencie per eum- „ dem fratrem ſibi commiſſe quam ad ſatisfaciendum ipſis „ predictis fratribus prout poterat & debebat queſivit a ſa- „ pientibus ſupraſcriptis numquid ex tali abſolutione lici- „ tum eſſet eidem Eccleſiam intrare, & divina audire

offi-

Digitized by Google

„ officia ac ſe per eamdem abſolucionem Eccleſie totaliter
„ reſtitutum. Qui ſapientes omnes & ſinguli unanimiter ne-
„ mine diſcrepante ibidem habita plena deliberatione intra
„ ſe conſuluerunt & dixerunt eidem Dom. Albertino quod
„ ipſe abſolutus erat a ſententia excommunicationis predi-
„ cti Prioris de Strata & quod ipſe licite Eccleſiam intra-
„ re poterat ac divinis officiis intereſſe racionibus ſupraſcri-
„ ptis tum quia abſolutus extitit a predicto Fr. Bonifacio
„ ..... de quo teſtimonium perhibetur per Fr.....
„ de Saviola ejusdem Ordinis Predicatorum qui cum eo-
„ dem fuit ad eum ſociandum quando predictam abſolutio-
„ nem eidem Albertino impertitus eſt tum quia paratus
„ extitit ſuit & eſt ſatisfacere tam penitencie quam fra-
„ tribus ſupraſcriptis prout de jure debuerit. Actum eſt
„ hoc Venet. in loco Fratrum Minorum de Vinea preſen-
„ tibus Nob. Viris D. Marino Paſcaligo Petro Bocaſio Jo-
„ hanne & Michaele Gradonico Marino Lambardo Gaſtal-
„ dione Procuratorum Sancti Marci, Johanne Petro Cleri-
„ co dicti Domini Jacobi Gauſoni & multis aliis.

„ Ego Emmanuel de Yslanis Imperiali auctoritate Nota-
„ rius predictis omnibus interfui & rogatus ſcripſi.

V. Leonardus I. Faletro Nobilis Venetus primum in patria Paroecialem S. Bartholomæi Eccleſiam adminiſtravit, cui dum præſideret, Bonifacius Papa VII. ſuis litteris juſſit, ut Priorem & Fratres Congregationis S. Marci de Mantua, qui Monialium S. Mariæ de Virginibus Venetiarum curam agebant, & in eodem Conventu commorabantur, ita a præfato Monaſterio amoveret, ut ex tunc ad illud nullatenus redire valerent. Apoſtolicum mandatum legitur Tom. IV. Eccleſiar. Venet. Illuſtrat. pag. 55. Prudentiæ laude inſignis ab eodem Bonifacio VIII. ad thronum Patriarchalis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ aſſumptus fuit anno 1302. die ultima Martii, cujus electionis decretum affertur in annalibus a Raynaldo ad ipſum annum 1302. Quum autem Leonardus in ea urbe jam a Græcis recuperata ſedere non poſſet,

ſet, ei ab ipſo Bonifacio Papa Eccleſia Cretenſis cum ipſius titulo & adminiſtratione committitur. In ea itaque Inſula reſidens Encyclicas Clementis V. epiſtolas accepit datas die 12. Auguſti anno 1307. quibus ad Concilium Viennæ in Galliis celebrandum vocabatur ſimul cum duobus Epiſcopis Patriarchatus Conſtantinopolitani ſuffraganeis, & cum Epiſcopo Arienſi ſeu Arianenſi ſuffraganeo Eccleſiæ Cretenſis, quæ *Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ* (ita in Clementis Papæ epiſtola) *per Sedem Apoſtolicam ad ipſius Sedis beneplacitum eſt unita*. Conſule Labbeum Tom. XI. Conciliorum par. 2. col. 1549. & Duſresnium p. 2. fol. 244.

VI. Fr. Alexander I. de S. Elpidio Ord. Eremitarum S. Auguſtini, vir doctiſſimus, creatus ſuæ Religionis Prior Generalis eidem per 13. annos laudatiſſime præfuit, quo tempore, ut teſtatur Thomas de Herrera in Alphab. Auguſt. varias Joannis XXII. ad varios Principes obivit legationes. Anno 1325. electus fuit Archiepiſcopus Cretenſis Eccleſiæ, a qua translatum fuiſſe ad Eccleſiam Amalphitanam, tradit ex notis mss. Hieronymi Roman. ſupralaudatus Herrera. Diſſentit in hoc Lequienius, qui ex continuata ſerie Antiſtitum Amalphitanorum ab Ughello allata manifeſto oſtendit, nullum pro Alexandro inveniri in ea poſſe locum.

VII. Alexander II. ex Hungaria Ordinis Prædicatorum, *variæ litteraturæ* vir Cretenſi Archiepiſcopatui a Joanne XXII. præficitur. Anno 1332. in vivis degentem enuntiant Regeſta Cancellariæ Ducalis Venetiarum, aguntque de eo Scriptores Dominicani.

VIII. Ægidius de Gallutiis Bononienſis Ordinis Prædicatorum, quem ex ſerie Epiſcoporum Torcellanorum expungendum probavi in Eccleſiis Torcellanis Illuſtrat. dum de Eccleſia Cathedrali agerem, fuit Archiepiſcopus Cretenſis, deceſſitque anno 1340. Bononiæ, ut refert ejus emortualis epigraphe ab Ughello allata.

Hic

Digitized by Google

Hic jacet Rev. Dominus
Fr. Ægidius de Gallutiis de Bononia
Ord. Fratrum Prædicatorum
Dei Gratia Archiepiſcopus Cretenſis
Qui obiit anno Domini MCCCXL.
Die VI. Decembris
Cujus anima requieſcat in pace. Amen.

IX. Franciſcus Michael Nobilis Venetus primo Archiepiſcopatum Ravennatenſem a Benedicto XII. obtinuit anno 1334. cujus adminiſtrationem ſuſcepit anno inſequenti 1335. poſt diem decimam Auguſti, qua die adhuc in patria degens Indulgentias conceſſit Sodalitio Sanctæ Mariæ de Miſericordia. Ex ea Eccleſia ad Cretenſem traductus fuit, cui deinceps Apoſtolici Legati vices in partibus Romaniæ, & in Cruce-ſignato exercitu contulit Clemens VI. anno 1345. datisque Avenione XV. Kal. Auguſti epiſtolis ipſum & Chriſtianæ claſſis Duces ex ea cauſa potiſſimum laudavit, quod æternæ remunerationis ſpe belli ſacri negotium *intrepide* gererent, & *conſtanter*. In eo officio haud brevi tempore perduravit; ſiquidem, ut refert Raynaldus ad annum 1347. cum Soldanus Babyloniæ Armeniam *magno furore* invaſiſſet, Clemens Pontifex de conſervando Chriſtiano Regno ſollicitus Franciſco Archiepiſcopo Cretenſi Apoſtolicæ Sedis Legato, & Præfecto claſſis in Turcas crucefignatæ mandavit, *ut ad retundendos Babyloniorum impetus, ac defendendos Armenos in Ciliciam vela explicarent*. Tradit Ughellus Tom. II. Italiæ Sacræ in Ravennatibus, Franciſcum Michaelium translatum ad Cretenſe Archiepiſcopatum, deinde etiam Patracenſi nobilitatum fuiſſe. Autumat inde Lequienius, Franciſcum nova translatione e Cretenſi ad Patracenſem Eccleſiam deductum fuiſſe, proindeque de ſuo addit, hoc accidiſſe anno 1349. eo quia Urſum Delphino reperit in Cretenſi Sede eo anno

no collocatum, & Ughelli verba de Patracenſi Archiepiſcopatu Franciſci Michaelis ſic intelligenda eſſe, ut viro de Eccleſia ob legationes optime merito & Cretenſibus infulis jam ornato, etiam Patracenſis titulus ad opes & decus additus fuerit, qui deinde geminas Eccleſias cum vita dimiſit anno 1349.

X. Urſus Delphinus Patritius Venetus, Rector primum Eccleſiæ S. Jacobi de Rivoalto, deinde Epiſcopus Juſtinopolitanus electus anno 1347. ex ea Sede ad Archiepiſcopalem Cretæ elevatur anno 1349. Ad Patriarchatum Gradenſem deinde promotum fuiſſe anno 1355. facilis aſſeruit Ughellus; ſiquidem Fortanerius Vaſſellus ſeu Vaſſallus Ordinis Minorum eo anno in Cathedra Gradenſi ſedebat, quam usque ad emortualem ejus annum 1361. occupavit, ut teſtatur Wadinghus in Annalibus Ordinis Minorum Tom. VIII. novæ Romanæ Editionis pag. 119. ubi ad annum 1356. Fortanerium Patriarcham Gradenſem enuntiat num. XX. *In Flaminia hoc anno* (Chriſti 1356.) *Fortanerius Patriarcha Gradenſis non impigre partes juvit Pontificias Ægidio cooperatus Legato*, ac deinde ejusdem citati Tomi pag. 150. ubi acta anni 1361. enarrare exorditur, hæc affert: *Hoc anno* (æræ vulgaris 1361.) *in quatuor temporibus decimo octavo Septembris Avenione Innocentius* (VI.) *Papa creavit Cardinales, atque inter hos Fratrem Fortanerium Vaſſellum Patriarcham Gradenſem multis laboribus in Eccleſiæ obſequium, & Italiæ pacem perfunctum.* Subdit deinde Clariſſimus Scriptor: *Avenionem proficiſcens in itinere Patavii obiit, ibidem ad Divi Antonii ſepultus.* Emendanda igitur ex illuſtri Minorita Hiſtorico erunt ea, quæ de translatione Urſi ad Gradenſem Sedem prolata ſunt, tum in Ughelli Italia ſacra, tum in Venetis Eccleſiis Illuſtratis, & deleta anni 1355. chronica nota, reponendus ipſius loco erit annus 1361.

Pontificiam quoque Legationem & Smyrnæ civitatis regimen ex Apoſtolico delectu ſuſcepit Urſus, at deinde Sancto Petro Thomæ tunc temporis Epiſcopo Coronenſi ex Innocen-

nocentii VI. mandato utrumque munus resignavit, ut refert Raynaldus in Historiis Ecclesiasticis ad annum Christi 1359. & notant Acta Sanctorum Tom. II. Januarii pag. 991. & 992. Hæc Urso Archiepiscopo demandata legatio ansam dedit Lequienio, ut alium notaret in serie Archiepiscoporum Cretensium Ursum secundum, quem tamen unum & eundem esse cum Urso Delphino manifeste cognoscimus.

Quæ in Creta, Metropolitanam Ecclesiam administrante Urso Delphino, egerit Divus Petrus Thomas Coronensis Episcopus ex officio Apostolicæ Legationis, ut execrandam hæresim ibidem pullulantem extingueret, fuse refert Philippus Mazerius Cancellarius Cypri in vita ejusdem B. Petri Thomæ, quam refert Bollandus Tom. II. Januarii ad diem XXIX. ejusdem mensis, ex qua etiam Raynaldus retulit in annalibus ad superius enuntiatum annum 1359. num. 19. Tantus enim Apostolicæ ejus constantiæ fructus fuit, ut *exuta penitus ex animis hominum impia hæresi, & Insula lumine fidei collustrata, ex Creta profectus sit cum omnium amore, & singulari benevolentia laudibusque innumeris. Inter eundum autem*, addit Philippus e Mazeriis, *per aliquam Cretæ urbem nomine Canilam* (fortasse Caneam, quæ est Cydonia) iter habuit, ubi jussit effodi cadaver defuncti cujusdam hæretici, *cujus ossa jussit igne cremari.*

XI. S. Petrus Thomas ex Ordine Carmelitarum Episcopus Coronensis Apostolicus in Græcia, Cypro, Creta & aliis orientalibus oris Legatus Urso Delphino ad Patriarchalem Gradensem Sedem evecto suffectus fuit in Cretensi Archiepiscopatu ab Urbano V. cui ea innotuerant, quæ pridem in ipsa Cretensi Insula adversus hæreticam pravitatem egerat Sanctus Episcopus. Electionem ipsius Avenione factam ex mox laudato Philippo de Mazeriis gestorum Sancti Petri Thomæ accuratissimo scriptore collegit Raynaldus, & in ecclesiastica Historia attulit ad annum 1362. *Comitante Rege Cypri Avenionem revertitur, ubi esset Curia Papalis, invenitque Urbanum eo nomine V. qui recenter creatus fuisset Pontifex, cui de-*

claravit quemadmodum perſuaſiſſet Regi Cypri, ut bellum moveret pro recuperanda Jeroſolyma, & ſanctum ejusdem propoſitum. Hoc valde fuit cordi Papæ, & ille conſiderans rectam vivendi conſuetudinem, & melius inſtitutum D. Petri Thomæ, ſummosque ſumptus, quos in legatione feciſſet, Archiepiſcopatum Cretenſem ei contulit in ſui ſtatus augumentum. Ipſum deinde adhibuit Pontifex, ut Italos Principes inita inter ſe pace ad evertendos Chriſtianæ fidei hoſtes accenderet. Sanctiſſimi Præſulis labores ex ſummo ſuo fidei Chriſtianæ zelo ſuſceptos, & ſancte prudenterque geſta recenſuit, & concinnavit ſuperius laudatus Philippus e Mazeriis Regii Scrynii in Cypro Præfectus & Cancellarius, ex cujus ſcriptis plurima hauſit Raynaldus, & in Annalibus apte diſpoſuit. Dum itaque apud Italiæ Principes Chriſti & Catholicæ fidei cauſam agit Petrus, Cretenſes Venetorum jugum excutere implorato Genuenſium auxilio conabantur, at Urbanus V. Pontifex maximus, cui tunc temporis nihil magis cordi erat, quam ut conjuncta Chriſtianorum arma ad conterendos Eccleſiæ & fidei hoſtes converteret, de pace inter Dominium Venetum & rebelles Cretenſes concilianda mandatum dedit *Petro Archiepiſcopo Cretenſi*, in ipſius *circumſpectione* confidens, *quod eosdem Candienſes ad debitam concordiam, & obedientiam revocaret*. Æquum eſt credere, ſanctum Epiſcopum nihil omiſiſſe, quo pervicaces Cretenſium animos ad obſequium flecteret; at in ſua pertidia obdurati victricibus potius Venetorum armis ſe mactandos offerre, quam ad veniam vocantium voces audire maluerunt.

Poſt hæc cum Talayrandus Cardinalis & Epiſcopus Albanenſis Apoſtolicæ Sedis in crucefignatorum caſtris Legatus extremum diem obiiſſet, Urbanus II. in ejus locum *Beatum Petrum Thomam belli ſacri authorem ex Cretenſi Archiepiſcopo creatum Patriarcham Conſtantinopolitanum ſubrogavit, clariſſimum doctrina, ſanctitate, miraculis, geſtisque apoſtolicis legationibus* inter alios Principes etiam *ad Venetos, ut pacis conſilia ipſis ſuaderet. Tum* (ita ex Philippi ſcriptis Raynaldus

ad

ad annum 1364.) *Urbanus Papa cognoſcens divinam in Petro Thoma virtutem elucere, ex ſententia Cardinalium maximam poſt Papatum totius Eccleſiæ militantis dignitatem ei ſolemniter contulit, videlicet Patriarchatum Conſtantinopolitanum, præterea adjecit ei Coronæ & Nigropontis Eccleſias ad vitæ ſuſtentationem, & inſuper eum conſtituit recuperandæ terræ ſanctæ Legatum.*

XII. Franciſcus Quirinus Nobilis Venetus ex Plebano S. Mariæ Formoſæ Venetiarum Epiſcopus Juſtinopolitanus electus anno 1349. in Cretenſi Archiepiſcopatu Sancto Petro Thomæ ad Conſtantinopolitanum Patriarchatum translato ſuffectus fuit. Translationem hanc peractam fuiſſe anno 1363. ſcribit Ughel. Tom. V. Italiæ Sacræ in Epiſcopis Juſtinopolitanis, quod correctione indiget; ſiquidem in apponenda chronica translationis nota mendum irrepſiſſe agnoſcimus ex documento quodam ad calcem Venetæ Ughel. editionis appoſito, quod Eccleſiam S. Matthæi de Pirano Juſtinopolitanæ Diœceſeos conſecratam oſtendit a Franciſco Quirino Juſtinopolitano Epiſcopo die Martis ſolemnitatis S. Georgii 24. (errorem Typographi corrige apponendo 23.) menſe Aprilis ſub anno Domini 1364. Indict. II. quæ Indictio ipſaque dies Martis incidens in diem 23. Aprilis Divo Georgio ſacram littera Dominicali currente G F manifeſto evincunt anno 1364. Aprile exeunte Juſtinopolitanæ Eccleſiæ adhuc præfuiſſe Franciſcum. Rem confirmat Lequienius ex quibusdam pacis formulis Bernabonem Mediolani Dominum inter, & Eccleſiæ fœderatos eodem anno 1364. die III. Maii datis, & a Raynaldo ad ipſum quoque annum num. 3. relatis, in quibus apparet Cretenſem Sedem tunc temporis tenuiſſe S. Petrum Thomam, in ipſius pacis tabulis cum titulo Archiepiſcopi Cretenſis enuntiatum; quæ omnia ſatis evincunt, Franciſcum Quirinum ad Cretenſem Eccleſiam translatum fuiſſe anno 1364. & ut ex Regeſto Vaticano notat Ughel. die V. Julii. Anno 1368. ad Patriarchalem Gradenſem Sedem aſſumptus fuit, ut jam probatum eſt in Eccl. Venet. Illuſtr. Tom. III. pag. 29.

Digitized by Google

Franciſco in Archiepiſcopali munere ſucceſſiſſe Urſum hujus nominis III. aſſerit Lequienius, ipſumque Archiepiſcopum ponit ad annum 1367. quo ipſe Urſus Archiepiſcopus Gerardum ex Ordine Eremitarum Sancti Auguſtini, Arienſis Eccleſiæ per negligentiam Canonicorum diutius vacantis, Epiſcopum ſua ordinaria authoritate renuntiavit. Ita Lequienius ex Thoma de Herrera aſſerente electionem illam ab Urbano V. irritam & inanem fuiſſe declaratam, ipſumque Gerardum Apoſtolica ipſius Urbani Pontificis authoritate inſtitutum fuiſſe Arienſis Sedis Epiſcopum dato Romæ diplomate die 8. Novembris anno ſuperius enuntiato 1367. Arguit proinde Lequienius Urſum a duobus homonymis, (quos ipſe affert,) præceſſoribus diverſum Eccleſiæ Cretenſi ipſo anno 1367. præfuiſſe; at re melius perſpecta, crediderim ego, vel Gerardum multo ante Apoſtolicam electionem ab Urſo in Epiſcopatu Arienſi conſtitutum fuiſſe, vel mendum in chronicis notis irrepſiſſe. Res erit ex Venetis documentis attentius exploranda. Anno 1367. die 31. Maii, ut ſuperius dictum eſt, vacavit Cretenſis Archiepiſcopatus per translationem Franciſci Quirini ad Patriarchatum Gradenſem; ab omni igitur fide alienum eſt, in iis pauciſſimis diebus, quæ inter XXXI. Maii & XXVIII. Julii percurrunt, electum fuiſſe Franciſci ſucceſſorem, Archiepiſcopatus poſſeſſionem iniiſſe, Gerardum Auguſtinianum ad Arienſes inſulas adlegiſſe, ejus electionis notitiam ad aures Urbani V. Papæ perveniſſe, indeque a Pontifice reſciſſam fuiſſe atque novam electionem ex Apoſtolicæ Sedis authoritate prodiiſſe.

Libet hoc loco Petrum quemdam Epiſcopum Cretenſem recenſere, qui ut ex lapideo documento habemus, anno MCCCLXVII. die XXV. Julii interfuit conſecrationi Venetæ Eccleſiæ Parochialis Sancto Caſſiano Epiſcopo, & Martyri dedicatæ. Vacabat quidem tunc temporis Archiepiſcopalis Cretæ Sedes; at huic Petro ipſam aſſignare ideo abnuo, quod nec in lapide Archiepiſcopali titulo inſignitus legitur, & ante ipſum minoris dignitatis Præſul, nempe Clodienſis

ſis Epiſcopus annotatur. Quum autem nullo modo poſſit Eccleſiæ Metropolitanæ aſſignari, putandum eſt, alicui ex ſuffraganeis Eccleſiis in Cretæ Inſula præfuiſſe. Lequienius tamen nullum in Cretenſibus Eccleſiis Epiſcopum affert Petri nomine connotatum, qui poſſit ad hæc tempora alligari.

Poſt Franciſci Archiepiſcopi translationem ad Gradenſem Patriarchatum nullam invenimus in publicis regeſtis peractam electionem in Senatu niſi ad diem XV. Februarii anni 1367. ad morem Venetæ Civitatis computati, æræ videlicet vulgaris 1368. ut notant codices Cancellariæ Ducalis, in quibus hæc habentur.

MCCCLXVII. Die XV. Februarii.

„ Quod ad Archiepiſcopatum Cretenſem poſſint ſcribi lit-
„ teræ Domino Papæ & Cardinalibus & aliis in illa forma,
„ quæ videbitur Dominio pro illo de infraſcriptis, qui ha-
„ bebit plures Ballotas.

Exhibiti itaque fuerunt ſex viri, ex quibus unus eligeretur, qui fuerunt Joannes Lauredanus Ducalis Baſilicæ Primicerius, Gibertus Georgius Ord. Præd. Epiſcopus Parentinus, Nicolaus Fuſcarenus Epiſcopus Folienſis, ſeu ut alibi legitur Foliæ Novæ, Marinus Michael Epiſcopus Æmonienſis, Marcus Valentinus Licentiatus in jure Canonico, & Frater Ludovicus ab Arboribus Ord. Minorum Magiſter in ſacra pagina. Collatis itaque P. C. ſuffragiis electus fuit ex potiori ipſorum numero Frater Ludovicus de Arboribus, cui tamen collatam non fuiſſe a Pontifice dignitatem arguimus ex alio ejusdem Cancellariæ documento hæc afferente:

MCCCLXVIII. Die XXII. Martii.

„ Quod pro illo de infraſcriptis qui habebit plures bal-
„ lotas poſſint ſcribi litteræ ut perficiatur Archiepiſcopus
„ Cretenſis in caſu quo Magiſter Ludovicus, pro quo jam

ſcri-

„ ſcriptum eſt, non poſſit obtinere Archiepiſcopatum præ-
„ dictum.

Ex propoſitis ad publica ſuffragia, qui fuerunt Joannes Lauredanus Sancti Marci Venetiarum Primicerius, Gibertus Georgius, & Marinus Michael Epiſcopi ſuperius enuntiati, Marcus Valentinus, Petrus Natalis, & Ludovicus Leonus Presbyteri Veneti, electus fuit Joannes Lauredanus, cujus tamen electionem Pontificia confirmatio non eſt inſequuta.

XIII. Antonius Niger ſeu de Nigris Venetus, Decanus primum Eccleſiæ Cretenſis, mox Epiſcopus Tergeſtinus electus anno 1350. ad Archiepiſcopalem Candiæ Sedem translatus fuit ab Urbano V. anno 1368. die 15. Januarii. Adnitebantur per ea tempora nonnulli Græci ſacerdotes vetus ſchisma in Creta Inſula renovare, cui pullulanti malo ut obviaret Urbanus Pontifex datis Archiepiſcopo Cretenſi ejusque ſuffraganeis anno 1369. die 28. Julii apoſtolicis litteris mandavit, ut quilibet ipſorum in ſua Diœceſi inhiberet, ne aliquis Cretenſis de cætero ad Clericalem ſtatum, ſeu ad quoscunque ordines promoveretur, *niſi per Latinum Epiſcopum, aut Græcum catholicum*, & clerici ſic ordinati *miſſas & alia divina Officia juxta ritum, quem Romana ſervat Eccleſia celebrare* tenerentur. Diploma apud Montem Flaſconum datum vulgavit Raynaldus ad annum 1369. num. 20.

Quum autem in Pontificiæ hujus ſanctionis contemptum nonnulli ex Græcis ſchismaticis ad Archiepiſcopos *in partibus Turchiæ* commorantes ſe conferrent, ut ab eis in eccleſiaſticam hierarchiam aſſumerentur, ac deinde poſt alios gradus ſacro Presbyteratus ordine inſignirentur, gravi Senatus decreto *tam provide, quam catholice ordinatum* fuit, *quod nullus ſchismaticus Epiſcopus in inſula reciperetur, quodque nullus ſchismaticus dictæ Inſulæ exiret de illa, a ſchismatico Epiſcopo exiſtente extra ipſam Inſulam, quoscunque ordines recepturus*. Hoc aliquandiu viguit, attamen fluxu temporis nonnulli ex ſchismaticis Cretenſibus aſſiduam Præſidum Venetorum indaginem effugientes, ſe ab Inſula clam ſubtrahere

here cœperunt, ut ab Episcopis schismaticis sacerdotio initiarentur, reversique deinde in patriam mortale schismatis venenum in laicis quoque viris seu instillare, seu fovere nitebantur. Hæc cum ad Gregorium XI. Pontificem, cui nihil antiquius erat, quam ut hæreses, & schismata a regnis catholicis eliminaret, delata fuissent, apostolicas Andreæ Contareno Venetiarum Duci epistolas dedit die 27. Octobris anno sui Pontificatus III. Christi videlicet 1373. in quibus laudato Reipublicæ studio *circa extirpationem hæresum & schismatum ac ampliationem catholicæ fidei*, enuntiatoque laudabili Senatus Decreto, Ducem ipsum rogavit *attentius*, quatenus *ob reverentiam Dei, & zelum fidei dictum sanctum statutum per pœnas condignas faceret inviolabiliter observari*. Ex hoc *Græci iidem* Reipublicæ *subditi* (opportune considerat prudens Pontifex) *eo fideliores* suo Principi *reddentur, quo* cum ipso *& cum aliis Latinis catholicis strictiori* nexu professionis ejusdem fidei *obligati erunt*. Ducem etiam ipsum enixe obtestatus est, *ut per se suosque officiales, quos in dicta Insula* haberet, *pro conversione Græcorum schismaticorum, & tutela & conservatione eorum*, qui ad Ecclesiæ unitatem & dogmata conversi erant, vel converterentur, *devotis & sollicitis studiis operaretur*, ut Cretensis *Insula inveteratis schismate ac hæresibus* expurgata redderetur. Renovata igitur lege, Cretenses viri ad schismaticos Episcopos extra insulam confugientes exilio aliisque pœnis mulctati fuerunt, cujus rei exemplum superius protulimus in Græcis Archiepiscopis.

XIV. Petrus Cretæ Archiepiscopus cum ad suam Ecclesiam, a qua absens erat, licet a Gregorio XI. per encyclicas litteras paterne admonitus, redire, & in ea residere negligeret, gravissimas ejusdem Pontificis epistolas accepit, quibus sub anathematis pena ei præcipiebatur, *ut gregem suum evolvendo ab acceptis litteris mense præsens curaret. Desiderabatur* (ita Raynaldus anno 1375. num. 25.) *eo magis Petri præsentia ad Ecclesiam Cretensem sustentandam, quo plures in eam abusus irrepserant, eamdemque schismatici quatere nite-*

nitebantur : conferebatur enim Græcis Schismaticis Eccleſiarum adminiſtratio, ſacerdotiorumque vectigalia locabantur ; ex quo cum graviora incommoda emergerent, Pontifex incuſſo anathemate, ipſos ab hujusmodi muneribus deturbari juſſit. Præterea ad diſcutiendas ignorantiæ tenebras ſingula fidei orthodoxæ capita in luce & omnium oculis collocavit transmiſſis ad Cretæ Inſulæ Epiſcopos Catholicos litteris, quos ampliſſima inſtruxit authoritate, ut ſchismaticos cenſuris ſolutos Eccleſiæ gremio, priſtinisque juribus, & dignitati reſtituerent. Apoſtolicas epiſtolas Archiepiſcopo Cretenſi, & Epiſcopis Kironenſi, Sitienſi, Arcadienſi, Calamonenſi, Agrienſi, Kiſſimenſi, Canticenſi, Arienſi, & Milopotamenſi datas Avenione die 17. Aprilis anno 1375. affert loco & anno citatis accuratiſſimus Raynaldus.

XV. Chriſtophorus Gallina circa hæc tempora Archiepiſcopatui Cretenſi præfuit, ut arguitur ex S. C. anni 1388. in quo memoratur *Reverendæ memoriæ Domin. Chriſtophorus Gallina Archiepiſcopus Cretenſis*. Decretum ex integro aſferimus:

MCCCLXXXVIII. Die XIV. Julii in Rogatis.

„ Quod in favorem diſcreti viri Fr. Antonii Gallina Or-
„ dinis Sancti Georgii Majoris Nepotis quondam Reveren-
„ dæ Memoriæ Domini Chriſtophori Gallina Archiepiſco-
„ pi Cretenſis, qui eſt deputatus per Dominium ad guber-
„ nationem Monaſterii Sancti Antonii Viennenſis poſſint ſcri-
„ bi literæ Domino Papæ, & Cardinalibus, & aliis in for-
„ ma, quæ videbitur Dominio, ut perficiatur Prior dicti
„ loci Sancti Antonii.

Anno 1383. vacaſſe Archiepiſcopalem Cretæ ſedem ex eo deducitur, quod Senatus omni ſtudio agendum eſſe decreverit, ne quidam Epiſcopus ex Ord. Minorum ſibi minus gratus aſſumeretur. Hæc ſunt S. C. verba.

MCCCLXXXIII. Die VIII. Julii in Rogatis.

„ Quod poſſint ſcribi litteræ Dom. Papæ & Cardinalibus,
„ & aliis quibus videbitur in illa efficaci forma, quæ vi-
debitur

Digitized by Google

„ debitur Collegio pro honore noſtri Dominji ad turbandum „ quod non ſit Archiepiſcopus Cretenſis quidam Frater Mi„ nor Magiſter Nicolaus Epiſcopus Panormi, qui nullo mo„ do acceptus eſt noſtro Dominio onerando iſtum factum, „ quantum fieri poterit.

De hoc Franciſco Siculo Ordinis Minorum Epiſcopo Panormitano, tradit Rochus Pyrrhus in Sicilia Sacra, gravibus injuriis a Manfredo Claramontano Motycæ Comite læſum e Sede ejectum fuiſſe, atque coactum abdicaſſe ſe Archiepiſcopali dignitate, quam fruſtra deinde recuperare tentavit. Tempus, quo expulſus fuit Nicolaus Archiepiſcopus notatur in margine Tom. I. Siciliæ Sac. col. 163. eſtque annus 1383. ex quo jure arguimus, ipſum Nicolaum e Panormitano throno deturbatum apud Pontificem egiſſe, ut in Archiepiſcopatu Cretenſi collocaretur.

XVI. Antonius Contarenus Patrem habuit Zachariam, qui apud Allobrogum Ducem pro Venetis Orator, pacem inter Venetos & Januenſes ineundam ſummopere promovit firmavitque. Eccleſiaſticæ militiæ adſcriptus Epiſcopatum Arienſem in Creta adminiſtrandum ſuſcepit, a quo deinde translatus fuit anno 1385. ad Archiepiſcopalem Inſulæ Sedem. Annus in quo Antonius Metropolitas inſulas obtinuit, clare patet ex regeſtis authenticis Cancellariæ Ducalis Venet. cum enim die 3. Januarii anno 1385. ad morem Venetæ urbis, qui Chriſti eſt annus inceptus 1386. in Comitiis Rogatorum ageretur de Urbani Patriarchæ Gradenſis ſucceſſore deligendo, inter alios, qui publicis P. C. ſuffragiis oblati fuerunt, recenſetur Antonius Contareno his verbis: *Rev. Pater Dom. Anthonius Contareno ſ. Zachariæ Epiſcopus Arienſis nunc translatus ad Archiepiſcopatum Cretenſem*. Orationem, quam in Veneto Sancti Stephani Templo de laudibus Andreæ Contareni Ducis Venetiarum, ſui, ut ipſe teſtatur, affinis Antonius habuit coram Senatu in ſolemni ipſius Ducis funere, appoſita legitur ad calcem ms. Chronici, quod de Venetis rebus contexuit Joannes Jacobus Caroldus Xviralis Conſilii a

ſecretis, cui quidem funebri panegyri hæc verba præpoſuit: *Adi 5. di Giugno 1382. a hore 22. paſsò a miglior vita* (il Doge Andrea Contarini) *il cui corpo accompagnato dalla Ducal Signoria e da tutto il Senato con gran ſollenità e pompa fu condotto alla Chieſa di S. Steſano delli Frati Heremitani, dove celebrate l' eſequie Miſ. Antonio Contarini figliolo di Miſ. Zaccaria di S. Caſſan* (qui ſolemniis, ut Antonius in oratione notavit, intererat) *Arciveſcovo di Candia di dottrina, e di ottimi coſtumi ornatiſſimo ſopra un pulpito fece l'orazione a queſto modo*: Oratio moderatæ ſatis eloquentiæ incipit: *Si deve molto lodare*; definit autem: *eſſendo hormai venuta l'hora, che andiate a ripoſare*. Quod autem Caroldus Antonium loquentem aſſerat Archiepiſcopum Cretenſem, ita intelligendum eſt, ac ſi diceret, *Antonio Contarini di Miſ. Zaccaria di S. Caſſan che fu poi Arciveſcovo di Candia fece l'orazione*; certum enim compertumque habemus ex ſuperius allatis, eum non niſi anno 1385. ad Archiepiſcopatum Cretenſem evectum fuiſſe. Parum ei Eccleſiæ præfuit; obiit enim vel exeunte anno 1386. vel circa inſequentis anni 1387. exordia, ſiquidem eodem anno 1387. die 16. Martii coacta ſunt Venetiis Comitia Rogatorum, ut Archiepiſcopus eligeretur Eccleſiæ *Cretenſis vacantis per obitum Antonii Contareni olim Archiepiſcopi*.

XVII. Leonardus Delphinus Civitatis novæ in Venetis æſtuariis Epiſcopus ad Archiepiſcopatum Cretenſem per Veneti Senatus ſuffragia aſſumptus fuit anno 1387. die 26. Martii, cujus electionis a Pontifice deinde confirmatæ documentum dedimus Tom. XIII. Eccl. Ven. Illuſtr. pag. 464. in quo nomina eorum enuntiantur, qui exhibiti fuerunt *ad probam Archiepiſcopatus Cretenſis vacantis per obitum Reverendi Patris Dom. Anthonii Contareni olim Archiepiſcopi*. Dum ſextum vix inchoatum in Archiepiſcopatu ſuo ageret annum Leonardus, ad patriæ epiſcopalem Sedem per obitum Franciſci Faletri vacantem evocatur anno 1392. die 29. Aprilis. Eccleſiæ Caſtellanæ novennio præbuit, Patriarchalem

vero

Digitized by Google

vero Alexandriæ titulum obtinuit relicto Epiſcopatu Caſtellano anno 1401. nulliusque Eccleſiæ curam geſſit hoc inſignitus titulo, donec evocantibus P. C. ſuffragiis, quibus aſſenſit Romanus Pontifex, iterum ad Cretenſem cathedram, in qua jam ſederat, reſtituitur anno 1408. die XIV. Sept.

XVIII. Marcus Juſtinianus Nicolai S. Marci Procuratoris filius, Angelo Corrario tunc Caſtellano Epiſcopo in Generalis Vicariatus officio deſerviit anno 1386. quod munus cum laudabiliter ageret, eodem anno ad Patriarchalem Gradenſem Sedem propoſitus fuit, in Rogatorum Comitiis hoc modo: *Venerabilis Vir Dom. Marcus Juſtiniano qu. Domini Nicolai Procuratoris Vicarius Dom. Epiſcopi Caſtellani peritiſſimus in jure Canonico*. Quamvis autem ad eam dignitatem aſſumptus non fuerit, tamen paulo poſt ad Coronenſem Eccleſiam delectus fuit, ut exploratum habemus ex regeſtis Cancellariæ Ducalis, in quibus ad annum 1387. die 26. Martii *Reverendus in Chriſto Pater Dominus Marcus Juſtiniano qu. ſ. Nicolai Procuratoris Epiſcopus Coronenſis* enuntiatur inter eos, *qui ſe fecerunt ſcribi ad probam Archiepiſcopatus Cretenſis*. Leonardo Delphino ſucceſſit deinde Marcus Juſtiniano Epiſcopus Coronenſis, ut teſtantur publica Cancellariæ Ducalis regeſta, ex quibus etiam habemus, quod anno 1392. die 19. Martii *Rev. Pat. D. Marcus Juſtinianus Archiepiſcopus Cretæ* propoſitus fuit in Senatu, dum de Epiſcopi Caſtellani electione ageretur. Hoc iterum actum eſt anno 1405. die ultimo Julii, cum Senatus electionem peragereret Epiſcopi Veronenſis. Obiit eodem anno 1405. ad finem vergente.

XIX. Franciſcus Pavonius ſeu de Pavonibus Civis Ven. Eccleſiæ Kyronenſis Epiſc. dum Venetiis degeret anno 1404 die 30. Octobris epiſtolam miſit Joanni de Fuſco Bononienſi Innocentii VII. Secretario pro commendatione Ordinis S. Dominici de Pœnitentia, quam in ſuo Tractatu de origine ejusdem Ordinis attulit B. Thomas Antonii de Senis, ut videre eſt in Eccl. Venet. Illuſtr. Tom. VII. pag. 78. Ab ipſo Pontifice Innocentio VII. translatus fuit ad Archiepiſcopa-

Digitized by Google

lem Sedem Cretenſem, quæ per obitum Marci Juſtiniano vacaverat, quam quidem electionem Veneto Senatui gratam accidiſſe teſtantur Michaelis Steno Ducis Venetiarum epiſtolæ ad Antonium de Luſchis Civem & Oratorem Venetum ad Apoſtolicam Sedem deſignatum, in quo diplomate anni 1406. diei 19. Junii hæc habentur: " Sanctitas ſua infor-
„ mata fuit per Petrum de Gualfredinis Secretarium ſuum
„ de multis non veris, & ſpecialiter quod Dom. Franciſcus
„ Pavonus, qui erat Epiſcopus Chironenſis nunc translatus
„ & prolatus ad Archiepiſcopatum Cretenſem erat attinens
„ & propinquus noſtri Ambaſciatoris, & quod ipſe noſter
„ Orator procurabat, & affectabat translationem & promo-
„ tionem prædictam de conſcientia & voluntate noſtra &
„ amore parentellæ jam dictæ. Quæ quidem quia vera num-
„ quam fuerant, & quoniam numquam dicto noſtro Ora-
„ tori aliquid injunximus de dicto Dom. Franciſco Pavono,
„ nec ipſe Dom. Franciſcus eſt attinens nec propinquus di-
„ cti tunc noſtri Ambaſciatoris. Et ſi ipſe noſter Ambaſcia-
„ tor oretenus dixit Sanctitati Suæ, nobis fuere diſplicibi-
„ le & moleſtum non reſpectu promotionis dicti Dom. Fran-
„ ciſci Pavoni ad Archiepiſcopatum Cretenſem, quod vere
„ nobis placet, ſed reſpectu non vere informationis datæ
„ per dictum Petrum de Gualfredinis Sanctitati Suæ.

In ipſis ſuæ dignitatis exordiis memor, quæ pro Ordine Fratrum de Pœnitentia Sancti Dominici pridem ſcripſerat, ipſum Ordinem ejusque benefactores ſacro indulgentiarum munere ditavit, ut in citato Beati Thomæ tractatu fuſe legitur. Datum fuit Archiepiſcopale diploma *Venetiis in domo habitationis* ipſius Epiſcopi, *quæ dicitur de Cha Pavone de Contrata Sancti Martialis Anno Domini* 1406. *Indictione XIV. die* 12. *Menſis Martii*.

Anno a translatione ſua ſecundo extremum diem obiiſſe colligitur ex Notatoriis Ducalis Cancellariæ, quæ electionem afferunt Archiepiſcopi Cretenſis anno 1407. die 18. Octobris in Concilio Rogatorum peractam, ea autem eſt.

1407.

Digitized by Google

1407. *Die* 18. *Octobris*. *In Rogatis*.

„ Infraſcripti ſe fecerunt ſcribi ad probam Archiepiſco-
„ patus Cretenſis.
„ Ven. Vir Fr. Nicolaus Cornario Ord. Minorum Miniſter
„ Provinciæ Romaniæ ſeu Terræ Sanctæ.
„ Rev. Pater Dom. Vitus Memmo Epiſc. Polenſis Decre-
„ torum Doctor.
„ Rev. Pat. Dom. Leonardus Delphino Patriarcha Ale-
„ xandrinus.
„ Rev. Pat. Dom. Joannes Lombardo Epiſc. Parentinus.
„ Ven. Vir Fr. Joannes Benedicto Ord. Prædicatorum.

Copioſis itaque ſuffragiis delectus fuit præ cæteris Frater Nicolaus Cornario, de cujus tamen electione incertum eſt, an Pontificiæ confirmationis robur acceperit. Illud ex iisdem Cancellariæ regeſtis innoteſcit, anno inſequenti rurſus actum eſſe bis in Senatu, de Archiepiſcopo Cretenſi deligendo. Documenta electionum, quæ menſibus Aprilis & Septembris peracta fuerunt, ex citatis Notatoriis afferimus.

1408. .... *Aprilis*. *In Rogatis*.

„ Infraſcripti ſe fecerunt ſcribi ad probam Archiepiſcopa-
„ tus Cretenſis.
„ Rev. Pat. Dom. Leonardus Delphino Patriarcha Ale-
„ xandrinus.
„ Fr. Joannes Benedicto Ord. Prædicatorum.
„ D. Petrus Corrario Ord. Frat. Minorum Epiſc. Coroni.
„ Magiſter Ludovicus Bollani Ord. Servorum B. M. V.
„ Rev. P. D. Guidus Memmo Epiſc. Polæ.
„ Rev. Pat. Dom. Joannes de Putheo Epiſcop. Civitatis
„ Caſtelli.
„ Ven. Vir Dom. Ludovicus Barbo Prior Sancti Georgii
„ de Alga.

Quinam ex ſupraſcriptis ad Archiepiſcopale munus delectus

ctus fuerit incompertum eſt, cum in citatis notatoriis deſcripta non ſint collata viris ſuffragia.

Duas itaque electiones habemus annis 1407. & 1408. in Comitiis Rogatorum peractas, quæ Eccleſiam Cretæ Archiepiſcopalem brevi temporis intervallo bis ſuo Paſtore orbatam fuiſſe oſtendunt. Gravibus itaque adducti conjecturis ad hæc tempora Marcum Marinum Archiepiſcopum Cretenſem aſſignamus, cujus licet ignorentur electionis & obitus tempora, tamen circa initia ſæculi XV. vixiſſe ex ipſius familiæ genealogia addiſcimus.

XX. Marcus Marinus Archiepiſcopus Cretenſis, cujus nomen & memoria in ms. codice Venetarum inſcriptionum ſepulcralium recenſentur, ubi enim epigraphes notantur in Eccleſia S. Stephani de Muriano collocatæ, inter eas hæc legitur:

„ Aloyſius & Marinus de Marinus ambo Senatus Veneti
„ Secretarii memoriam Marci Marini magni patrui Cretæ
„ Archiepiſcopi, atque Antonii & Joannis Equitum Jeroſo-
„ lymitanorum nomen renovaturi ſaxum hoc erexerunt an-
„ no a Chriſti nativitate MDXXX. die XII. Menſis Octob.

Num pedibus prætereuntium oblitterata inſcriptio, vel ſaxum aliqua de cauſa ablatum fuerit, prorſus ignoro. Inſcriptioni fidem augent regeſta in Tabulario gentis Marinæ aſſervata, in quibus habetur Antonius de Marinis a Secretis Veneti Senatus anno 1420. cujus filii fuere Reverendiſſimus Marcus Archiepiſcopus Cretæ, Georgius, Ambroſius, & Peregrinus.

Poſt ſuperius enuntiata S. C. in quibus actum eſt de Archiepiſcopo Cretæ deſignando, aliud deinde ſuccedit eodem ſupra recenſito anno 1408. die 14 Septembris, eadem de cauſa peractum, quodque ex publicis regeſtis exhibemus.

1408.

Digitized by Google

1408. *Die* 14. *Septembris. In Rogatis.*

„ Infraſcripti ſe fecerunt ſcribi ad probam Archiepiſco-
„ patus Cretenſis.
„ Rev. Pater Dom. Antonius Corrario qu. ſ. Petri Epiſc.
„ Æmonienſis.
„ Fr. Clemens de Renerio qu. ſ. Nicolai Prior S. Crucis
„ de Padua.
„ Rev. Pater Dom. Leonardus Delphinus Patriarcha Ale-
„ xandrinus.

Quum itaque Leonardum Delphinum elegiſſet Senatus, ipſamque electionem Apoſtolica authoritate approbaſſet Gregorius XII. in antiquam Sponſam, Archiepiſcopalem Eccleſiam, quam ſexdecim antea annis dimiſerat, reſtituitur Leonardus. Ad gregem tamen ſuum vel amore patriæ habitationis allectus, vel alia de cauſa, ſe conferre adeo diſtulit, ut illaudabilis dilationis pertæſus Senatus, ei gravi mandato præceperit, ne rèditum ſuum ad Eccleſiam ſibi creditam diutius protraheret. S. C. legimus in Cancellariæ Ducalis regeſtis ſignatum.

1411. *Indict. IV. Die* 10. *Maii.*

„ Preterea quia requiritur ut Dom. Archiepiſcopus, cui
„ jam dictum eſt vigore partis capte in Rogatis, quod de-
„ beat recedere, & in Candia ad ſuum Archiepiſcopatum
„ ire, alioquin quod ſcriberetur Domino Pape, ut digne-
„ tur providere de alio Prelato, committi debeat eidem
„ quatenus ad dictum tempus, quod eſt per totum men-
„ ſem Junii debeat etiam receſſiſſe de Venetiis pro eundo
„ ad Archiepiſcopatum ſuum, alioquin ex nunc captum ſit,
„ quod per Regimen noſtrum Candide cui hoc committa-
„ tur debeant ſequeſtrari, & intromitti omnes redditus &
„ proventus Archiepiſcopatus predicti, & nihil dare, vel
„ dari facere Archiepiſcopo, ſed debeant teneri, quousque
Dom.

„ Dom. Papa cui ſcribi debeat, & ſupplicari ſuper promotio-
„ ne Archiepiſcopi, providerit de alio novo Archiepiſcopo in
„ civitate predicta, & ad eandem ſtricturam ſit etiam ſa-
„ ctum Dom. Archiepiſcopi, ſicut de Rectoribus dictum eſt.

Tanto itaque impulſu excitatus Leonardus omni cunctatione ſuperata ad Cretenſem Eccleſiam properavit, quam præſens usque ad emortualem ipſius annum 1415. adminiſtravit.

Nuntium de obitu Leonardi Archiepiſcopi cum accepiſſet Senatus, de ſucceſſore ejus deligendo agendum illico eſſe decrevit. Quatuor, ut ex regeſtis Cancellariæ Ducalis habemus, exhibiti ſuerunt, ut ajebant, *ad probam*, in quem tamen ex iis potior P. C. numerus aſſenſerit, incompertum eſt, ſiquidem electionis documentum appoſitis caret ſuffragiis.

1415. *Die 17. Aprilis. In Rogatis.*

„ Infraſcripti fecerunt ſe ſcribi ad probam Archiepiſco-
„ patus Cretenſis vacantis per obitum Rev. in Chriſto Pa-
„ tris Dom. L. Delphino.

„ Rev. Pat. Dom. Blaxius de Molino Epiſc. Polæ.

„ Dom. Jacobus Baduarius filius Nob. Viri ſ. Jeremiæ Ba-
„ duario nunc ſtudens in Decretalibus.

„ Rev. Pat. Dom. Antonius Corrario Epiſc. Cenetenſis.

„ Rev. Pat. Dom. Bartholomæus de Canali, Prior S. An-
„ tonii de Venetiis.

Neminem ex his Archiepiſcopatum Cretenſem obtinuiſſe pro certo ſcimus: quapropter ſi ea attendenda eſſent, quæ affert Ughel. Tom. V. Italiæ Sacræ col. 455. Venet. edit. de Petro Marcello Epiſcopo Patavino, nempe quod ſub Martino V. Pontifice fuerit etiam Cretenſis Archiepiſcopus, licet Epiſcopatu Patavino, & Apoſtolicis Legationibus occupatus, ipſum Petrum Marcellum in ſerie Cretenſium Archiepiſcoporum, (quod egit Lequienius) ponere neceſſe eſſet. Verumtamen cum nullum afferat Ughellus de hoc aſſerto Petri Marcelli

Digitized by Google

celli Archiepiſcopatu vel authorem, vel documentum, haud inveriſimiliter inducor, ut putem virum clariſſimum æquivoco deceptum geminos Petros Marcellum & Donatum, qui in Epiſcopatu Patavino alius poſt alium ſederunt, etiam in Cretenſi Sede ſimili prorſus modo collocaſſe. Probabilius itaque afferendum cenſeo, neminem a Leonardo Quirino in Eccleſia Cretenſi ſediſſe Antiſtitem, niſi eum, de quo ſequitur mentio.

XXI. Petrus Donatus Nicolai filius poſt exactam in optimis ſtudiis adoleſcentiam, Juris utriusque & Philoſophiæ lauream in Patavino Licæo laudatiſſime prometuit. Clericali militiæ adſcriptus a Gregorio XII. Prothonotariatus Apoſtolici dignitatem obtinuit, mox a Martino V. in ipſo ferme ſui Pontificatus exordio ad Archiepiſcopalem Candacis civitatis Sedem aſſumptus fuit, quo inſignitus titulo anno 1418. panegyrim funebrem habuit in Cathedrali Patavina de laudibus Franciſci Cardinalis Zabarellæ Civis Patavini paulo antea defuncti, ut ex ipſius orationis titulo colligitur: *Oratio habita ab Archiepiſcopo Cretenſi in exequiis Domini Franciſci de Zabarellis*. In ea autem Patavii civitate, in qua doctrinæ ſuæ rudimenta hauſerat, aliquandiu commoratus eſt, ut arguitur ex oratione, quam *Jupiter* quidam *Reſta Nobilis Mediolanenſis* habuit in gratiarum actionem dum inſignia Doctoratus in Patavino Gymnaſio exciperet. Primum enim Petro Marcello ejus urbis Epiſcopo, mox Andrea Zanio Pretori, & Bartholomæo Storlato Præfecto, ac deinde Studii ipſius Rectoribus, demum Petro Archiepiſcopo Cretenſi ibidem præſenti grates retulit his verbis: *Quinto loco accedo ad ornatiſſimum, atque omni laude præſtantem Dominum Petrum Donatum Pontificem Cretenſem integerrimum, cui tanta dicendi copia & facultas, tanta Juris Pontificii cognitio & doctrina, cui denique tanta omnium bonarum artium eruditio, ut omnium oculos in ſe convertat*. Quod anno 1419. recitata fuerit hæc Oratio, ex Præſidum Venetorum nomine colligimus, ſiquidem, ut ex publicis regeſtis patet, eodem anno Prætoria

ria Zanii, & Præfectitia dignitas Storlati optime conveniunt.

Orationem Petri Donati, quam in laudem Papæ recitavit, dum Cretenſes Infulas geſtaret, memorat in epiſtola ad Benedictum Papam XIV. quæ eſt X Decadis Primæ, ampliſſimus S. R. E. Cardinalis Angelus Maria Quirinus, diverſum tamen opinante Clar. Viro Joanne de Auguſtinis, qui in vita Petri Donati ex quibusdam ipſius orationis verbis autumat, coram Gregorio XII. prolatam fuiſſe in gratiarum actione pro collato in Petrum Donatum Apoſtolico Prothonotariatu. Utcumque res ſe habeat de tempore quo recitata fuit, quum in exemplari apud eruditiſſimum virum Annibalem de Abbatibus Oliveriis Piſaurenſem Patritium inſcribatur: *Petri Donati Prothonotarii, ac Cretenſis Archiepiſcopi Oratorio in laudem Papæ;* eam (quam ineditam mihi perſuadeo,) hic ad gloriam ſui authoris afferre decrevi.

„ Petri Donato Prothonotarii ac Cretenſis Archiepiſcopi
„ Oratio in laudem Papæ. Non vereor, Pater Beatiſſime,
„ cum & hoc loco ad dicendum ampliſſimo, & apud tuam
„ Beatitudinem conſtitutum me videam, poſſe ullo pacto ora-
„ tionem mihi deeſſe. Cum enim potentiſſimi Reges & ſum-
„ mi Principes & ſupplicandi & viſendi gratia ſæpiſſime te
„ conveniant, ſe tibi pro eorum officio ſatisfeciſſe arbitran-
„ tur, ſi res a te divinitus geſtas quadam cum admiratio-
„ ne dicendo profequantur. Idem omnes quotquot ante hunc
„ diem, quid de tua Sanctitate ſentiant, quantamve oppor-
„ tunitatem ex hoc divino Pontificatu tuo Eccleſiæ Dei ſæ-
„ penumero attuleris, & infinitum allaturus ſis intelligant
„ magno dicendi ſtudio te præſente atque audiente ſatis ex-
„ preſſerunt. Mihi autem Pater Sanctiſſime apud tuam Bea-
„ titudinem nunc agenti haud ſcio, an multo magis, quam
„ his, quos ante dixi, hæc ipſa orandi conſuetudo ſectan-
„ da eſſet; nam cum in tanta difficultate rerum ac tem-
„ porum tua in me benevolentia cum magnitudine rerum
„ tuarum in dies creſcat, a nullo certe dignius tua hæc

immor-

„ immortalia facta, quam a me uno prædicari, atque or-
„ nari conveniret. Sed cum hic locus ſæpe alias ſit ab op-
„ timis Oratoribus magnifice ac ſplendide tractatus, vereor
„ ſi infra dignitatem tuam dixero, potius rerum a te ge-
„ ſtarum admirationi a me detractum, quam gloriæ tuæ
„ aliquid additum videatur. Patieris ergo " (*ex his verbis optime arguit ſupra laudatus Pater Auguſtinius orationem hanc Gregorio XII. inſcriptam fuiſſe.*) " Divine Pontifex,
„ ſi tantum id attingam, quod ab officio meo, & maxima
„ in me clementia tua non eſt alienum, me, ſcilicet, pro
„ innumerabilibus meritis tuis in me, ac in familiam meam
„ collatis, quas potero gratias agere. Non parum me ti-
„ bi debere exiſtimo, Maxime Pontifex, qui cum ab ineun-
„ te ætate Religioni me, & Divino cultui dare inſtituiſſem,
„ ſic propoſitum meum juveris, ut non tantum me magno
„ Eccleſiæ loco & egregio collocaveris, ſed etiam ad me-
„ lius ſperandum excitaveris. Ego vero Pater Beatiſſime "
(*hoc dicendi modo & dignitatem Archiepiſcopatus Cretenſis ex Pontificis munificentia acceptum, & ſtudiorum ſuorum rationem teſtaſſe Petrum Donatum, ſcribit Cardinalis Quirinus in citata Epiſtola*) " cum ſæpe mecum animo repeterem,
„ quam ſatis dignam poſſem pro tuis immortalibus in me
„ beneficiis gratiam referre, nihil aliud occurrebat, quod
„ tuæ Sanctitati futurum gratius ſperarem, quam ſi me
„ dignum efficerem, cui aliquam curarum tuarum commit-
„ teres. Hæc me ratio adhortata eſt, ut me totum his
„ ſtudiis darem, quæ vel ad dignitatem rerum agenda-
„ rum vel ad æternitatem nominis tui accederent, conſti-
„ tueramque tuam Sanctitatem non prius adire, quam me
„ his artibus & diſciplinis ornaſſem, quas tuæ Divinæ Sa-
„ pientiæ ſemper placuiſſe intellexeram. Sed cum tua in
„ me clementia nuper ad ſe excitaverit, nolui tuum ſan-
„ ctiſſimum propoſitum negligere. Quæ apud me optima
„ erant ad te detuli, ſcilicet in te reverentiam, fidem,
„ obedientiam, ipſum denique animum ad omnia, quæ San-

Digitized by Google

„ ctitas tua jusserit, ardentissimum. Et quia tempus illud „ evenisse intelligo, quo de summa rerum agendum sit “ (*hæc etiam verba Gregorio XII. magis, quam Martino V. congruere notat erudite P. Augustinus*) “ ea conditione ad pe- „ des tuæ Sanctitatis accessi, ut neque laboribus, neque pe- „ riculis meis parcas, si quid est quod vel ad statum Eccle- „ siæ per te confirmandum, vel ad amplitudinem tuam tuen- „ dam conferre possim. Effecisti quidem merito tuo, ut nul- „ la res prorsus tanta fit, aut tam difficilis, quam pro te „ ipso, quem Deus Principem, & caput Romanæ Ecclesiæ „ esse voluit, suscipere ac tueri non debeam. Ergo Pater Cle- „ mentissime cum tibi omnia debeam, non solum meipsum, „ sed & omnes meos, qui tui sunt, amicos, necessarios, atque „ omnes facultates nostras tuæ Sanctitati exhibeo. Jube ali- „ quid dignum mea in te fide, pro te, pro salute publica ef- „ ficere, ut aliquando hunc meum animum non verbis, sed „ reipsa experiaris. Videbis profecto me nemini eorum vo- „ luntate & studio cedere, quos tua Sanctitas semper tibi „ obsequentissimos ac fideles experta fuit.

Quamvis igitur attenta præsertim temporis, *in quo de summa rerum agendum* erat, expressa ratione, probabilius videatur, allatam orationem Gregorio XII. recitatam fuisse, attamen Martino V. etiam potiori ex parte convenire agnoscimus, utpote qui *non tantum magno Ecclesiæ loco* Petrum collocavit, sed novo honoris beneficio auxit, dum Papiensi Concilio Senas translato Præsidem Apostolicæ Sedis nomine destinavit.

Petrum Archiepiscopum Cretensem interfuisse Papiensi Synodo Martini V. Papæ jussu coactæ edocemur ex actis ipsius Concilii Tom. XVII. Conciliorum Labbei pag. 97. allatis. In eo Concilio cum decretum fuisset *causa pestis* in civitate Papiensi *notorie vigentis*, ut ipsa civitas Papiensis mutaretur, *& loco ipsius civitas Senarum* pro continuatione sessionum deputaretur, *schedula* decreti *perlecta Dominus Petrus Archiepiscopus Cretensis respondit, placet, pro natione Italica, licet*

non

non haberet ſuper hoc mandatum a natione, nec natio videras ſchedulam prædictam. Quum autem Senas translatum fuiſſet Concilium, eidem conſtitutus fuit Præſes cum aliis tribus Petrus Archiepiſcopus Cretenſis, ut patet ex Apoſtolico ſupralaudati Martini V. diplomate, *quo civitatem Baſileenſem pro loco futuri Concilii inde ad ſeptennium* (erat tunc annus Chriſti 1424.) *authore Domino celebrandi*. Hæc ſunt Apoſtolicæ bullæ verba: *Nuper ſiquidem Venerabiles Fratres Petrus Archiepiſcopus Cretenſis, & Jacobus Epiſcopus Toletanus, ac dilecti filii Petrus Abbas Monaſterii de Roſacio Ordinis Sancti Benedicti Aquilejenſis Diœceſis, nec non Leonardus de Florentia Ordinis Fratrum Prædicatorum Generalis Magiſter Nunſii noſtri Senenſi Generali Concilio Præſidentes ad audientiam noſtram deducere curaverunt, quod pridem ipſi*...&c. Laudat deinde Pontifex Præſidum ipſorum prudentiam, qui aſſignatione civitatis Baſileenſis facta pro futuro Concilio de voluntate & aſſenſu omnium, Concilium ipſum Senenſe diſſolverant, & ſolutum publicaverant: *Nos igitur attendentes præmiſſa omnia multa cum prudentia, maturitate, & ſapientia neceſſario proceſſiſſe, loci electionem deputationem & aſſignationem, nec non Concilii diſſolutionem auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus*. Quum itaque graviſſimo in munere eximiam ſibi prudentiæ laudem promeruiſſet Petrus Donatus, Pontifex ipſum civitati & provinciæ Peruſinæ Præſidem ſeu Gubernatorem loco Cardinalis Bononienſis Legati conſtituit, omnemque ei authoritatem attribuit, ac ſi Legati munere fungeretur. Quanta omnium civium lætitia & gratulatione exceptus fuerit ornatiſſimus Rector, teſtatur Oratio, quæ in Peruſina Academia in ipſius laudem recitata fuit, cujus fragmenta ex Vaticano codice protulit in Diatriba ad Franciſci Barbari Epiſtolas ampliſſimus Sanctæ Rom. Eccl. Cardinalis Angelus Maria Quirinus. *Ea tandem dies nobis illuxit, Antiſtes glorioſiſſime, quam ſiti ardentiſſima diuturniſſime flagravimus*. Deinde poſt laudatas Donati patriam, atque familiam

Ora-

Orator ſic pergit: *Creſcentibus vero annis ad honores non, ut cæteri ſolent, gradatim aſcendiſti, verum celeri curſu, mira feſtinatione ad præclarum Protonotariatus Magiſtratum conſpiraſti: neque multo poſt tum elegantia morum, tum ſplendore virtutum, clariſſimum diadema Cretenſis Archiepiſcopatus, omnium conſenſu tibi delatum eſt, ubi homines illius Nobiliſſimæ Inſulæ, non ſecus te, quam Minoem Regem colebant, verebantur, admirabantur. Ut olim Inſula terra marique potens centum locupletata urbibus non injuria gubernari ſolebat, ſic tua ſe effert ſapientia qua priſtinam recuperare dignitatem minime dubitat.*

Regiminis ſui exordia a Dei cultu auſpicari voluit pius Præſul, coactoque Generali Urbis conſilio (ut ſcribit Pellinus in Hiſt. Peruſina Par. II. Lib. XII.) de reſtauratione & ampliatione Cathedralis Templi diſerte egit, civiumque animos ad pium opus promovendum non tam hortationibus, quam exemplo, & interceſſionis apud Pontificem Maximum efficacia excitavit. Hæc dum ex inſita animi pietate apud Peruſinos ageret Petrus Archiepiſcopus, ad patriam Caſtellanam Sedem in locum Marci Landi defuncti a Pontifice evocatur anno 1426. nec tamen Peruſii adminiſtrationem Pontifice ſic jubente dimiſit, in qua dum non pietate ſolum & prudentia, ſed bellica etiam virtute adverſus Eccleſiæ hoſtes novis & in dies majoribus meritis augetur, anno inſequenti 1427. ad Patavinas Inſulas aſſumitur, quod tamen impar *laboribus, vigiliis, ac conſiliis ſuis* præmium fuiſſe, concorditer aſſerunt tum Franciſcus Barbarus in epiſtolis III. & LXXXVIII. ad Petrum Donatum Epiſcopum Paduanum datis, tum Cardinalis Quirinus in Præliminari Diatriba pag. 217. & 381. Quoniam vero epiſtolarum Franciſci Barbari ad Petrum Donatum mentio occurrit, libet quaſi occaſione data alias epiſtolas memorare doctiſſimi Poggii Petro Donato inſcriptas, quarum una Epiſcopum Caſtellanum, altera Archiepiſcopum Cretenſem eum vocat, & incipit: *Cum viſitaſſem pridem Abbatem Monaſterii Roſacii*, Petrum ſcilicet, quem ſuperius diximus inter Præſides Apoſtolicos in Concilio

lio Senenſi ſimul cum Petro Donato ſediſſe; *miraturque* deinde in ea Poggius (ita in citata Diatriba pag. 218.) Donatum a Prænestinis ob timorem peſtis minime receptum fuiſſe, eumque Tibur reverſum, ubi multi morbo interibant.

Doctrinam & immortalia graviſſimi Præſulis merita effert non ſolum in citatis Diatribæ locis Cardin. Quirinus, ſed etiam in ſua ad Benedictum Papam XIV. epiſtola, quæ ſignatur X. in prima Decade ſuarum epiſtolarum. Fuſius autem de actis Petri Donati Cretenſis, mox Caſtellani, ac demum Patavini Antiſtitis, deque ipſius memoriis differit Pater Joannes Auguſtinius in Hiſtoria Litteratorum Ven. Tom. II. pag. 135. ubi & authores recenſet de Petro Donato deque ejus doctrina ſcribentes.

XXII. Fantinus Vallareſſius Nobilis Venetus, Victore Patre genitus, *magni intellectus vir*, Patavii juris utriusque lauream ſumma cum laude obtinuit. Tradit Ughel. Tom. V. in Epiſcop. Parentinis Fantinum virum multiplici doctrina clariſſimum Joanni Lombardo Epiſcopo Parentino demortuo a Joanne XXIII. cujus obedientiæ adhæſerat Venetus Senatus, ſuffectum fuiſſe anno 1412. ſed antequam electionis Bulla obſignaretur, Joannem e Conſtantienſi Concilio fuga ſe ſubduxiſſe, & Pontificatui deinde ceſſiſſe, ideoque in irritum ceſſiſſe Fantini electionem. Adverſantur huic Abbatis Ughelli aſſerto documenta authentica adhuc in Epiſcopali Parentino Archivo extantia, quorum authoritate evincitur Joannem Lombardum anno 1415. menſe Junio adhuc in vivis, & in Epiſcopatus poſſeſſione degiſſe, & anno ſolum inſequenti 1416. Sedem Parentinam per Joannis Epiſcopi obitum vacaſſe. Hæc autem documenta, quæ Sedis vacantis tempore confecta fuerunt, usque ad initia anni 1418. protrahuntur, in cujus anni decurſu, ea quæ deinde prodierunt acta Fantini Valareſſii nomine connotantur, proinde conſequens eſt, ut ad annum ipſum 1418. alligetur Fantini Valareſſii Parentini Epiſcopi electio. Aliis qnoque documentis idipſum probatur; ſiquidem anno jam citato 1418.

die

die 14. Martii propoſitus Fantinus in Senatu Veneto ad P. C. ſuffragia pro Epiſcopatu Torcellano, ſic notatus legitur in regeſtis Cancellariæ Ducalis. *Rev. Dom. Fantinus Valareſſo electus Parentinus, & nunc electus Torcellanus per Capitulum Eccleſiæ Torcellanæ:* qua *electi* voce non obſcure indicatur Fantinum ad Eccleſiam quidem Parentinam deſtinatum fuiſſe, haud tamen ſacrum conſecrationis munus ſuſcepiſſe, nec demandati ſibi Epiſcopatus poſſeſſionem iniiſſe. Profecto abſque ea *electi* denominatione *Fantinus Valareſſo Epiſcopus Parentinus* anno 1419. ad Venetum morem computato Chriſti nempe 1420. die 23. Februarii exhibitus fuit in Rogatorum Comitiis, dum in eis de Archiepiſcopo Jaderenſi eligendo ageretur. Semel etiam, atque iterum ejus nomen profertur in publicis regeſtis: anno enim 1423. die 18. Junii, inter eos qui *ad probam Epiſcopatus Tragurienſis* propoſiti fuerunt, legitur tertio loco: *Rev. Pat. Dom. Fantinus Valareſſo Epiſcopus Parentinus Decretorum Doctor & electus ad dictum Epiſcopatum Tragurienſem per Capitulum Tragurii*. Et deinde anno 1425. die ultimo Novembris, dum Senatus Marco Lando Epiſcopo Caſtellano defuncto ſucceſſorem deligeret, inter alios nominatus habetur: *Rev. Pat. D. Fantinus Valareſſo Juris Pontificii Doctor Epiſcopus Parentinus*.

Inter hæc Fantinus Apoſtolico mandato ad Summæ Pœnitentiariæ officium deligitur, *quod* (ut notat in ejus funebri Panegyri Jacobus de Alexandria Ordinis Minorum) *nonniſi Cardinalibus conferebatur ex conſuetudine*. Novo itaque eoque præclaro munere auctus, & prudentiæ doctrinæque laude conſpicuus, in Petri Donati Cretenſis Archiepiſcopi ad Caſtellanam Sedem translati locum ſufficitur anno 1425. quem deinde juſſit Senatus anno inſequenti per litteras Regimini Cretæ datas *in tenuſam & corporalem poſſeſſionem* ſui Archiepiſcopatus deduci, ut patet ex hoc, quod affertur, S. C.

1426.

Digitized by Google

1426. Die 14. Maii. In Conſ. Rogat.

„ Quod authoritate hujus Conſilii ſcribatur & mandetur „ Regimini noſtro Cretæ & ſucceſſoribus ſuis quod acceptare & ponere, ſeu poni facere debeant in tenutam & corporalem poſſeſſionem Archiepiſcopatus Cretæ R. P. Dom. „ Fantinum Valareſſo creatum per Summum Pontificem Archiepiſcopum loco R. P. Dom. Petri Donato Epiſcopi Venetiarum a die datæ Bullarum Apoſtolicarum, ſeu ejus „ procuratorem legitimum; cum ipſe Dom. Archiepiſcopus „ nunc electus non ſubjaceat parti captæ alias contra prælatos pro reſidentia facienda. Et fiant ſibi litteræ in forma, quæ factæ fuerunt olim pro dicto D. Petro Donato.

Enuntiata autem pars, ſeu Decretum (cui non ſubjacere aſſeritur Fantinum Archiepiſcopum) lata fuerat antecedenti anno 1425. die 18. Maii, eaque ſtatuebatur, ut Epiſcopi & Prælati in Orientali Venetorum ditione curam animarum habentes ad ſuas Eccleſias accedere, & in eis reſidere ſub confiſcationis reddituum pœna tenerentur, prout ex ipſo decreto patet, quod mox inferius ad Franciſcum Lauredanum Ducham, cui miſſum fuiſſe noſcitur, efferetur.

Quæ deinde in hac dignitate poſitus pro Dei Eccleſia, & pro pace inter Catholicos Principes firmanda egerit Fantinus, conciſe enarrat ejus emortualis encomiaſtes his verbis: *quoties Apoſtolicæ Sedis Legatus miſſus factus eſt ad Reges & Principes pro univerſorum ſtatu fidelium, & Chriſtianitatis pace, ut eorum corda duritie plena ad pacis fœdera annuntianda, eorumque animos inclinaret, poſiſſime autem & ſæpenumero ad Chriſtianiſſimum Francorum Regem*, (Carolum VII.) *ad quem, & ad Burgundiæ Principes per hunc Chriſti Vicarium Eugenium IV. transmiſſus eſt, & ſic inter ipſos pacem ſumma virtute compoſuit. Ad Sereniſſimum autem Sigismundum Romanarum Regem, & ad quamplurimos alios, & ad Generalia Chriſtianorum Concilia* (Baſileenſe nempe, Ferrarienſe, & Florentinum, cujus actis ſubſcripſit) *pro Eccleſiæ, & juſtitiæ tutela transmiſſus, miro modo placavit omnia.* Flo-

rentina deinde Synodo abſoluta cum ad ſuam ſe Eccleſiam reſtituere Fantinus diſponeret, Pontifex Eugenius, qui doctiſſimi Archiepiſcopi merita præſens noverat, ipſum ſui & Apoſtolicæ Sedis Legatum ad Cretenſem Provinciam miſit *pro executione fienda in ſancto opere unionis Eccleſiæ Chriſti* nuper in Oecumenico Concilio Florentino firmatæ. Pontificium Diploma collatæ Legationis datum Florentiæ anno 1439. die 18. Septembris affert ad eundem annum Raynaldus, in quo cum Archiepiſcopus Cretenſis non expreſſo Fantini nomine enuntietur, hæret anceps Lequienius num ad Paſium potius Antiſtitem Græcum data fuerit cum Legationis officio Pontificia epiſtola, quam certum exploratumque habemus ad Fantinum Archiepiſcopum Latinum pertinere. Id in memorata emortuali laudatione celebravit Jacobus de Alexandria, qui coram Cretenſis populi multitudine ad funus ſui Paſtoris congregata ſic fatus: *diſpoſitione divina pro exequenda ſacroſancta unione Romanæ Orientalisque Eccleſiæ jamdudum horrendo ſchismate labefactæ ad hanc Cretenſem Eccleſiam per Summum Pontificem Legatus de Latere miſſus eſt cum ea poteſtatis plenitudine, & excellentia omnis prærogativæ, quantum ullo unquam tempore cujusve Legatus generis habuiſſe legatur.* Ipſe ſe quoque Fantinus Legatum Pontificium aſſeruit in Præfatione ad eximium Tractatum, quem de Ordine & authoritate Conciliorum, & de communione Latinorum, & Græcorum concinnavit, atque Eugenio IV. direxit. Integram hujuſce Tractatus Præfationem in lucem benemerito ſtudio ex Vaticana Bibliotheca protulit doctiſſimus Cardinalis Angelus Maria Quirinus Epiſcopus Brixienſis, in tertia ex ſuis epiſtolis Benedicto XIV. Pontifici maximo inſcriptis cujus quidem Præfationis hæc ſunt, quæ ad rem noſtram attinent, initialia verba: *Beatiſſimo Patri & Domino Sancto Domino Eugenio Divina Providentia Sanctæ Univerſalis Eccleſiæ Papæ IIII. Fantinus Valareſo Cretenſis Archiepiſcopus licet indignus de ejusdem Sanctitatis mandato Legatus miſſus ad hanc Inſulam Cretæ, cum omni humilitate, & devotione ad pe-*

pedum oſcula beatorum. Et deinde poſt pauca: *Ex ea re, cum de tuæ Sanctitatis mandato ad hanc Cretenſem Inſulam ejusque Provinciam etiam cum Legationis officio miſſus fuerim pro executione fienda in ſancto opere Unionis Eccleſiæ Chriſti, ibique ſeminato jam bono ſemine quosdam viros iniquos prævaricatores legis & veritatis proſpexerim inter grænum bonum zizania ſeminare..... hoc præſens opuſculum Domino inſpirante conſcripſi.* In aſſidua gregis ſibi commiſſi cura evigilare non deſtitit piiſſimus Præſul, donec extremo morbo correptus ad meritorum præmia evocatus fuit anno ſuæ ætatis LI. æræ autem vulgaris MCCCCXLIII. die XVIII. Maii, ut ex ſepulcrali ejus epigraphe in Cathedrali S. Titi Templo poſita, & ad calcem jam enuntiatæ funebris laudationis (quæ in Regia Taurinenſi Bibliotheca aſſervatur) exſcripta addiſcimus.

„ Oſſa Fantini Valareſſi Veneti Patricii Archiepiſcopi Cre-
„ tenſis Et Legati Apoſtolici Cujus Virtutem Atque Do-
„ ctrinam Due Senſere Sinodi Baſilienſis Et Ferrarienſis,
„ Certiſſima Quoque Teſtis Inſula Hec Cujus Incommoda
„ Velut Optimus Parens Liberalitate Veteres Errores Scri-
„ ptis & Lingua Mores Tam Exemplo Quam Predicationi-
„ bus Emendavit.

„ Deceſſit Autem Ipſe Preſul Anno MCCCCXLIII. Die
„ XVIII. Maii.

De veritate chronicæ notæ, quæ annum Fantini emortualem ſignat, ambigit accuratiſſimus vir P. Joannes Auguſtinius in memoriis ejusdem Vallareſſii, & in hanc opinionem inclinat, ut putet in tranſcribenda ſepulcrali epigraphe annum LIII. pro anno LV. irrepſiſſe. Hujusmodi dubitatio nihil me torquet; electionem enim Archiepiſcopi Cretenſis egomet legi in Cancellariæ Ducalis Notatorio XVI. ſignatam ad annum MCCCCLIV. & diem VII. Septembris, proinde ad annum inſequentem protrahi non poteſt Valareſſii obitus. Quod ſi longum ſexdecim menſium intervallum, ab obitu Archiepiſcopi, usque ad ſucceſſoris electionem nimium fortaſſe videretur, & improbabile, tumuli inſcriptio ad-

Digitized by Google

dito unico I. ad annum MCCCCLIIII. deduci poſſet, quod etiam cohæret iis, quæ de conſecratione Fantini Danduli afferunt in Chronico ms. Monaſterii Corporis Domini Venetiarum, & in ejusdem Chronici additionibus Bartholomæa & Clara Riccobonæ ornatiſſimæ Virgines, quarum utraque aſſerit Fantinum Dandulum Archiepiſcopum Cretenſem per manus S. Laurentii Juſtiniani conſecrationis munus excepiſſe die 20. Febr. anno 1455. in Veneta Corporis Dominici Eccleſia; proindeque ſi dormitionem Archiepiſcopi Valareſſii ad menſem Majum anni 1455. ſtatueremus, conſecratio junioris mortem ſenioris Fantini tempore præcederet. Sed hæc in re levioris momenti dicta ſufficiant.

XXIII. Fantinus Dandulus Archiepiſcopus Cretenſis, quem ob homonymiæ æquivocationem cum præceſſore Valareſſio confundit Lequienius, Venetiis ortus eſt, in vicinia S. Lucæ anno 1378. menſe Aug. Veritas hujus chronicæ notæ ad verum & certum calculum adducitur ex mox afferendo ejusdem Fantini elogio, in quo aſſeritur ipſum obiiſſe anno 1459. die 17. Februarii; vixiſſe autem annos LXXX. & menſes ſex. Patrem habuit Leonardum Equitem & Divi Marci Procuratorem, qui ſingulari animi moderatione ornatus anno 1398. dignitatem per ſexdecim, & amplius annos optime adminiſtratam ſponte dimiſit, Avum vero Andream Venetiarum Ducem celeberrimum illum rerum Venetarum Chronographum. Humanis ſacrisque litteris inſtructus Fantinus jurisprudentiæ, ne quid ad animi culturam deeſſet, in Bononienſi & Patavino Lycæis operam dedit, & juris utriusque lauream Patavii obtinuit, in qua civitate jus civile ſub Principibus Carrarienſibus publice docuit. Graves deinde Legationes foris apud viros Principes & præclara intus Reipublicæ officia geſſit, Senatorio & Equeſtri honore clarus, cum bona ſua in Eccleſias, & pauperes Chriſti profuſa liberalitate erogaſſet, & caſtitatem (ut creditur) cum uxore ſervandam propoſuiſſet, ab Eugenio IV. apud quem Venetæ Legationis munus obierat, primum inter Protonotarios Apoſtolicos coopta-

tus,

Digitized by Google

tus, mox ad Bononiæ & Exarchatus regimen cum Legati a latere titulo & authoritate deſtinatus fuit ; ut mirabile Divi Laurentii Juſtiniani vaticinium impleretur , qui Fantino adhuc in ſæculari ſtatu agenti Clericalem militiam, & futuros rerum eventus prædixerat. In eo Protonotariatus munere conſtitutus Apoſtolicæ Sedis non ſemel Delegatus & Commiſſarius Pontificia decreta executioni demandavit. Clariſſas enim Sanctimoniales in Monaſterio S. Nicolai ſeu S. Claræ de Muriano anno 1440. inſtituit, & Monaſterium S. Mariæ de Cœleſtibus anno 1442. Apoſtolicæ viſitationis authoritate reformavit. In eo autem potiſſimum eluxit Fantini pietas, quod recens inſtitutum Corporis Dominici Monaſterium , adeo ferventi amore ob Sanctimonialium virtutem proſequutus eſt, ut earum Eccleſiam proprio ære a fundamentis extrui mandaverit, in quod opus non levem pecuniæ ſummam ex divenditis paternæ hæreditatis domibus corrogatam inſumpſit. Id teſtatum in ejusdem Monaſterii memoriis reliquerunt duæ ſuperius laudatæ Virgines Bartholomæa & Clara Riccobona, quæ ſacram ædem Fantini ſumptibus inchoatam anno 1440. atque anno 1444 abſolutam referunt ejusdem Fantini ſtudio die XII. Julii a S. Laurentio Juſtiniano conſecrationis munus accepiſſe. Subdit deinde in Chronico Bartholomæa Riccobona.

Como el ſo ſagrada la giexia, Miſier Gieſu Chriſto permeſſe chel ſo pronunciato Arciveſcovo de Candia de chel fexe gran reſiſtentia ma vo vogiando el Santo Padre che ogni modo el doveſſe eſſer como fiol de obedientia acepto adi XIII. *di Settembrio & a* XX. *de Fevrer el ſo conſecrado nella noſtra giexia del corpo*

Poſtquam autem conſecrata fuit Eccleſia, Dominus Jeſus Chriſtus diſpoſuit, ut Ven. Dom. Fantinus eligeretur Archiepiſcopus Cretenſis. Renuit ille primum, ſed comperta deinde Pontificis voluntate, ut filius obedientiæ munus ſuſcepit die XIII. Septembris, dieque inſequentis Februarii XX. conſecratus fuit in Ec-

po de Chriſto per man del Reverendiſſimo Monſignor Miſier lo Patriarcha de Venexia & etiam lo Veſcovo de Ferrara, e quel de Jeſolo con gran devocion e ſolennità.

Eccleſia noſtra Corporis Domini per manus Reverendiſs. Dom. Patriarchæ Venetiarum (1) & Epiſcoporum Ferrarienſis (2) & Equilini (3) cum magna devotione & ſolemnitate.

(1) Sanctus Laurentius Juſtinianus, qui ex dignitate deinde accepta vocatur Patriarcha, tunc temporis Epiſcopus erat Caſtellanæ Eccleſiæ.
(2) Beatus Joannes de Toſſiniano ex Ordine Jeſuatorum, quem Eugenius IV. Fantino Dandulo potiſſimum hortante, Ferrariæ Epiſcopum creaverat.
(3) Andreas Bono Epiſcopus Equilinus, & Sancti Laurentii Juſtiniani Vicarius Generalis.

Electionem itaque Fantini ejusque conſecrationem ex indubia ſinceræ Sanctimonialis addiſcimus aſſertione, cui cohæret in additionibus ad Chronicon Clara Riccobono, quæ poſt enarratam Fantini conſecrationem, & pias ipſius oblationes recenſitas, ſubdit duo ædificatæ Eccleſiæ Altaria: Unum in Beatæ Mariæ Virginis, alterum vero in Sanctorum Hieronymi Doctoris, & Theodoſiæ Virg. & Mart. honorem a Fantino Archiepiſcopo diebus 2. & 18. Julii ejusdem anni 1445. conſecrata fuiſſe. Tempus deinde notat, quo, ut ſibi creditæ Eccleſiæ curam aſſumeret, e patria diſceſſit.

Compide tutte queſte ſante ſolenitade, como ho diſo di ſopra, convene per obedientia andar el mazo al ſuo Arciveſcovado in l'iſola de Candia, & partiſſe da le ſoe devote madre e fiole, e lu con grandiſſima tenereza de cuor vezandoſe privade duno cuſi ſato e ſanto Padre, ma in quel di

Abſolutis his omnibus ſolemnitatibus, ut ſuperius dictum eſt, oportuit ex obedientia, ut ad ſuum Cretenſem Archiepiſcopatum menſe Majo perveniret. A ſuis ergo matribus & filiabus profecturus cum nos tali tamque ſancto patre orbatas miſericorditer agnoſceret, pridie quam erat di-

di avanti la ſoa Signoria volſe combiado, ne fece uno devoto ſermone, e dixe in la ſoa propoſta : vado ad eum qui me miſit &c. le lacrime che ſu butade per le done dentro, & per quele de fuora, eriandio per queſto tanto Padre, non ſe poria dir, e dene la ſoa benediction a tute con molte lacrime, e partiſſe, & queſto ſo adi 9. Settembrio.

diſceſſurus, ad nos religioſum ſermonem habuit ſub hoc themate : Vado ad eum qui me miſit &c. Majores ſupra quam dici poſſit, fuerunt lacrymæ, quas fœminæ ſive intra Monaſterium, ſive extra degentes ob tanti Patris jacturam effuderunt, ipſe vero collacrymans impartita nobis benedictione diſceſſit die 9. Septembris.

Attamen antequam Cretam adnavigaret Fantinus, aliud ſuæ pietatis illuſtre teſtimonium reliquit, *ob reverentiam* enim *recolendæ memoriæ inclyti Domini Andreæ Dandulo olim Ducis Venetiarum avi ſui*, emptarum domorum redditus deputavit, *& inſtituit ad celebrationem Miſſæ ſingulis diebus pro anima dicti Avi ſui, & ſuorum prædeceſſorum in Oratorio Pauperum Heremitarum S. Raphaelis de Venetiis de Congregatione B. Petri de Piſis* anno ſuæ conſecrationis 1445. die 20. Junii, cujus inſtitutionis documentum relatum eſt in Eccleſ. Ven. Illuſtr. Tom. V. p. 309.

Salvum ſe ad ſuam *Eccleſiam* appuliſſe, *& reverenter a Clero populoque receptum* fuiſſe datis Cretæ die XVI. Novembris epiſtolis Eugenio IV. Pontifici ſignificavit Fantinus, cui deinde Pontifex facultates Legati de Latere die VI. Aprilis anno MCCCCLVI. per Breve Romæ datum Indulſit.

Ven. Fratri Fantino Archiepiſc. Cretenſi Eugenius PP. IIII. Ven. Fr. Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

„ Ex Litteris tuis, die XVII. Novembris Candidæ da-
„ tis, intelleximus, te ſalvum ad tuam Eccleſiam perveniſ-
„ ſe, & reverenter a Clero populoque exceptum. Quod

qui-

„ quidem placuit ſciviſſe. Et quia cupimus tuam Fraterni-
„ tatem, juxta ſuum deſiderium, poſſe ipſam Eccleſiam cum
„ honore Dei & animarum fructu gubernare, mittimus ti-
„ bi facultates Legati de Latere, & diſpenſandi in prohi-
„ bitis tertio & quarto gradibus Matrimonii, ſicut ex ipſis
„ tuis litteris vidimus te optare. Quanquam vero noveri-
„ mus tuam modeſtiam, tamen memoramus hortamurque,
„ ut ipſis facultatibus parce ſolummodo ſcilicet quantum
„ neceſſitatem urgere, tua judicabit conſcientia, utaris.
„ Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub anulo noſtro
„ ſecreto die VI. Menſis Aprilis MCCCCXLVI. Pon-
„ tif. Noſtri anno ſextodecimo.

Blondus.

Paſtoralis ejus ſollicitudinis, qua gregi ſuo in ſpiritualibus adfuit, teſtis eſt Codex, quem dum Archiepiſcopali Eccleſiæ Cretenſi præſideret pro Clericorum inſtructione concinnavit. Typis vulgatus ſine loco typographo & anno viſitur in Bibliotheca S. Franciſci Venetiarum notatus hoc titulo: *Incipit Compendium Reverendiſſimi in Chriſto patris & d. Domini Fantini Dandulo Archiepiſcopi Cretenſis pro catholicæ fidei inſtructione: breve ac utile clericis & maxime presbyteris pro animarum ſalute circa eorum ſubditos.*

Anno inſequenti cum e Creta in Patriam rediret, *in navigatione Epiſcopus Patavinus declaratur*. Extremum diem obierat ipſo anno 1447. die 7. Octobris Petrus Donatus Patavii Epiſcopus, cujus laudes ſuperius dedimus, quapropter actum eſt in Senatu die 19. Octobris de ejus ſucceſſore deligendo. S. C. habemus in Notatorio XVI. Cancellariæ Ducalis ſignatum.

MCCCCXLVII. Die XIX. Octobris.

„ Infraſcripti fecerunt ſe ſcribi ad probam Epiſcopatus
„ Paduæ per mortem Rev. Patr. D. Petri Donato.
„ Rev. in Chriſto Pater Dom. Gregorius Corrario Proto-no-

„ tonotarius Apoſtolicus electus per Canonicos, & Capitu-
„ lum Paduanum.

„ Rev. Pat. D. Laurentius Venerio Archiep. Jadræ.

„ Rev. Pat. D. Fantinus Dandulo Archiep. Cretenſis.

„ Rev. Pat. D. Hermolaus Barbaro Epiſc. Tarviſinus.

„ Rev. Pat. Dom. Petrus Barbo frater olim Epiſcopi Tar-
„ viſini.

Potior Senatorum numerus in Fantinum Dandulum conſenſit, cujus propterea electio per Zachariam Triviſanum Reipublicæ in Curia Romana Oratorem Pontifici Maximo Nicolao V. qui nuper Petri Sedem aſcenderat, oblata fuit, ut Apoſtolica ipſius authoritate confirmaretur. Diſtulit tamen publicis Venetorum votis obſecundare Pontifex, vel quia arduis initæ dignitatis negotiis nimium gravaretur, vel potius quia per doloſas aliquas & fraudulenter confictas epiſtolas a confirmatione hujusmodi retrahebatur. Ægre dilationem hanc tulit Senatus, cujus delectus ex virtute, ſcientia, & candidiſſimis moribus Fantini Archiepiſcopi aperte comprobabatur; quapropter datis ad Pontificem epiſtolis ipſum exoravit inſtantius, ut publicas preces etiam iteratas vellet exaudire. Hæ ſunt P. C. epiſtolæ Nicolao V. directæ.

MCCCCXLVII. (*more Veneto æræ nempe vulgaris* 1448)
die II. Januarii.

SUMMO PONTIFICI.

„ Nuper cum rediiſſet ad nos vir Nobilis Zacharia Tri-
„ viſano Doctor, quem hoc ſuperiori tempore Oratorem
„ noſtrum apud pedes Veſtræ Beatitudinis tenuimus, nedum
„ ſperabamus, ſed quidem certiſſimum tenebamus ex ejus
„ relatione cognoſcere Sanctitatem Veſtram in collatione E-
„ piſcopatus Paduæ tot noſtris honeſtiſſimis precibus, & in-
„ ſtantiis annuiſſe. Sed intelligentes rem illius Epiſcopatus
„ tantopere inſitam cordi noſtro, adhuc ſic in ſuſpenſo te-

„ neri, profecto ſatis admirari compellimur, tantoque am-
„ plius, quanto & nos ſcimus & omnibus clariſſime con-
„ ſtat, quod in promotione iſta digne poſſint & mereantur
„ virtutes, ſcientia, & vita continentiſſima Reverendiſs. Pa-
„ tris Dom. Fantini Dandulo Archiepiſcopi Cretenſis, quæ
„ omnia effecerunt, & faciunt, ut nobis noſtræque Reipublicæ
„ longe ante omnes alios ad ipſum Epiſcopatum gratiſſimus,
„ & acceptiſſimus ſit, dolemusque certe magnopere, quod
„ ſicut ab ipſo Zacharia nuper audivimus, variis aliorum
„ ſuggeſtionibus, inhoneſtiſſimisque factionibus apud Beati-
„ tudinem Veſtram quæſitum fuerit hoc noſtrum deſiderium
„ impedire; namque Sanctitatem Veſtram certiſſimam eſſe
„ volumus literas illas, quæ Veſtræ Beatitudini, ac quibus-
„ dam ex Reverendiſs. D. D. Cardinalibus per nonnullos
„ ex non poſtremis civibus & nobilibus noſtris ſcriptas fuiſ-
„ ſe videntur, doloſe & fraudulenter fuiſſe compoſitas. Nam
„ cives ipſi talis conditionis & integritatis exiſtunt, ut ab
„ omni ſententia, & deliberatione Reipublicæ noſtræ num-
„ quam diſcrepare voluerint, quinimmo hujuſce rei princi-
„ pales fautores fuerunt. Hæc igitur cum ita ſint, denuo,
„ quo inſtantius, & cordialius poſſumus, ſupplicare, & ora-
„ re volumus Beatitudinem Veſtram, ut ſi forte nondum
„ ad collationem ipſam proceſſiſſet, libeat ammodo, quem-
„ admodum devotionem noſtram mereri credimus, ab hac
„ tanta expectatione nos ſublevare, & preces noſtras totiens
„ reiteratas exaudire in ſingularem noſtram, noſtræque Rei-
„ publicæ complacentiam.

Annuit itaque Pontifex, cujus confirmationis accepto munere Fantinus novum ſibi collati Epiſcopatus onus ſubivit, in quo poſt ſancte actam vitam, *neque pecunia, neque ſuppellectile* ulla, ob effuſas eleemoſinas *relicta*, inter ſuorum *lacrymas & dulces amplexus ſanctiſſime* naturæ conceſſit.

Defuncti corpus (ut ipſe pridem juſſerat) Eccleſiaſticæ ſepulturæ demandatum fuit in Veneta, quam pie erexerat, Corporis Domini Eccleſia, hoc exciſo in lapide ſepulcri elogio:

Oſſa

„ Ossa Reverendissimi P. D. Fantini Dandulo J. U. Do-
„ ctoris Patre Procuratore Avo Proavisque Ducibus Nati,
„ Qui Post Clarissimos Patriæ Honores Amploque Patrimo-
„ nio Divæ Huic Ecclesiæ Egenisque Erogato, Pontifex Pa-
„ tavinus Obiit XIII. Kal. Martii MCCCCLIX.

Officia, quæ tum Laicus, tum in Ecclesiastica Hierarchia constitutus laudatissime gessit Fantinus, accuratissime disposuit Pater Joannes Augustinius in Venetorum Scriptorum notitiis Tom. I. pag. 1. Summas vero laudes ab optimo doctissimoque Præsule & in Archiepiscopatu Cretensi, & in Episcopatu Patavino promeritas eloquentissime extulit laudandæ memoriæ S. R. E. Cardinalis Angelus Maria Quirinus, tum in præliminari ad epistolas Francisci Barbari Diatriba, tum in superius citatis Venetorum Episcoporum monumentis, sapientiam commendans, pietatem, utilem illam necessitudinem, quam cum Francisco Barbaro, Ambrosio Camaldulensi, & aliis doctis viris ea tempestate florentibus sancte coluit, & utiliter, *cuique haud leve præstiterunt adjumentum Codices quamplures a Fantino Dandulo e Græcia in Italiam delati*. Ex iis porro laboribus, quos ad perennandam etiam hujus viri memoriam subiit Cardinalis supralaudatus, libet hic elogium afferre, quod Blasius Saracenus Vicentinus Fantini Cancellarius, & Commensalis, Hero, & Episcopo suo contexuit: " Obiit Reverendissimus in Christo Pa-
„ ter, & Dominus meus semper recolendus, D. Fantinus
„ Dandulus, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Pa-
„ tavinus dignissimus, die Sabbati, decima septima mens.
„ Februarii MCCCCLIX. Vixit annos LXXX. menses sex,
„ innumeris animi, & corporis bonis decoratus. Ex nobi-
„ lissima Patria Venetorum, avo Andrea Dandulo Duce,
„ Leonardo D. Marci Procuratore Patre oriundus, Juris utri-
„ usque Doctor celeberrimus. Publice in Patavino Gymna-
„ sio Jus Civile docuit sub Dominis Carrarien. XXX. agens
„ annum Præturam primam Patavii gessit summa cum lau-
„ de, cum Prætor Veronensis antea extitisset, alteram sub-

„ inde Patavii Præturam administravit. Primus sub Illustriſ-
„ simo Venetorum Dominio Prætor Brixienſis; in Urbe Ve-
„ netiarum plures Magiſtratus exercuit, Communis Advo-
„ catus, primus in Senatu ſæpiſſime declaratus, Legationes
„ innumeras ad Reges, & Summos Pontifices maxima cum
„ dignitate obivit. Cum omnia bona ſua Chriſti pauperi-
„ bus liberaliſſime erogaſſet, ab Eugenio Pontifice Maximo
„ militiæ Clericali adſcriptus, Legatus Bononienſis ab eo-
„ dem Pontifice creatus fuit; Abbatiam Carrarienſem idem
„ Pontifex ſæpius reluctanti commendavit, poſt Archiepi-
„ ſcopum Cretæ creavit. Sub Nicolao Papa V. maximo Se-
„ natus Veneti conſenſu, cum ex Creta in Patriam redi-
„ ret, in navigatione Epiſcopus Patavinus declaratus, digni-
„ tatem hujusmodi bonis exemplis, juſtitia, manſuetudine,
„ atque liberalitate exornare ſtuduit totis viribus. Cujus
„ Cancellarius atque Commenſalis continuus ego Blaſius Sa-
„ racenus, Hieronymi de Saracenis filius Civis Vicentinus,
„ annis novem extiti. Ejus anima in pace quieſcat.

Cætera, quæ de clariſſimo Epiſcopo collecta leguntur Doctorum virorum elogia in ſuperius enuntiatis Scriptoribus, quamvis omni luce profecto digniſſima, ne a propoſita mihi brevitate recedam, omittenda eſſe cenſeo, queis tamen liceat nondum vulgatum Encomium addere, quod pius Monachus Celſus Ordinis S. Benedicti in præfatione ad vitam Euphroſinæ Virginis Petro Dandulo Epiſcopo Vicentino inſcriptam, de Fantino protulit: *Fantinus Dandulus Epiſcopus Patavinus unus præter cæteros clariſſimæ gentis ſuæ viros doctrina, ſapientia ſanctitateque præcipuus.*

XXIV. Philippus Paruta evocante Nicolao Papa V. Archiepiſcopalem Cretæ Sedem poſt Fantinum Dandulum aſcendit anno MCCCCXLVIII. dimiſſa ea, cui tunc præerat, Torcellana Eccleſia. Egerat Venetus Senatus menſe Februario poſt Fantini translationem de eligendo Cretenſis Sedis Archiepiſcopo, & in regeſtis Cancellariæ Ducalis recenſentur ii, qui P. C. ſuffragiis exhibiti fuerunt.

MCCCC-

Digitized by Google

MCCCCXLVII. more Veneto, ideſt Chriſti 1448. *Februarii.*

„ Infraſcripti fecerunt ſe ſcribi ad probam Archiepiſco-
„ patus Cretenſis.
„ Rev. Pater D. Joannes Contareno Monachus in S. Ma-
„ thia de Muriano qu. ſ. Jacobi qu. ſ. Nicolai Militis.
„ Rev. Fr. Gaſpar Cornario Ordinis S. Franciſci de Vinea.
„ Rev. P. Dom. Fr. Michael Memmo Ord. Prædicatorum
„ Epiſc. Tripolinus.

Neminem tamen ex iis a Nicolao V. præleƈtum fuiſſe novimus, qui virtutem doƈtrinamque Philippi Parutæ Epiſcopi Torcellani perſpeƈtas habens, eum maluit vacanti Cretenſi Eccleſiæ Paſtorem præficere. Habitum Auguſtiniani Ordinis in primo ſuæ juventutis flore ſuſceperat Philippus in Cœnobio S. Mariæ de Nazareth Venetiarum, ex quo deinde ad Læmocomium deduƈto tranſiit primum ad Patavinum S. Danielis in monte, mox ad Venetum S. Spiritus in Inſula Venetiarum Monaſterium, ubi inſtitutæ ibidem Congregationi Canonicorum Regularium nomen dedit, & ſolemnem deinde votorum profeſſionem emiſit die 23. Auguſti 1423. ut ſuſius legitur in Eccl. Ven. Illuſtr. Tom. IX. pag. 237. & Tom. XIV. p. 382. Eximia utriusque juris ſcientia clarus e Clauſtro ſuæ Congregationis ad Epiſcopatum Æmoniæ ſeu Civitatis Novæ in Iſtria ſub Patriarchatu Aquilejenſi (qui ex errore Gradenſis dƈtus eſt in Eccl. Torcell. Illuſtr. par. I. pag. 35.) a Martino V. deducitur anno 1426. die 7. Januarii, vixque elapſo tertio menſe die 22. Aprilis ad Torcellanam Sedem ex Petri Nani Epiſcopi obitu vacantem transfertur. Huic Eccleſiæ cum præeſſet, anno 1427. die 2. Oƈtobris ad Patriarchatum Gradenſem, mox anno 1428. die 7. Junii ad Patavinum Epiſcopatum propoſitus fuit in Rogatorum Comitiis. Cretenſi deinde, ut ſupra diximus, Sedi præfeƈtus fuit anno 1448. quam dum optime adminiſtraret anno 1451. 10. Junii ad Epiſcopatum Vicentinum, & deinde anno 1456. menſe Februario ad Patriæ

triæ Urbis Patriarchatum in Senatu nominatur, ut notant Cancellariæ Ducalis regeſta. Extremæ ſuæ voluntatis tabulas in publica acta redigi mandavit die 12. Januarii anno 1458. qui ipſi fuit emortualis, ut refert Mozzagrugnius l. I. *Philippus Paruta ſupradictus, qui ad Archiepiſcopatum Cretenſem aſſumptus obierat prius anno videlicet* 1458. *& in eadem ſua præfata S. Spiritus Eccleſia honorabili ſepulcro conditus extitit.* Meminit Philippi Archiepiſcopi cum laude in tertia ad Benedictum XIV. epiſtola ſupralaudatus S. R. E. Cardinalis Angelus Maria Quirinus Epiſcopus Brixienſis.

XXV. Hieronymus Lando, cujus mentio non ſemel occurrit in Ducalis Cancellariæ regeſtis, Philippo Parutæ ad meliorem vitam translato ſuffectus fuit in Archiepiſcopatu Cretenſi anno 1459. nec multo poſt adminiſtrationem etiam Abbatialis S. Gregorii Venetiarum Eccleſiæ ſuſcepit ſub adminiſtratoris perpetui titulo, ut in ejusdem Abbatiæ tabulario legitur ad annum 1460. Hieronymi prudentiam, & in rebus agendis dexteritatem quanti fecerit Pius II. Pontifex Maximus, ex eo argui poteſt, quod Hieronymum vix ad Archiepiſcopalem Sedem evectum Apoſtolicæ Sedis cum Franciſco Hiſpalenſi Archidiacono deſtinarit Legatum, ut ineundo Georgium Bohemiæ Regem inter & Wratislavienſes fœderi operam navarent, conjunctaque fœderatorum arma ad Turcarum perniciem converterent. Pontificium ſtatutæ Legationis diploma, & quæ a Legatis acta ſunt refert Raynaldus ad annum 1459. num. 22. qui deinde ad annum 1463. num. 96. aliud ejusdem Pii Papæ diploma affert datum eodem anno die 29. Martii, in quo ejusdem legationis mentio, & legatorum nomina exhibentur. Aliam quoque Apoſtolicam Legationem ſubiit Hieronymus in Poloniam a Pio ſupra laudato Pontifice miſſus, ut Polonos inter & Crucigeros, ac Pruthenos pacem conciliaret, & ad bellum Turcis inferendum Polonos ipſos excitaret; verum orta inter Polonos & Pontificium Legatum acri controverſia, Hieronymus rebus infectis ad Pontificem redire coactus fuit. Hujuſce Legatio-

gationis Bullam habet Bzovius ad annum 1463. in qua Hieronymus Archiepiſcopus Cretenſis dicitur ad regnum Poloniæ, terramque Sileſiæ ac Pruſſiæ, Nuncius & Orator Sedis Apoſtolicæ. Ut etiam ad firmandam pacem, & fœdus contra Turcas ineundum diſſidentes Fridericum Imperatorem, & Mathiam Corvinum Hungarorum Regem adduceret, ſtudioſe egit, ut notat Raynaldus ad annum 1463. n. 1. & 4. Has Hieronymi legationes memorat etiam Albertus Krantzius libro XII. Wandaliæ cap. 30. his verbis: *Annus erat ſexageſimus quartus* (ſupra milleſimum & quadringenteſimum) *quum in Quadrageſima Nuntius Apoſtolicus cum mandatis veniret in civitates Vvandalicas, ut exciret populum in expeditionem, quam Papa Pius inſtituerat, belli ſocietate inita cum Duce Burgundiæ Philippo, & Venetorum Principatu in perfidiſſimum hoſtem Turcum. Epiſcopus erat Cretenſis, qui mandata Apoſtolica circumferret. Sed magno & inconſulto fervore publicantium multi incaſſum inſtituere profectionem ſine commeatu, ſine armis, quum ignoraret homo Italicus, linguæ non gnarus, quid clamatores ad populum tuliſſent.*

Eodem autem anno Hieronymum ex Legatione Romam rediiſſe compertum habemus ex publica Chriſtophori Mauro Ducis Venetiarum epiſtola ipſi Hieronymo in alma urbe degenti miſſa, ut decem Legatis Venetis, qui Paulo II. Veneto nuper ad Petri Sedem evecto gratulaturi ad curiam Romanam profecturi erant, oportunas domos diſponeret. Hæc ſunt Ducalis epiſtolæ verba:

„ Chriſtophorus Mauro Dei Gratia Dux Venetiarum &c.
„ Reverendo in Chriſto Patri Domino H. Dei & Apoſtolicæ
„ Sedis Gratia Archiepiſcopo Cretenſi ſalutem & ſinceræ di-
„ lectionis affectum. Ut audire potuiſtis, delegimus decem
„ Legatos, quos propediem miſſuri ſumus ad Summum Pon-
„ tificem. Verum quia cupimus, ut ſatis in tempore pro-
„ ſpiciatur de inveniendo eis domus, quæ ſint capaces pro
„ comitiva ſua, freti veſtra diligentia, & ſtudio in omnibus
„ rebus noſtris, ſcribendas has Rev. Patern. V. duximus, ro-

gan-

„ gantes eam, ut velit dare operam inveniendi duas in tres „ domos, quanto proximius poteſt, quæ ſint capaces equo- „ rum circiter CCtorum . Et parentur rebus neceſſariis , „ quemadmodum prudentiæ veſtræ Rev. Pater videbitur . „ Speramus autem legatos ipſos noſtros forte per totum men- „ ſem Octobris proximum Romæ affuturos.

„ Datum in noſtro Palatio Ducali die XXIII. Septem- „ bris Indictione XIII. (quæ Venetiis inceperat a Kal. ipſius „ menſis) MCCCCLXIIII.

„ Reverendo in Chriſto Patri Domino H. Dei & A- „ poſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopo Cretenſi.

Porro epiſtolas Hieronymi Antiſtitis Cretenſis Pio II. datas recenſet lib. 1. Commentar. Jacobus Picolomineus Cardinalis Papienſis nuncupatus : *Biduo ante allatæ litteræ ab Hieronymo Antiſtite Cretenſi , quibus ſignificabatur magnam cruceſignatorum multitudinem Anconam confluere , identidemque lamentari , quod Pontificem, qui ſe trajiceret , non inveniſſent :* Quum autem deinde Hieronymus ad Legationem Peruſinam ſub Paulo II. deductus fuiſſet, eamque laudatiſſime adminiſtraret, epiſtolam ad ipſum miſit ſupra laudatus Cardinalis Papienſis Romæ die 23. Decembris anno 1468. qua ampliſſimis verbis eidem Hieronymo gratulatur de prudenti ipſius dexteritate . Ipſam licet typis vulgatam exhibemus tum ad clariſſimi viri laudem , tum quia ex ipſa arguimus Hieronymum, antequam Eccleſiaſticæ militiæ nomen daret , uxorem habuiſſe , ex qua filium nomine Petrum procreavit.

Hieronymo Lando Epiſcopo Cretenſi Legato Peruſino.

„ Eſt quod cum Dignatione tua de Petro filio tuo que- „ rar. Viceſimum pene jam Romæ diem agit, & nondum „ Papienſem eſt allocutus. Hodie viſitans ex conſuetudine „ noſtra Cardinales novos, Sororum Pontificis filios, atque „ illum videns ſpatiantem per aulas , vocavi ad me, & ro-

gavi

„ gavi num Cretenſis mei filius eſſet? Cum eſſe ſe diceret, „ petii rurſum num me agnoſceret? Cum æque ſe agnoſcere reſpondiſſet, addidiſſetque multa mea in te patrem „ exſtare officia: Et quod, inquam, eſt cauſſæ quod me „ nunquam adieris? Erubuit adoleſcens, vultu confitens, „ quod excuſare verbo non potuit. Si venerit, ut venturum exiſtimo, accipietur ea caritate, qua accipi pater „ eſt ſolitus; noſcetque, ſi maxime ad beneficium nunc „ deeſt facultas, animum tamen non deeſſe, qui tuis, omnibus temporibus, ſemper affuit. Ad Litteras tuas, quas „ Thomas Sacerdos attulit, reſcribo in hæc pauca. Sed illud etiam addo, gratulari me multum, quod in iſthac „ difficillima Peruſiæ adminiſtratione ita prædicetur dexteritas tua, ut nihil intempeſtivum, aut improvidum age„ re judiceris. Ita etiam commendetur vitæ inſtitutum, ut adſit ſemper, & ſine ſcurrilitate comitas, & ſine aſperitate „ gravitas. Retine usque in finem laudem hanc inchoatam, „ atque illud cogita ſemper, raros fuiſſe etiam ſummæ virtutis viros, quorum in tam fervida civitate ſimiles initiis „ exitus fuerint. Ego, mi Cretenſis, ſum tuus, & tibi omnia ſumma deſidero. Vale. Romæ 23. Decembris 1468.

Patriarchali deinde Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ titulo inſignitus fuit Hieronymus, qui anno 1481. die 16. Apr. & anno 1485. ad Epiſcopatum Patavinum, ut ex notatoriis patet Ducalis Cancellariæ, duplici hoc titulo inſignitus ad P. C. ſuffragia exhibetur. Ad Patriarchatum quoque Aquilejenſem anno 1491. die 7. Martii nominatus fuit hoc modo: *Reverendiſs. Dom. Jeronymus Lando Patriarcha Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus Cretenſis, qui remanendo renuntiat Patriarchatui, & Archiepiſcopatui.*

Eccleſiæ Cretenſi adhuc præerat anno 1493. cum enim in cauſa cujusdam Mariæ Caroldo Abbatiſſæ Monaſterii Spiritus Sancti Venetiarum inſtitutus ſuiſſet Judex & Commiſſarius Apoſtolicus delegatus, nec valeret *huic cauſæ intereſſe, aut vacare tum propter infirmitatem, qua non parum* affli-

gebatur, *tum quia diverſis negotiis tam publicis, quam privatis continue* premebatur, rem cognoſcendam, & judicio definiendam Hieronymo Triviſano Abbati S. Thomæ de Torcello commiſit. Documentum ſubdelegationis in Eccl. Ven. Illuſtr. allatum viſitur Tom. XIV. pag. 277. Et ſic incipit: *Hieronymus Lando Miſeratione Divina Patriarcha Conſtantinopolitanus & Archiepiſc. Cretenſis. Venetiis reſidens &c.* definit autem: *Datum & actum Venetiis &c. die 16. Octobris* 1493. Veriſimile eſt ex ea infirmitate, qua jam ſenio confectus gravabatur, Hieronymum obiiſſe.

Poſt Hieronymum in Serie Archiepiſcoporum Cretenſium enuntiat Lequienius ex Cavall. Galler. Domin. Michaelem quemdam Archiepiſcopum Cretenſem ad annum 1491. quo adhuc in vivis egiſſe Hieronymum ſuperius oſtendimus. Num Michael iſte ad ad Archiepiſcopalem Cretæ titulum a Pſeudopontifice Roberto Gebenneſi, qui in ſua obedientia Clemens VI. appellabatur, aſſumptus fuerit, non inveriſimile eſt, ſed neque certum.

XXVI. Andreas Lando Archiepiſcopus Cretenſis memoratur ad annum 1503. 16. Martii, & ad annum 1504. 18. Februarii in regeſtis Cancellariæ Ducalis Cretenſis, quæ adhuc ſuperſunt Venetiis aſſervata.

XXVII. Joannes Lando Archiepiſcopus Cretenſis in ſuperius enuntiatis regeſtis notatus legitur ad annum 1513. 24. Octobris, iterumque ad annum 1516. 17. Junii, mox ad annum 1519. 31. Januarii, & demum ad annum 1520. 28. Martii.

Quum autem ex fide regeſtorum Cretenſium teneamus Joannem Lando Archiepiſcopum Cretenſem usque ad annum 1520. atque ex mox afferendis documentis addiſcamus Archiepiſcopum Cretenſem ex familia Landa anno 1534. Archiepiſcopatum dimiſiſſe, ut nepoti ſuo obveniret, profecto veriſimile eſt, Joannem Lando vitam produxiſſe usque ad annum 1534. quo confectus ſenio de nepote ſibi in ſucceſſorem firmando ea egit, quæ nunc in lucem proferemus.

XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. Laurentius Campeggius S. R. E. Cardinalis vir doctrina & rebus actis clariſſimus, Archiepiſcopatum Cretenſem ex Archiepiſcopi Landi renunciatione vacantem ſuſcepit, eo præclaræ pietatis intuitu, ut adminiſtrationis onere ſibi retento, Archiepiſcopalis menſæ redditus, ad inopes Virgines Archiepiſcopi Landi neptes in matrimonio collocandas inſumeret, Eccleſiamque ipſam tandiu retineret, donec Petrus Lando Archiepiſcopi dimittentis nepos ad idoneam tanto ponderi perveniret ætatem. Ex ipſis Laurentii Cardinalis epiſtolis res clarius innoteſcet.

Sereniſs. Princeps & Domine mi Colend.

„ Alli meſi paſſati il Reverendiſs. Sig. Arciveſcovo di Can-
„ dia con quella fede che S. S. ſa di potere avere in me per
„ mezzo di Rodolpho mio ſignificandomi un ſuo honeſtiſſimo
„ deſiderio ch'era di provedere che quella ſua Chieſa alla
„ morte ſua reſtaſſe ancora alcun tempo in beneficio & hono-
„ re di caſa ſoa, & maxime per ajutare a maritare quelle
„ ſue nepoti giovane d'ogni virtu, e d'ogn'altro bene excet-
„ to che di robba molto bene dotate, mi pregò che per que-
„ ſto io voleſſe ajutare appreſſo di N. S. la renuntia, che ſua
„ Sig. intendeva fare in perſona di M. Pietro Lando ſuo ne-
„ pote della detta Chieſa, il che abbracciai molto volontie-
„ ri, e ne feci quelli piu amorevoli, & caldi officii, che io
„ poteti, & ſeppi ſi per ſatisfare e gratificare al prefato Sig.
„ Arciveſcovo e à tutta la ſoa magnifica Caſa, e ſi ancora
„ perchè in ciò mi pareva di doverne far piacere e ſervizio a
„ Voſtra Serenita & a tutto quello Excellentiſſimo Senato, il
„ quale penſo che non poſſa non havere grato, che ad una
„ nobiliſſima fameglia come è quella, con ſi honeſto mezzo
„ ſi procuri comodo & honore. Mai ſi potete ottenere l'in-
„ tento noſtro repugnando l'eta del giovine, il quale non era
„ anco habile a pigliare quel peſo. Onde continuando pure
„ il prefato Sig. Arciveſcovo in queſto penſiere, e non po-

„ tendo ſatisfarſi per quella via, ultimamente ſi è riſoluto
„ di depoſitare la detta ſua Chieſa in perſona mia fino a tan-
„ to chel prenominato ſuo nepote per la eta ne ſia capace, e
„ coſi me l'ha raſſegnata, come le Signorie Voſtre per av-
„ ventura haranno inteſo, perilche hora ſi mandano le bol-
„ le ſopra ciò expedite, le quali ſarano preſentate a Voſtra
„ Serenita e ſupplicatoli ſi degni lei ancora con quelli Excel-
„ lentiſſimi Signori di ajutare queſta buona opera, facendo
„ grazia che in nome mio ſi conſegua il poſſeſſo pacifico di
„ quella Chieſa. Il che benche tutto habbia da ritornare a
„ comodo del predetto Sig. Arciveſcovo e ſuoi, come è det-
„ to, che in ciò non ci metto altro che il nome, ne altro
„ me ne tocca; nondimeno il deſiderio, e la contentezza,
„ ch'io ho d'avere fatto queſto ſervizio a quella Magnifica
„ Caſa, & anco com'io ſtimo a tutta quella Excellentiſſima
„ Republica, ſa che mi convenga pregarla, e ſupplicarli
„ anch'io, come di propria grazia, che ſia contenta con
„ l'authorita ſua favorire queſta noſtra petizione, ſiche ſi ot-
„ tenga, & conſegua la detta poſſeſſione. che io lo ricono-
„ ſcerò a ſingular beneficio da lei da connumerarlo agl'altri
„ infiniti, ond'io le ſono tenuto, e coſi humilmente me li
„ arricomando; que diu feliciſs. valeat. Romæ XVII. Au-
„ guſti MDXXXIIII.

Serv. L. Car. Campegio.

„ *A tergo* Sereniſs. Principi & Dom. meo Colendiſs.
Dom. Andreæ Gritti Duci Venetiarum &c.

Annuit votis Senatus, dataque Cardinali die XVI. Novembris ampliſſima epiſtola grates illi habuit de protectione in Archiepiſcopum ipſiusque familiam collata. Eapropter Laurentius Cardinalis hanc ſecundam Duci & P. C. reſcripſit epiſtolam.

Sere-

Sereniſſime Princeps & Dom. mi ſemper C.

„ Io ho riceputo la molto amorevole lettera di Voſtra Se-
„ renita di XVI. del preſente in riſpoſta di un altra mia
„ circa il ſeguito dell' Arciveſcovato di Candia, la qual mi è
„ ſtata di grandiſſima conſolazione vedendo quanto per la be-
„ nignita e grazia ſoa li piaccia avere grati li ſervizii miei,
„ e tra gl'altri queſto, che io ho fatto circa quella Chieſa a
„ comodo & contento di quella nobiliſſima fameglia, il qua-
„ le benche nel vero da me ſia ſtato fatto e procurato con
„ tutta quella fede, e volonta ch'io ſon tenuto uſare ſem-
„ pre in ſervizio della Serenita Voſtra e di quella Excellen-
„ tiſs. Republica nondimeno al debito e deſiderio mio e
„ ſtato pure picola coſa, & non meritava certo tante gra-
„ zie quante Voſtra Serenita per queſta ſoa ſi amorevol-
„ mente me ne rende, ſe non che ella ancora con queſto
„ indizio mi ha voluto dimoſtrare piu del benigno animo
„ ſuo verſo di me, onde glene riferiſco quelle maggiori,
„ e piu cumulate grazie ch' io poſſo. E quanto a me li
„ prometto di nuovo, che ſi in queſta coſa dell' Arciveſco-
„ vato, e ſi in ogn' altro ſervizio & publico & privato di
„ quella Excellentiſſima Republica, a tutto mio potere
„ farò ſempre officio conveniente all' obſervantia mia, &
„ alli infiniti obblighi, ond' io li ſono tenuto. Coſi ad eſſa
„ Voſtra Serenita di continuo humilmente mi raccomando.
„ Quæ diu felicíſs. valeat. Romæ XXVII. Nov. MDXXXIV.
„ Sereniſs. &c. *ut ſupra*.
„ Serv. L. Card. Campegio.

Num Laurentius Cardinalis, licet obtinuiſſet & Apoſtolicum inſtitutionis diploma, & Venetum tradendæ poſſeſſionis decretum, adminiſtrationem Eccleſiæ Cretenſis aſſumpſerit, pro certo aſſerere non auſim; ſiquidem a data ſecunda epiſtola vix elapſis quatuor menſibus Petrus Lando, de quo mentio

tio eſt in prima Cardinalis epiſtola ad Archiepiſcopatum Cretenſem, (quod refert etiam Lequienius,) aſſumptus fuit.

XXIX. Petrus Lando Marci filius, anteceſſoris nepos, renuntiatur Archiepiſcopus Cretenſis anno 1535. menſe Martio, ut refert Lequienius in Cretenſibus Latinis. Ejus mentionem non ſemel afferunt ſuperius enuntiata Cancellariæ Cretenſis regeſta ad annos 1348. 18. Martii, 1565. 11. Aprilis, 1570. 1. Martii, & 1573. 17. Martii. Eccleſiæ Patriarchalis Conſtantinopolitanæ redditus in Inſula Cretenſi poſitos uti Procurator Scipionis Rebiba S. R. E. titulo Sancti Angeli in foro piſcatorio Presbyteri Cardinalis, & Patriarchæ Conſtantinopolitani per aliquot annos adminiſtravit, ut videre eſt in inſtrumentis ab eo Cretæ confectis ſub annis 1570. 1571. 1573. 1575. quæ in Veneto S. Mariæ de Roſario Cœnobio Fratrum Prædicatorum de Obſervantia, aſſervantur. Refert Andreas Cornelius in ms. rerum Cretenſium Chronico, Eccleſiam S. Titi Cathedralem anno 1544. ſub Petro Lando Archiepiſcopo exortis fortuiti incendii flammis conflagraſſe, ex cujus ruinis ita brevi emerſit, ut anno ab infortunii clade decimotertio, antiquo decori ex piorum opibus reſtituta viſeretur. Sedit Petrus Lando inter Patres Concilii Oecumenici Tridentini, cujus etiam actis ſubſcripſit. Quum autem eo ipſo anno Sacra Synodus abſoluta fuiſſet, Bernardum Navagerium Cardinalem e Synodo, ubi Apoſtolicum Legatum egerat, ad Veronenſem Eccleſiam proſequutus eſt, ubi inter initæ ab eodem Cardinali Epiſcopalis poſſeſſionis ſolemnia Miſſam in Cathedrali decantavit die XI. Decembris ejusdem anni, ut notat ex Veronenſi documento Ughel. Tom. V. col. 992. Venetæ edit. Obiit deinde Venetiis in Parœcia Sancti Joannis Decollati anno 1583. die 13. Novembris.

XXX. Laurentius Victurius Nobilis Venetus, dum Romæ commoraretur, ob morum doctrinæque præſtantiam Cretenſi Eccleſiæ, incomperto mihi anno, Archiepiſcopus præficitur. Id nobis ſignat panegyrica oratio Cretæ habita dum dignitatis

tis ſuæ poſſeſſionem iniret, in ipſa enim ſic legitur: *Urbs enim illa mater ac Regina omnium Roma, ut morum fragrantiam, vitæ inſtituta, & fidei ſinceritatem perfecte detexit, munere Epiſcopali ſe ſacræ Theologiæ myſtam exornavit.* Quum autem Paſtoralis ſollicitudinis munia per aliquot annos pacifice impleſſet, repente exorto neſcio qua de cauſſa adverſus eum tumultu, Epiſcopalem dignitatem ſuam ex ipſo læſam vehementiſſime doluit: quare Marcum Antonium Venerium Ducham Venetumque Magiſtratum tamquam injuriæ ſibi illatæ vel authores, vel fautores excommunicationis pœna irretitos publice denuntiavit, uti teſtantur Apoſtolica Clementis VIII. diplomata, quibus anathematis ſententiam ſuſpenſam habuit, donec rei & facti veritate per ipſum Pontificem plenius intellecta, quid in gravi eo negotio agendum eſſet, *matura conſideratione adhibita* declaraſſet. Suſpenſionis bullas afferimus, nec tamen *in præmiſſis* quid deinde ſtatutum fuerit, compertum habemus: paulo enim poſt, ut dicemus, Archiepiſcopus, morte intercedente, dignitatem dimiſit.

Clemens Papa VIII. ad futuram rei Memoriam.

„ Romanum Pontificem decet eos clementiæ ſuæ dexte-
„ ra benigne complecti, quorum nomine cum humilitate
„ ab eo venia poſtulatur. Nuper ſiquidem accepimus Ven.
„ Fratrem Laurentium Archiepiſcopum Cretenſem ob quem-
„ dam tumultum ſuperioribus menſibus apud eum exortum
„ ibidem exiſtentes Marcum Antonium Venerium Cretæ Du-
„ cem, & Antonium de Caballis Capitaneum ac Magiſtra-
„ tum Rempublicam Venetam ibidem repræſentantes alios-
„ que eis adhærentes per ſuam ſententiam excommunica-
„ tos publice nunciaſſe, ſuper quo Dux Capitaneus & Ma-
„ giſtratus ac alii prædicti ad nos recurſum habuerunt; no-
„ bisque humiliter ſupplicari fecerunt, ut eis abſolutionis
„ beneficium impendere de benignitate Apoſtolica dignare-
mur.

Digitized by Google

„ mur. Nos de præmiſſis certam notitiam non habentes, „ ex conſueta tamen noſtra & Sedis Apoſtolicæ benignitate „ animarum ſaluti quantum cum Domino poſſumus conſu- „ lere cupientes, nec non dilectum filium Nobilem Virum „ Marinum Grimanum Venetiarum Ducem, qui pro eis apud „ nos interceſſit, ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi vo- „ lentes hujusmodi ſupplicationibus inclinati excommunica- „ tiones aliasque eccleſiaſticas ſententias cenſuras & penas „ in Marcum Antonium Ducem & Magiſtratum aliosque ad- „ hærentes tantum per dictum Archiepiſcopum, ut præfer- „ tur, inflictas & publicatas authoritate Apoſtolica tenore „ præſentium ſuſpendimus, & ab eisdem Marco Antonio Du- „ ce Magiſtratu & aliis eis adhærentibus dumtaxat tamdiu „ tollimus, & abolemus quamdiu nos rei & facti veritate „ plenius intellecta, quid in præmiſſis ſtatuendum ſit ma- „ tura conſideratione adhibita deliberaverimus. Ab hujus- „ modi autem excommunicationis, & cenſurarum, & pe- „ narum eccleſiaſticarum ſuſpenſione & abolitione ex juſtis „ cauſis animum noſtrum moventibus præfatum Antonium „ de Caballis Capitaneum pro nunc excipimus, quousque „ nimirum pro ipſo etiam hujusmodi ſuſpenſionem & abo- „ litionem concedendam duxerimus. Non obſtantibus Apo- „ ſtolicis ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis edi- „ tis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus cæterisque „ contrariis quibuscumque.

„ Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub anulo Pi- „ ſcatoris die XVI. Decembris MDXCV. Pontifica- „ tus noſtri anno IIII.

„ M. Viſtrius Barbianus.

„ M. Ant. a Valle.

Cle-

Digitized by Google

Clemens Papa VIII. ad futuram rei Memoriam.

„ Nuper per nos accepto Venerabilem Fratrem Laurentium Archiepiſcopum Cretenſem ob quemdam tumultum „ anterioribus menſibus apud eum exortum dilectos filios „ Marcum Antonium Venerium Cretæ Ducem & Antonium „ de Caballis Capitaneum nec non Magiſtratum Rempublicam Venetam ibidem repræſentantes aliosque eis adhærentes per ſuam ſententiam excommunicatos publice nuntiaſſe. Cum ſuper hoc Dux Capitaneus Magiſtratus & „ alii prædicti ad nos recurſum habuiſſent nobisque humiliter ſupplicari feciſſent, ut eis abſolutionis beneficium impendere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos hujusmodi ſupplicationibus tunc adducti excommunicationes „ aliasque eccleſiaſticas ſententias cenſuras & penas in Marcum Antonium Ducem & Magiſtratum aliosque eis adhærentes tantum per dictum Archiepiſcopum, ut præfertur inflictas & publicatas authoritate Apoſtolica ſuſpendimus, & ab eodem Marco Antonio Duce Magiſtratu & „ aliis eis adhærentibus dumtaxat ſuſtulimus & abolevimus, „ quamdiu nos rei & facti certitudine intellecta, quid in „ præmiſſis ſtatuendum eſſet, matura conſultatione adhibita „ deliberaviſſemus. Ab hujusmodi vero ſuſpenſione & abolitione ex juſtis cauſis animum noſtrum tunc moventibus „ præfatum Antonium de Caballis Capitaneum pro tunc excepimus, quousque pro eo etiam hujusmodi ſuſpenſionem concedendam cenſuiſſemus prout in noſtris in forma Brevis litteris die XVI. Decembris proxime præteriti expeditis latius continetur. Cum autem noviſſime pro parte dicti Antonii de Caballis nobis humiliter ſupplicatum fuerit, ut ab eo quoque excommunicationes & alias cenſuras & penas Eccleſiaſticas prædictas ſuſpendere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos ei, qui, ut nobis nuper expoſitum fuit, Venetias propediem reverſurus eſt, „ quousque in itinere fuerit, ſpecialem quoque gratiam ſa-

„ cere volentes hujusmodi ſupplicationibus inclinati ex aliis
„ juſtis cauſis animum noſtrum moventibus excommunica-
„ tionem & alias cenſuras & penas eccleſiaſticas prædictas
„ donec ipſe ex Inſula Cretæ diſcedens recto tramite in Ci-
„ vitatem Venetiarum pervenerit, & non ultra authoritate
„ prædicta tenore præſentium ſuſpendimus, non obſtantibus
„ omnibus illis quæ in dictis litteris voluimus non obſtare,
„ cæterisque contrariis quibuscumque.

„ Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Pi-
„ ſcatoris die XXVII. Januarii MDXCVI. Pontifica-
„ tus Noſtri anno quarto.

„ M. Veſtrius Barbianus.

Clemens Papa VIII. ad futuram rei Memoriam.

„ Cum Antonius de Caballis Venetus Capitaneus in Inſula
„ Cretæ, qui ob quendam tumultum contra Venerabilem
„ Fratrem noſtrum Laurentium Archiepiſcopum Cretenſem
„ ſuperioribus menſibus excitatum una cum Duce Cretæ &
„ aliis excommunicatus declaratus fuerat, & qui in ſuſpen-
„ ſione per nos facta excommunicationis & cenſurarum ab
„ eodem Duce & aliis exceptus paulo poſt a nobis ſimilem
„ ſuſpenſionem pro eo tempore, quo ex Inſula Cretæ di-
„ ſcedens Venetias recto itinere proficiſceretur obtinuit pro-
„ ut in noſtris in forma brevis expeditis litteris plenius con-
„ tinetur. Statim atque Venetias pervenerit ſuæ adminiſtra-
„ tionis rationem dilectis filiis nobilibus viris Duci & Senatui
„ Venetiarum reddere debeat. Nos, ut rationem hujusmo-
„ di reddere valeat, interimque cum eo cæteræ perſonæ
„ converſari poſſint, ſupplicationibus Dilecti filii Joannis Del-
„ phini dictorum Ducis & Senatus apud nos Oratoris ejusdem
„ Ducis & Senatus nomine ſuper hoc nobis humiliter porre-
„ ctis inclinati ſuſpenſionem cenſurarum hujusmodi dicto An-
„ tonio de Caballis per nos conceſſam, & litteras deſuper
„ expeditas ad quatuor menſes poſtquam Venetias perve-

nerit

„ nerit extendimus & prorogamus, ac denuo cenſuras hu-
„ jusmodi ab eodem Antonio de Caballis ad præſentes qua-
„ tuor menſes, & non ultra ſuſpendimus. Non obſtantibus
„ omnibus illis quæ prædictis litteris voluimus non obſtare
„ cæterisque contrariis quibuscumque.

„ Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Pi-
„ ſcatoris die XXVIII. Martii MDXCVI. Pontifi-
„ catus noſtri anno quinto.

„ M. Veſtrius Barbianus.

Veriſimile eſt, ſuperius enuntiati negotii cauſa, Laurentium Archiepiſcopum Cretæ diſceſſiſſe, ut Romam vel Venetias accederet, ſiquidem in ejus diſceſſu ſolemnis oratio Cretæ pronuntiata fuit, in qua Laurentio ob eloquentiæ ac pietatis merita laudato, dum Creta ſolveret, fauſta auſpicantur his verbis: *Tu vero Chriſtianum populum è tenebris ignorantiæ traductum ad veræ pietatis cognitionem & cultum lactea tua facundia, melliſluoque ſermone, pariterque ſincera, & impolluta vita, nullique non probanda ſupernæ Hieruſalem ſuavitatem deguſtare liquido facis ..... His igitur animadverſis Creta tibi hinc oram ſoluturo omnia ſecunda precatur, ardentibusque votis a Deo expoſcit, ut confectis ex animi ſententia omnibus tuis negotiis Romæ & Venetiis, & ubicumque terrarum res ipſa exiget, ad nos incolumis honoribusque auctus magnis revertaris.* Ambæ, quas citavimus orationes, Laurentio Archiepiſcopo diverſis temporibus licet nulla chronica nota ſignatis recitatæ extant mss. in Zeniana Bibliotheca apud Patres Prædicatores de Obſervantia Veneti Sanctæ Mariæ de Roſario Monaſterii. Romam itaque profectus cum Eccleſiæ ſuæ jura omni ſtudio propugnare curaret, extremo morbo correptus dies ſuos clauſit die 9. Februarii anno 1597. ejusque corpus tumulatum fuit ad Sanctum Honuphrium de Urbe Fratrum Eremitarum Congregationis Beati Petri de Piſis in ipſo ingreſſu Eccleſiæ, ubi in lapide ſepulcrali hæc legebantur verba jam pene attrita.

Digitized by Google

D. O. M.

„ Laurentius Victurius Archiepiſcopus Cretenſis.

In ipſa deinde Sancti Honuphrii Eccleſia ſupra januam interiorem erectum fuit marmoreum ejusdem Archiepiſcopi ſimulacrum cum hac inciſa in lapide epigraphe.

D. O. M.

„ Laurentio Victurio Patritio Veneto Archiepiſcopo Cre-
„ tenſi Viro In Pauperibus Fovendis, Infirmis Præſertim
„ Tempore Peſtis Viſitandis, Captivisque Adjuvandis Cha-
„ ritate Inſigni Romæ In Eccleſiæ Suæ Defenſione Vita
„ Functo Quinto Idus Februarii 1597. Anno Ætatis Suæ
„ 53. Joannes Frater Poſuit.

Mortis ejus nuntio Venetias delato actum eſt in Comitiis Rogatorum die XV. inſequentis Martii de quatuor viris Pontifici Maximo (ut pridem cum Romana Curia conventum fuerat) proponendis, ex quibus unus ex Apoſtolicæ Sedis arbitrio ſeligeretur in Archiepiſcopatu Cretenſi ſtatuendus.

XXXI. Thomas Contarenus in locum Laurentii Victurii ſucceſſit, cum enim P. C. ſuffragiis ſuis Clem. VIII. exhibendos deſtinaſſent Joannem Jacobum Diedo qu. Petri Epiſcopum Cremenſem, Hermolaum Barbaro qu. Marci Antonii Equitem & Procuratorem, electum Aquilejenſem, Antonium Quirinum olim Sapientem, ut vocat Continentis (di Terra Ferma) q. Marci Antonii, & Thomam Contarenum Equitem olim Sapientem Conſilii q. Marci Antonii, Pontifex Thomam Contareno virum clariſſimum aſſumpſit vacanti Archiepiſcopali Sedi præficiendum. Ad ipſum Sixtus V. anno 1588. die 29. Januarii diploma miſit de electione Dominici Bollani Ordinis Prædicatorum in Epiſcopum Agienſem.

XXXII. Aloyſius Grimani qu. Joannis, qui Cenſoria dignitate functus fuerat, a Senatu Veneto nominatur ſimul cum Stephano Bollani qu. Andreæ cum Nicolao Foſcaro, & Auguſtino Gradonico qu. Georgii, ut unus ex eis a Clemente VIII. ad Archiepiſcopatum Cretenſem adligeretur. Quum autem Auguſtinus Gradonicus paulo ante Utriusque Signa-

Signaturæ Referendarius una cum Julio Savello renuntiatus fuiſſet, ipſi dedit Pontifex Cretenſes infulas, ad quas deinde, eo modeſte recuſante, Aloyſium Grimanum evocavit, & Auguſtinum ad Feltrenſem Epiſcopatum promovit. Aloyſii Archiepiſcopi Cretenſis mentio eſt in Eccleſiis Ven. Illuſtr. Tom. IX. pag. 145. ad Monaſterium S. Andreæ de Litore Monachorum Carthuſianorum, quorum Eccleſiam ſacris Reliquiarum theſauris locupletavit. In ipſa Eccleſia legitur emortuale elogium ad aræ ipſius latus, quam familia Grimana a fundamentis erigi mandavit. Hæc ſunt epigraphes verba.

„ Aloyſius Grimano Archiepiſcopus Cretenſis poſt Venetæ Reipublicæ adminiſtrationem Eccleſiæ ſuæ munera obiens „ utramque pietate prudentia ac ſummis eloquentiæ viribus, poſtremum vero opibus ac meritis augens, immortale ſui teſtimonium cunctis poſtremo ſe ſe ipſum præbuit. „ Fratres poſuere. Obiit anno MDXCIX. Ætatis ſuæ LXI.

Porro annus emortualis in epigraphe enuntiatus Veneto more computandus venit, ſiquidem Aloyſius Archiepiſcopus deceſſit Venetiis anno 1620. die 21. Februarii, ut notatum legitur in Necrologio Eccleſiæ Parœcialis Sanctæ Fuſcæ Venetiarum.

XXXIII. Petrus Valerio Canonicus Patavinus cum ad Archiepiſcopatum Cretenſem vacantem anno 1619. die 22. Februarii a Senatu Veneto propoſitus fuiſſet ſimul cum Luca Stella Archiepiſcopo Jadrenſi, Benedicto Bragadeno Archiepiſcopo Corcyræ & Petro Emo Epiſcopo Cremenſe, a Paulo Quinto, cui ejus virtus innotuerat, electus fuit. Eam Eccleſiam cum laudatiſſime per biennium adminiſtraſſet, ab eodem Pontifice Cardinalitia purpura, tituloque S. Salvatoris in Lauro ornatus fuit, & mox ad Epiſcopatum Cenetenſem translatus ex quo deinde ad Patavinum tranſiit, ubi & diem extremam obiit anno 1628.

XXXIV. Lucas Stella primum Epiſcopali Rethimi, deinde Archiepiſcopali Jadrenſi Eccleſiæ præfuit. Anno autem 1623.

1623. *loco Petri Valerio, qui creatus Cardinalis tranſierat ad Epiſcopatum Cretenſem*, Senatus quatuor deſignavit, ſcilicet Benedictum Bragadeno Archiepiſcopum Corcyræ, Aloyſium Lippomano Epiſcopum Veglenſem, Marcum Juſtinianum Abbatem Buſci Commendatarium, & Lucam Stella Archiepiſcopum Jadrenſem, e quibus ultimum ſelegit Gregorius XV. & Cretenſi vacanti Sedi præfuit. Decennio Eccleſiam hanc vigilantiſſime rexit, e qua anno 1532. die 24. Novembris ad Vicentinam deductus eſt, & deinde ad Patavinam anno 1639. Eo tempore quo Cretenſi Metropolitanæ præerat Lucas, Belluni obiit anno 1626. Aloyſius Lollinus ejusdem urbis Epiſcopus ex Nobili Venetorum colonia Cretæ progenitus, cujus nomen & laudes exhibent Ughel. in Bellunenſ. Epiſc. Tom. V. & Nicolaus Comnenus, Papadopuli in Hiſtoria Gymnaſii Patavini Tom. II. pag. 122.

XXXV. Aloyſius Mocenico Eques olim apud Regem Hiſpaniarum Orator ſimul cum Victore Capello Clericorum Regularium Congregationis Somaſchæ Præpoſito Generali, Antonio Capello qu. Antonii, & Aloyſio Marcello qu. Andreæ exhibitus fuit anno MDCXXXIII. die XVIII. Martii per P. C. ſuffragia Urbano VIII. Pontifici Maximo, ut ex eis unus in Lucæ Stellæ locum ſufficeretur. Electus itaque ex Pontificis voto Aloyſius Mocenico, qui undecimo ſui Præſulatus anno, qui æræ vulgaris fuit annus 1644. Cretæ ex hac vita migravit.

XXXVI. Joannes Quirinus Marci Antonii filius dum in Republica Veneta Sapientis, ut vocant Terræ Firmæ, munus ageret anno MDCXXXXIV. die 30. Aprilis a Veneto Senatu nominatur ad Archiepiſcopatum Cretenſem, & Urbano VIII. proponitur ſimul cum Aloyſio Marcello Epiſcopo Sebenicenſi, Marino Baduario Epiſcopo Polenſi, & Antonio Capello qu. Antonii. Defuncto autem Urbano VIII. Innocentius X. in Petri ſede conſtitutus Joannem Quirinum inſtituit Archiepiſcopum Cretenſem die XIII. Decembris, moxque anno inſequenti 1645. die 16. Januarii pallio ex

urbe

urbe transmiſſo decoravit. Anno 1647. cum Collegium Congregationum Cleri Venetiarum, qui Patriarcham Venetiarum in ſuum Judicem arbitrum & arbitratorem deligere conſueverat, Joannem Franciſcum Maurocenum in eo Judicis officio ſuſcipere ex certis cauſis renuiſſet, Joannem Quirinum Cretenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum die II. Aprilis in Judicem arbitrum, & arbitratorem ſibi delegit. Metropolim ſibi creditam lacrymabili fato a Turcis occupatam anno 1669. ingemuit Joannes, qui ſeriem Archiepiſcoporum Latinorum in Creta civitate ſedentium deplorabili totius Chriſtianæ Reipublicæ fato miſere clauſit.

Reliquum modo eſt, ut poſt abſolutam Archiepiſcoporum ſeriem, ad reliquas Epiſcopales Sedes earumque Præſules progrediamur eo ordine ſervato, quo ipſas in ſuis epiſtolis anno 1375. Archiepiſcopo, & Epiſcopis Cretenſis Inſulæ datis diſpoſuit Gregorius XI. ut videre eſt apud Raynaldum ad ipſum annum 1375. ſic autem Epiſcopi enuntiantur Kironenſis, Sitienſis, Archadienſis, Calamonienſis, Agrienſis, Chiſſamenſis, Canticenſis, Arienſis, Milopotamenſis. Iis addi debet Hierapetrenſis in epiſtola Pontificia prætermiſſus, cujus Eccleſia deinde cum Sithienſi conjuncta fuit.

Hi omnes computato inter ipſos metropolitano Throno undecimum æquant numerum: quamvis enim ab ipſo Dominationis ſuæ exordio plures Epiſcopatus Latinos Veneti in Inſula inſtituiſſent, ipſos tamen poſt edomitos primæ Cretenſium rebellionis motus pactamque cum Januenſi natione initæ pacis conditionem ad undecim redigere coacti ſunt; quæ omnia ex ſuprema Romani Pontificis implorata authoritate prodiiſſe non obſcure arguimus ex ſuperius allata Veneti Senatus epiſtola, qua Legatis ſuis ad Clementem V. Avenionem miſſis mandavit, ut hæc omnia Pontifici ſignificarent. Hæc ſunt in ipſo mandato Senatus verba: *Veneti cum prædictis hoſtibus* Januenſibus ſcilicet & Cretenſibus rebellibus *pacta tranſitoria inierunt, in quibus quantum fecerunt pro ſua utilitate, tantum fecerunt pro utilitate Eccleſiarum*

rum, & quod eo modo, & fructu Eccleſiarum actum fuit in pactis eisdem, quod darentur trecenta quinquaginta yperpera certis Epiſcopatibus de biis, qui nihil habuerant, nec habere potuiſſent, usque ad quinquennium per hoſtes eosdem, ipſis volentibus illa recipere, quæ poſtea certi ex illis ſponte & quiete vicibus aliquibus receperunt, & extra iſtam formam, & ſine aliquo onere remanſerunt Epiſcopatus undecim per pacta eadem, & ſi Veneti potuiſſent omnes ſine onere facere remanere libentius feciſſent, ſed fecerunt quod potuerunt ſemper ad Eccleſiarum conſervationem augumentum & commodum intendentes. Eosdem Epiſcopatus unica Canticenſi Eccleſia prætermiſſa recenſet Raphael Volaterranus Comment. lib. IX. *Urbes*, inquit, *nunc in ea* (Creta Inſula) *decem cum Præſulibus cernuntur, inter quas Metropolis una, quam Candiam vocant, ubi & Prætor Venetus jus dicit, & portus eſt; reliquæ Rhetinium* (Rhetimum ſcilicet civitas, quæ & Calamona, unde Calamonenſis Epiſcopus) *Cania* ſeu Canea, quæ antea Cydonia vocabatur, *Sitbia incolumes, cæteræ ſemidirutæ Chiſamum, Arium, Milopotamum, Arcadia, Cheronefus, Hierapetra, omnia fere mutata nomina.* Septem ex his epiſcopatibus memorat in ſuo de Creta ſuperius allato tractatu Bondelmontius, locum aſſignans, ubi ſedes conſtituta fuerat Epiſcopis Chiſamoſpoli, Chidoneæ, Calamone, Cheronefi, Archadiæ & Millopotami, ubi enim Gnoſienſem Eccleſiam enuntiat, intelligendus eſt de antiqua Sede, in qua floruit Sanctus Pynitus.

Antiquiorem Epiſcopatuum Cretenſium, ſed nimis deficientem enumerationem habemus in notitia Eccleſiarum tempore Cœleſtini III. Papæ anno 1225. conſcripta eſt ab Emmanuele Schelſtratio Antiquit. Eccleſ. Illuſtr. Tom. II. edita pag. 758. ubi hæc de Cretenſi Archiepiſcopatu afferuntur: *Archiepiſcopatus Cretenſis hos habet ſuffraganeos: Arianenſem, Miloporamenſem, Pirotboniſienſem.* Cum autem plures numerentur Cretenſi Archiepiſcopo ſubjecti ſuffraganei, dicendum eſt, vel nondum anno 1225. conſtitutos fuiſſe alios

Inſu-

Insulæ Episcopatus, vel in ipsis nondum fuisse institutos Episcopos; quis autem censendus sit hic Pirothonissienſis Episcopus, mihi prorsus incompertum.

Sed & aliam Ecclesiarum Episcopalium Cretæ enuntiationem habemus in notitia Ecclesiarum Urbis & Orbis ab Episcopo Catharensi scripta, quam supralaudatus Scheltratius in Antiq. Eccl. Illustr. Tom. II. n. 24. ex mss. Codicibus Vaticanæ Bibliot. edidit, in qua hæc habentur pag. 772. *Archiepiscopus Cretensis habet hos suffraganeos, Canticensem, Arienſem vel Arianensem, Milopolitonensem, Cirotonienſem, Cironensem, Satienſem, Calamonensem, Archadiensem, Agienſem, Liffanienſem, Girapetrensem.* Porro Scheltratius, cujus opus posthumum editu... fuit anno 1697. asserit pag. 759. notitiam hanc ab Episcopo Catharensi scriptam fuisse ante 350. annos.

Ordinem itaque superius propositum servantes, Ecclesias Latinas Cretæ Insulæ earumque, quos scire datum est, Episcopos exhibemus a Chironensi incipientes.

ECCLESIA CHIRONENSIS.

ANtiquum Chironesi Episcopatum post subactam a Venetis Cretam susceperunt Latini Antistites, quorum Ecclesia deinde Chironensis appellata fuit etiam in Romanis Provincialibus, donec Romani Pontificis authoritate cum Ecclesia Sithiensi conjuncta fuit. Sita erat civitas Chironensis ad oram Cretæ Borealem, ubi postea ad præsidium Insulæ arx munitissima Spinalonga Senatus Veneti Decreto ædificata fuit. In Chironensi territorio Ecclesiam Patriarchalem Constantinopoleos redditus possedisse novimus ex S. C. quo permissum fuit Joanni Contareno Patriarchæ C. P. prædia ad suam Ecclesiam spectantia locare.

MCCCCXLI. Die XII. Julii. In Rogatis.

„ Quod Reverendiſs. in Chriſto Patri Dom. Johanni Con-
„ tareno Patriarchæ Conſtantinopolitano concedatur, quod
„ affictare poſſit quamdam poſſeſſionem ſui Patriarchatus ſi-
„ tuatam in Inſula noſtra Cretæ in diſtrictu Pechiade Dioe-
„ ceſis Chironicenſis per annos decem Nobili Viro Baptiſtæ
„ Zeno qu. ſ. Andreæ pro illo affictu, de quo invicem ſunt
„ concordes.

Porro ex iis Epiſcopis, qui Chironenſi Eccleſiæ præfuerunt, hi quos in ſeriem exhibemus, ad noſtram devenere notitiam.

Quamvis autem Chironenſis Epiſcopus congruis inſtructus eſſet redditibus, Eccleſia tamen gravi adeo premebatur egeſtate, ut ex ſex Presbyteris, qui ipſius Cathedralis Canonici nuncupabantur, vix duo ad adminiſtrationem Sacramentorum apud ipſam reſiderent.

I. Boniſacius ex Donoratica familia apud Thuſcos apprime nobili Ordinis Prædicatorum Epiſcopus primum Sagonenſis in Corſica a Bonifacio Papa VIII. electus fuit anno 1297. mox a Clemente V. Eccleſiam Chironenſem ſuſcepit adminiſtrandam anno 1306. de quo agit Ughel. in Italia Sacr. Tom. III. in Epiſc. Sagonenſibus, & Bremond. in Bullario Ord. Tom. II. Ambigit Lequienius, dum de eo agit in Chironenſibus, num Fatius vel Boniſacius vocaretur; at nos ex ſequenti ejus epiſtola edocti ipſum nihil hæſitantes Boniſacium dicimus, & Piſis natum putamus tum ex aliis conjecturis, tum etiam ex loco, in quo ipſam epiſtolam Duci Venetiarum dedit.

„ Egregio & inclyto viro Domino Petro Gradonico Di-
„ vina Providentia Venetiarum Dalmatie &c. Duci. Frater
„ Boniſacius ejus devotus Dei & Apoſtolice Sedis gratia E-
„ piſcopus Chironenſis ſalutem & ſincere dilectionis affectum.
„ Veſtre celſitudinis litteras animo jocundanti recepimus
„ continentes quod Dominicus dictus Belletus Clericus na-
„ tus fidelis Veſtre Serenitatis Marini Michaelis in Chiro-

nen-

„ nenſem canonicum ſit electus, ipſius electionem debere-
„ mus veſtri gratia confirmare, ad quarum litterarum ſigni-
„ ficata ſic duximus reſpondendum, quod quantumcumque
„ de ſui anteceſſoris Jacobi Vendelini privatione, & dicti
„ Dominici confirmatione nobis dicatur, quod inpoſterum
„ debeant dampna & gravamina non modica imminere, con-
„ fiſi tamen de veſtre protectionis auxilio dicti Dominici con-
„ firmationem juxta formam a vobis petitam pro parte di-
„ cti Dominici ob veſtri reverentiam, cui in omnibus ob-
„ temperare, & complacere intendimus toto poſſe, per Joan-
„ nem familiarem noſtrum latorem preſentium eidem Do-
„ minico Marino Michaeli fideli veſtro duximus deſtinan-
„ dam. Ceterum cum Eccleſia Chironenſis tanto numero
„ Canonicorum innanium ſit gravata, ſicut Veſtre Domina-
„ tioni in brevi intendimus demonſtrare, quod dictorum
„ Canonicorum innanitionem tota Chironenſis Eccleſia reple-
„ re non poſſet, idcirco prudentiam veſtram duximus pre-
„ ſentibus deprecandam, quatenus ſuper proviſione Petri
„ Clerici ſapientis & diſcreti viri Tanti veſtri Ducatus Can-
„ cellarii vellit ad preſens nos habere plenius excuſatos.
„ Inſuper Joannem latorem preſentium familiarem noſtrum
„ quem ſuper negotiis Eccleſie noſtre in Creta transmitti-
„ mus, noſtri gratia vellitis habere plenius commendatum,
„ ſi que vero poſſumus facere veſtre nobilitati accepta ſi-
„ gnificate nobis, parati cuncta veſtra beneplacita adimple-
„ re. Data Piſcis die 10. Auguſti. (anno 1311. extat enim
„ epiſtola inter alia ipſius anni documenta in Ducali Ve-
„ netiarum Cancellaria).

Epiſcopatui Chironenſi cum præfuiſſet Bonifacius annis circiter XIV. ad Coronenſem translatus fuit, obiitque deinde anno 1333. ut ex documentis Cœnobii Piſarum ſcribit Lequienius.

Bonifatius alter Ordinis Prædicatorum cum adverſus Joannem XXII. legitimum Pontificem, Petri de Corbaria in ſchismate Nicolai V. nuncupati partes ſuſtineret; ab eo Epi-

ſcopus Chironenſis inſtituitur, & deinde inter Pſeudocardinales ſuæ obedientiæ cooptatur anno 1328. Ab uſurpata Apoſtolatus ſede cum deinde ejectus fuiſſet Antipapa, Bonifatius quoque ad ſua clauſtra pœnitentiam acturus revertitur.

II. Joannes electus ab Innocentio VI. Epiſcopus Salpenſis anno 1358. ejus etiam juſſu conſecrationis munus ſuſcepit. Quum autem innotuiſſet Pontifici, Epiſcopum Salpenſem in vivis degere, Joannem, (ne in irritum caderet ejus conſecratio) Chironenſi Eccleſiæ tunc vacanti præfecit die 1. Decembris ejusdem anni 1358. ut notat Ughel. in Salpenſibus Italiæ Sac. Tom. VII. Memoratur in regeſtis Cancellariæ Ducalis Cretenſis quidam Fr. Joannes Epiſcopus Kironenſis, qui ſui Epiſcopatus nomine anno 1372. quasdam domos ex Judicum ſententia obtinuit, eo quod ædificatæ fuiſſent *ſuper territorio pertinente Epiſcopatui Kironenſi in civitate Candidæ apud portam Alemanorum*. Num iſte cum Joanne, qui ex Salpenſi Chironenſis Epiſcopus evaſit, unus & idem ſit, pro certo ſtatuere in ſumma rerum obſcuritate non auſim. Ducis & Conſiliariorum Cretæ ſententiam pro Epiſcopatu Chironenſi latam exhibemus.

MCCCLXXII. Menſe Junii die XXII. Indict. X.

„ Dictum eſt per magnificum Dom. Petrum Cornario ho-
„ nor. Ducham & ejus conſilium concorditer & ſententialiter
„ quod Michaletus Jalina Murarius exeat de tenuta domorum
„ poſitarum in Civitate Candide ſuper territorio pertinente
„ Epiſcopatui Kironenſi poſito apud portam Alemanorum,
„ & quod Rev. Pater Dom. Frater Johannes Epiſc. Kironen-
„ ſis nomine dicti Epiſcopatus ponatur in tenuta dictarum
„ domorum tali quidem modo, quod totum laborerium quod
„ dictus Michaletus fecit in ipſis domibus a tempore quo illas
„ habuit usquemodo extimetur per artifices inſtructos in ta-
„ libus, & tunc taxabitur per Dominationem quantum ip-
„ ſe habere debeat pro expenſis poſitis in dicto laborerio,

& quan-

„ & quantum dare debeat dicto Epiſcopatui pro terratico
„ annorum elapſorum.

Joannes hic fortaſſe eſt Epiſcopus ille Chironenſis, qui in epiſtola Gregorii XI. ad Petrum Archiepiſcopum Cretenſem ejusque ſuffraganeos anno 1375. data, ſuppreſſo nomine enuntiatur.

III. Frater Julianus Epiſcopus Chironenſis memoratur ad annum 1381. in regeſtis Cancellariæ Ducalis Cretenſis: controverſiam enim habuit pro quadam aqua ex puteo ſui territorii manante, de qua deinde judicium adverſus Epiſcopum promulgarunt Dux & Conſiliarius, qui eo tempore Cretenſi Inſulæ præerant. Hoc eſt documentum ſententiæ.

MCCCLXXXI. Menſe Marcii die VII. Indictione IV.

„ Cum coram magnifico Domino Andrea Dandulo hono-
„ rabile Ducha Crete & Domino Jacobo de Medio Con-
„ ſiliario abſente Domino Victore Mauroceno altero Conſi-
„ liario occaſione infirmitatis queſtio verteretur inter Nobi-
„ lem Virum Angelum Paſqualigo ex una parte petentem,
„ & Dom. Fr. Julianum Epiſcopum Kironenſem ex altera de-
„ fendentem ſuper eo videlicet quod dictus Angelus propo-
„ nebat dicens, ſe habere Zardinum poſitum in territorio
„ ſui feudi de Kefala quod debet irrigari, ſeu adaquari de
„ aqua que naſcebatur in territorio Epiſcopatus Kironenſis
„ dictus autem Epiſcopus retineri faciebat dictam aquam
„ nec permittebat ipſam diſcurrere more ſolito ad Zardi-
„ num predictum quod facere non poterat quoniam ipſe
„ Angelus habebat jus ſcriptum de ipſo Zardino, quod ſcri-
„ ptum erat in Cataſtico cum aliis poſſeſſionibus pertinen-
„ tibus dicto ſuo feudo, & ideo petebat ipſum debere aſtrin-
„ gi, ut permittat dictam aquam diſcurere ad utilitatem
„ dicti ſui Zardini, ſicut debebat diſcurrere ſecundum ordi-
„ nes terre. Ad que ſupraſcriptus Epiſcopus reſpondebat
„ dicens quod eſto quod dictum Zardinum ſit ſcriptum in

Ca-

„ Cataſtico cum aliis poſſeſſionibus dicti feudi tamen illud
„ debebat adaquari de aqua alicujus fluvii ſeu fontis, ſed
„ in territorio predicti Epiſcopatus predicto, nullus fluvius
„ erat neque fons, ſed erat quidam puteus artificialiter ſeu
„ manualiter factus cum laborerio erecto de terra, & de
„ ipſo puteo ipſe Angelus non debebat accipere aquam pro
„ utilitate predicti Zardini & erat etiam quedam alia aqua
„ que fluebat de quadam aſpa, que a ſe ipſa aperta fuit
„ & effundebat aquam ab aliquibus annis citra, & in hu-
„ jusmodi aqua de novo inventa dictus Angelus non debe-
„ bat nec poterat habere ullum jus ſed dictus Epiſcopus
„ poterat de ipſa aqua facere omnem ſuam utilitatem ſine
„ contradictione alicujus perſone. Auditis & intellectis juri-
„ bus, & allegacionibus partium, & viſis, & diligenter exa-
„ minatis teſtibus productis per utramque partem per quos
„ plene probatum fuit quod temporibus retroactis predictum
„ Zardinum adaquabatur de aqua, que deſcendebat de ter-
„ ritorio dicti Epiſcopatus, & diſcurrebat ad dictum Zar-
„ dinum, & viſa etiam ſcriptura Cataſtici Curie, in qua
„ continetur, quod dictum feudum de Keſalla debebat habere
„ Zardinum, quod erat penes fontem, & erat jus ſcriptum;
„ dictum eſt per ſupraſcriptum Dom. Ducham, & D. Ja-
„ cobum de Medio Conſiliarium antedictum concorditer, &
„ ſententialiter, quod dictus Epiſcopus non poſſit, neque
„ debeat retinere aquam dicti putei, neque aquam aſpe pre-
„ dicte, ſed permittat illas, & quamlibet earum diſcurre-
„ re, & deſcendere ad utilitatem Zardini predicti Angeli
„ Paſqualigo, & hoc intelligatur de puteo predicto quando
„ aqua dicti putei ſuperabundabit ultra ſuperficiem terre
„ taliter quod effundi poſſit extra puteum ſicut fiebat tem-
„ poribus retroactis.

IV. Franciſcus de Pavonibus Civis Venetus Epiſcopus Chironenſis anno 1404. die 30. Octobris Venetiis degens Joanni de Fuſco Innocentii VII. Secretario epiſtolas miſit, eique Ordinem de Pœnitentia S. Dominici pie commendavit.

Trans-

Translatus deinde fuit anno 1405. ad Archiepiſcopalem Sedem Cretenſem, ut ſuperius dictum eſt in Metropolitis Cretenſibus.

Poſt translationem Franciſci ad Archiepiſcopatum Cretæ, diu vacaſſe Eccleſiam Chironenſem ex eo arguimus, quod Jacobum Epiſcopum Coronenſem Gregorii XII. familiarem ejusdem Eccleſiæ Gubernatorem legimus in Apoſtolico ipſius Gregorii Pontificis diplomate, quod exhibemus. Quum enim ex diuturna Epiſcoporum abſentia Eccleſiis Cretenſibus tum in animarum cura, tum in Divino cultu detrimenta in dies majora provenirent, Gregorius Apoſtolicis litteris ad Clerum Cretenſis Inſulæ datis die 20. Junii anno 1408. mandavit, ut univerſi & ſinguli beneficia cum cura vel ſine cura obtinentes in Inſula Cretenſi, intra ſtatutum temporis ſpatium ad ipſa ſe conferre, & in ipſis reſidere tenerentur. Ab univerſali tamen hac lege unicum Jacobum Coronenſem Epiſcopum exemit, cui cum Gubernatoris titulo demandata fuerat Eccleſiæ Chironenſis adminiſtratio.

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Univerſo Clero Inſulæ Cretenſis Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ Catholicæ fidei & Divini cultus augumento cum ex in-
„ juncto nobis officio ſimus obnoxii, diminutioni quantum
„ cum Deo poſſumus, volumus obſtare. Cum itaque fide di-
„ gna relatione nobis ſuggeſtum extiterit, quod propter ab-
„ ſentiam Epiſcoporum & aliorum Prælatorum ac Clericorum
„ ab Eccleſiis ſuis in Inſula Cretenſi adeo cura animarum ne-
„ glecta ſit, divinusque cultus diminutus, quod fideles ibi-
„ dem degentes eccleſiaſticis ſacramentis divinisque officiis
„ quam plurimum careant, periculusque immineat, ne ru-
„ des populi Græcis ſchismaticis in animarum ſuarum præ-
„ judicium adhæreant. Nos volentes ſuper hoc de opportu-
„ no remedio providere univerſis & ſingulis Archiepiſcopis,
„ Epiſcopis electis, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Deca-

nis,

Digitized by Google

„ nis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Rectoribus Eccle-
„ siarum cæterisque personis ecclesiasticis secularibus & re-
„ gularibus aliqua beneficia cum cura vel sine cura secula-
„ ria vel regularia in dicta Insula quomodolibet obtinenti-
„ bus tenore præsentium ex authoritate Apostolica districte
„ præcipiendo mandamus, quatenus omnes ipsorum qui ab
„ Ecclesiis absunt, infra annum a data præsentium in antea
„ computandum ad deserviendum in suis ordinibus & suis
„ beneficiis se personaliter debeant transtulisse. & illi qui
„ presentes actualiter residunt, ab ecclesiis seu beneficiis præ-
„ dictis nullatenus recedere debeant, sed in eis continue per-
„ sonaliter residere, ut sic prodesse possint verbo opere &
„ exemplo, quod si huic mandato nostro obedientes non fue-
„ rint, inferiores ab Episcopis privationis beneficiorum suo-
„ rum pœnam ipso facto volumus incurrere. Episcopi ve-
„ ro nisi infra sex menses a die elapsi termini ad ecclesias
„ suas reversi residentiam fecerint, omnes fructus, redditus
„ & proventus quos ex dictis episcopatibus percipere con-
„ sueverant, Apostolicæ Cameræ confiscantur. Et si per
„ alios sex menses immediate sequentes huic mandato no-
„ stro effectualiter non paruerint privationis pœnæ subja-
„ ceant ipso facto non obstantibus quibuscumque privilegiis
„ ac indulgentiis quibuscumque personis sub quacumque for-
„ ma concessis per litteras Apostolicas non facientes plenam
„ & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujus-
„ modi mentionem. Volumus autem ut ad illos, qui in ali-
„ quo studio generali nunc existunt, vel in posterum ad ip-
„ sum ex eadem Insula se transferrent, hujusmodi manda-
„ tum nostrum nullatenus extendatur. Declarantes insuper
„ Venerabilem Fratrem nostrum Jacobum Episcopum Co-
„ ronensem Gubernatorem Ecclesiæ Kironensis in nostris ser-
„ vitiis mancipatum ad supradicta nequaquam teneri.

„ Datum Lucæ XII. Kal. Julii Pontificatus nostri anno
„ Secundo.

„ De Curia Henricus.

Lit-

„ Litteræ originales conſignatæ fuerunt in manibus pro-
„ priis Reverendi in Chriſto Patris D. Leonardi Delphino Ar-
„ chiepiſcopi Cretenſis die Dominica, Tertia Februarii, Ind.
„ II. Anno 1408.

V. Nicolaus Cathenigus.

VI. Franciſcus Premarenus. Horum duorum, quos alium ex alio enuntiavimus, nomina ex unico Cancellariæ Ducalis Venetiarum documento prodierunt, ſcilicet ex Decreto, quod Venetus Senatus pro Epiſcopatu Chironenſi tulit anno 1443. die 13. Aprilis.

MCCCCXLIII. Die XIII. Aprilis. In Rogatis.

„ Cum Epiſcopatus Chironenſis pro tempore Rev. Patris
„ Dom. Nicolai Cathenigo cadens de ſuis impoſitionibus mul-
„ tis annis ſteterit affictatus perſonis ſecularibus qui & Epi-
„ ſcopatum & redditus ad malum finem duxerunt. Et Rev.
„ Pat. Dom. Franciſcus Premarino ſuccedens Epiſcopatui re-
„ periens omnia male ſtare comparuit in fine affictuum co-
„ ram Sapientes ſuper caducis & coram Sapientes ad aptan-
„ dum terram, & obtinuit literas quod Epiſcopatus ſuus
„ cum redditibus ſibi aſſignaretur, & licet ſolviſſet multas
„ cadutas, & ab eo die citra quo fuit aptatus etiam cum
„ integritate ſingulo menſe ſolviſſet, ac usque preſentem
„ diem ſolvat tum propter veteres cadutas predeceſſoris ſui
„ & Epiſcopatus predicti, dictus Epiſcopatus & redditus
„ adhuc ſtant affictati in manus Laycorum, qui qualiter re-
„ gant, & gubernent honeſtius conſiderari, quam dici po-
„ teſt. Sed hoc unum jam manifeſtum eſt, quod ille locus
„ a Laycis ita peſſime gubernatus eſt, quod de libris duo
„ mille reductus eſt ad libras ducentas propter malam gu-
„ bernationem affictariorum predictorum. Et nunc cum no-
„ mine dicti Epiſcopatus iterum ſupplicatum fuerit, quod
„ pro honore Dei, & Catholicæ religionis dignemur pro-
„ videre, quod illa principalis & Epiſcopalis Eccleſia dica-
„ ta Virgini Mariæ de Betleem non remaneat amplius in

„ manus Laycorum hominum, & quod in ea poſſint Miſ-
„ ſæ, & alia Divina officia juxta Catholicam fidem cele-
„ brari, nec propter veteres cadutas preceſſorum ſuorum
„ ipſe qui nunc ſolvit, & ſoluturus eſt quoad vivet, impe-
„ diatur Miſſas & Divina ac Catholica officia in Epiſcopa-
„ li Eccleſia miniſtrare.

„ Vadit pars quod pro dictis reſpectibus, & ut dictus lo-
„ cus ad nihilum non redigatur, & dictus Epiſcopus poſ-
„ ſit in futurum ſolvere, hujusmodi Cadute committantur
„ illi Collegio, ad quod commiſſe fuerunt diebus preteritis
„ cadute Nobilium Virorum Jacobi Barbo, & ſimiliter ſ.
„ Nicolai Triviſano, ut videant, & intelligant, ac provi-
„ deant, ſicut conſcientiis ſuis videbitur eſſe ſecundum Deum,
„ & bonum noſtri communis.

VII. Nicolaus de Monte Epiſcopus Chironenſis legitur in regeſtis Cancellariæ Ducalis Venetiarum ad annum 1483. dum enim in Rogatorum Comitiis ageretur de Epiſcopo Tragurienſi eligendo, exhibitus fuit P. C. ſuffragiis inter alios Rev. Pater Dom. Nicolaus de Monte *Epiſcopus Chirone*. Venetiis degebat anno 1489. ut notant documenta Archivi S. Mariæ Servorum de Venetiis.

VIII. Vincentius de Maſſeriis, qui in documentis allatis Tom. X. P. II. & Tom. X. P. III. Eccleſ. Ven. Illuſtr. unico Epiſcopi Milopotamenſis titulo inſignitus legitur, etiam Eccleſiam Chironenſem adminiſtravit, ut teſtatur Wadinghus ad annum 1538. De eo iterum ſermo erit inter Epiſcopos Melipotamenſes.

IX. Dionyſius Zannettinus Græcus adoleſcens Ordinem Minorum ingreſſus Sacræ Theologiæ ſtudiis ſub Franciſco Georgio ejusdem inſtituti viro doctiſſimo operam dedit, eo ſucceſſu, ut ob eminentem ejus in ſacris litteris ſcientiam Eccleſiis primum Zianenſi, & Firmenſi unitis, mox Melipotamenſi & Chironenſi pariter unitis Epiſcopus præfectus fuerit a Paulo Papa III. uti ad annum 1538. notat Wadingh. Tom. XVI. noviſs. edit. pag. 435. his verbis: *Transfertur ab Eccle-*

Eccleſiis Zianenſi & Firmenſi unitis ad Melipotamenſ. & Chironenſem unitas ſub Archiepiſc. Cretenſi Frater Dionyſius N. per obitum Vincentii de Maſſariis die XI. Decembris. Quantum autem in Theologicis facultatibus valeret, oſtendit in ſacroſancta Tridentina Synodo inter Patres ſedens, ubi aliquorum ſententias de impiorum juſtificatione, utpote ſibi ſuſpectas, valide oppugnavit, & de extraordinaris Epiſcoporum redditibus erudite diſſeruit. Ejus tamen virtus tunc præcipue enituit, cum illatam ſibi contra fas a Joanne Thoma Epiſcopo Cavenſi graviſſimam injuriam non modo æquanimiter toleravit, ſed etiam in conſpectu omnium Patrum flexis genibus pro injuſto offenſore miſericordiam & veniam non ſine lacrymis imploravit, ut fuſius narrat in Hiſtor. Concilii Trident. Pallavicinus lib. VIII. c. VI. Ejusdem Concilii actis, quibus interfuit annis 1546. & 1547. nomen Dionyſii appoſitum legitur hoc modo: *R. D. Dionyſius Epiſc. Chironenſis & Melipotamenſis Græcus.* Epiſcopatum Chironenſem (ſibi tamen retenta Eccleſia Melipotamenſi) dimiſit ante medium annum 1549. ut inferius dicendum erit, ubi Epiſcopos Melipotamenſes illuſtrabimus.

Ex actis conſiſtorialibus ſub Clemente VII. refert Lequienius Eccleſiam Cheronenſem cum Arienſi, decreto ipſius Pontificis fuiſſe conjunctam anno 1526. Hæc ſunt actuum conſiſtorialium verba a Lequienio relata. *Romæ die Mercurii menſe..... 1526. referente R. R. D. Cardinale Farneſio univit* (Clemens VII.) *Eccleſiæ Arienſi, quæ eſt valoris tantum ducatorum XII. quia bona occupantur ab infidelibus, Eccleſiam Cheronenſem in Inſula Cretæ, prædictæ Eccleſiæ Arienſi cum dismembratione ab Eccleſiis Drerapetrenſis* (fortaſſis Hierapetræ) *& Monobarianenſi pinguioribus* &c. Licet autem hæ duæ Eccleſiæ ex Apoſtolica authoritate conjunctæ fuerint, attamen per aliquod tempus ſub ſuis Epiſcopis ſeparatas perſeveraſſe cognoſcimus. Anno enim 1538. Dionyſium ſuperius enuntiatum habemus Epiſcopum Chironenſem, cui Eccleſiam Chironenſem dimittenti ſucceſſor in eadem Eccleſia

datus fuit a Paulo III. Titus Canonicus Regularis, (de quo mox dicemus) & quidem Paulus Papa III. fuerat ille Cardinalis Farneſius, ad cujus hortatum Clemens VII. Eccleſias Arienſem & Chironenſem in unum Epiſcopatum redegerat. Quamvis autem ſeries Epiſcoporum poſt tempus unionis in Cheroneſo continuaretur, Eccleſia tamen Arienſis per ſuos Epiſcopos adminiſtrata cognoſcitur, anno enim 1536. Bartholomæus Sirige Epiſcopus Arienſis, (ut refert Ughel. Tom. IX. Italiæ Sac. in Caſtellanetenſibus Epiſcopis) a Pio Papa V. ad Eccleſiam Caſtellanetenſem in Italia translatus fuit, cui deinde (ut refert Wading. ad annum 1537.) ſuffectus fuit eodem anno 1537. die 5. Decembris Fr. Ludovicus de Martinis. Veriſimiliter ergo conjici poteſt, unionem ſtatutam quidem fuiſſe anno 1526. attamen aliqua interveniente cauſa dilationem habuiſſe.

X. Titus Canonicus Regularis Lateranenſis Epiſcopus Chironenſis altaria S.S. Salvatoris & S. Nicolai in Eccleſia Veneta Sanctæ Mariæ de Charitate Canonicorum Regularium Lateranenſium conſecravit, ut notatur in regeſtis ipſius Monaſterii. Anno 1548. jam dignitati renuntiaverat, ſiquidem in Archivo Sanctæ Mariæ Miraculorum apud oppidum Mothæ vocatur olim Epiſcopus hoc modo: *D. Titus Canonicus Regularis Epiſcopus olim Cheronenſis de licentia Reverendiſs. Joannis de la Caſa electi Beneventani, & in toto Venetorum Dominio Legati Apoſtolici conſecravit Eccleſiam S. Mariæ Miraculorum Mothæ anno* 1548. *16. Aprilis*. Ab epiſcopali onere ſolutus ſtationem ſibi Venetiis ſtatuit in Parœcia Sanctæ Juſtinæ, ubi & humanitatis debitum perſolvit die 10. Aprilis anno 1551.

XI. Joannes Franciſcus Verdura Meſſanenſis ad Eccleſiam Chironenſem per renuntiationem Titi Epiſcopi vacantem a Paulo Papa III. promotus fuit anno 1549. die 7. Junii. A Franciſco Cardinali Piſano Eccleſiæ Tarviſinæ adminiſtratore perpetuo conſtitutus fuit in univerſa Tarviſina Civitate & Diœceſi Vicarius Generalis *cum poteſtate viſitandi*; quod

ſibi

ſibi collatum viſitandi munus dum ageret anno 1554. librum quemdam *Beneficiorum Tarviſinæ Diœceſis* nuncupatum inſtitui juſſit, in quo viſitationes Parœciarum ab eo per Tarviſinam Diœceſim peractæ continentur. Concilio Tridentino ſub Pio IV. interfuit, cujus etiam actis ſubſcripſit. *Joannes Franciſcus Verdura Meſſanenſis Epiſcopus Chironenſis.*

XII. Julius Fioretti Ordinis Minorum Conventualium Epiſcopus Chironenſis alligatur ad annum 1572. a Fr. Petro Antonio de Venetiis Minore Obſ. Reformato in ſuo Viridario Seraphico (Giardino Serafico) Tom. I. pag. 549. & Tom. II. pag. 460.

XIII. Joannes Baptiſta Bernini Ordinis Minor. Conventualium Epiſcopus Chironenſis enuntiatur ad annum 1587. in citato libro Tom. I. pag. 551. & Tom. II. pag. 461. ab eodem Petro Antonio de Venetiis, qui deinde Tom. I. pag. 552. affert Joannem Baptiſtam Bernardi Epiſcopum Chironenſem in hac tamen ſerie conſulto prætermiſſum, cum unum eundemque eſſe putem cum Joanne Baptiſta Bernini.

XIV. Joannes Franciſcus a Puteo (Pozzo) Ludovici filius huic Eccleſiæ præerat anno 1590. Memoratur in domeſticis ſchedis Familiæ Zeno olim Nobilis Cretenſis, ex qua prodierunt Franciſcus Zenus Epiſcopus Juſtinopolitanus, ejusque nepos Apoſtolus Zenus clariſſimum Litterariæ Reipublicæ lumen. Porro in una ex iis ſchedis in Veneta S. Mariæ Servorum Bibliotheca extantibus hæc leguntur:

Adi 4. Ottobre 1618. In Candia.

„ Don Benedetto Uguccioni da Modena fu Cappelano „ del qu. Reverendiſs. Monſignor Gio. Franceſco Pozzo Ve„ ſcovo di Cheroneſo venne a ſtar in caſa noſtra (gentis „ ſcilicet Zenæ) per Cappelano d'accordo con ſalario di un „ Cechino al meſe.

„ Adi 1. Marzo 1621. lo licenziai.

XV. Dominicus Mudaccio anno 1604. Canonicus Decanus Me-

Metropolitanæ Cretenſis Eccleſiæ ad Epiſcopatum Chironenſem anno inſequenti aſſumptus fuit, quem ſaltem usque ad annum 1610. adminiſtraſſe addiſcimus ex ejus familiaribus epiſtolis in Bibliotheca Veneti Monaſterii Sanctæ Mariæ Servorum aſſervatis.

XVI. Petrus Epiſcopus anno 1637. Eccleſiæ Chironeſi præerat, quo anno *ſimplex beneficium Eccleſiaſticum ſub invocatione Sancti Joannis in Parochiali ſeu alia Eccleſia loci de Creta Novarienſis Diœceſis in titulum ex diſpenſatione Apoſtolica poſſidebat*, quod poſtea in Urbani Papæ VIII. manibus ſponte renuntiavit. Illud poſtea Pontifex cum apud ſe vacare cognoſceret, ſuperius laudato Franciſco Zeno J. U. D. Nobili Cretenſi, tunc temporis Canonico Chironenſi, qui poſtea Archiepiſcopi Cretenſis Vicarius Generalis, & Cathedralis Candienſis Eccleſiæ Præpoſitus, ac demum Juſtinopolitanæ Sedis Epiſcopus electus fuit, dato Romæ diplomate contulit, anno ſuperius enuntiato 1637. die 5. Februarii. Apoſtolicam bullam ad pleniorem rei notitiam afferimus.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilecto Filio Franciſco Zeno Clerico perpetuo beneficiato in Parochiali ſeu alia Eccleſia loci de Creta Novarienſis Diœceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ Vite ac morum honeſtas aliaque laudabilia probitatis
„ & virtutum merita ſuper quibus apud nos fide digno
„ commendaris teſtimonio nos inducunt ut tibi reddamur
„ ad gratiam liberales. Dudum ſiquidem omnia beneficia
„ eccleſiaſtica apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia & in
„ antea vacatura collationi & diſpoſitioni noſtre reſervavi-
„ mus decernentes ex tunc irritum & inane ſi ſecus ſuper
„ his a quocumque quavis authoritate ſcienter vel ignoran-
„ ter contigerit atemptari. Cum itaque poſtmodum perpe-
„ tuum ſimplex beneficium eccleſiaſticum ſub invocatione
„ S. Joannis in Parochiali ſeu alia Eccleſia loci de Creta

Nova-

Digitized by Google

„ Novarienſis Dieceſis per liberam reſignationem Venerab.
„ fratris noſtri Petri moderni Epiſcopi Chironenſis de illo
„ quod tunc in titulum ex diſpenſatione apoſtolica obtine-
„ bat in manibus noſtris ſponte factam & per nos admiſ-
„ ſam apud Sedem eamdem vacaverit, & vacet ad pre-
„ ſens, nullusque de illo preter nos hac vice diſponere po-
„ tuerit ſive poſſit reſervatione & decreto obſiſtentibus ſu-
„ pradictis, nosque tibi, qui teſtimonio Ordinarii Creten-
„ ſis de vita & moribus predictis & idoneitate etiam com-
„ mendaris, & ut aſſeris ex civitate Cretenſi oriundus exi-
„ ſtis ac Canonicatum, & prebendam Eccleſie Chironenſi
„ quorum fructus redditus & proventus viginti quatuor du-
„ catorum auri de Camera ſecundum communem extima-
„ tionem valorem annuum non excedunt obtines, premiſſo-
„ rum meritorum tuorum intuitu ſpecialem gratiam facere
„ volentes teque a quibusvis excommunicationis ſuſpenſio-
„ nis & interdicti aliisque eccleſiaſticis ſententiis cenſuris &
„ penis ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis ad effectum
„ preſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſol-
„ ventes & abſolutum fore cenſentes, beneficium predictum
„ quod perſonalem reſidentiam non requirit ac cujus & il-
„ li forſan annexorum fructus redditus & proventus alio-
„ rum vigintiquatuor ducatorum ſimilium ſecundum exti-
„ mationem predictam valorem annuum ut etiam aſſeris non
„ excedunt ſive premiſſo ſive alio quovis modo aut ex al-
„ terius cujuscunque perſona ſeu per ſimilem reſignationem
„ dicti Petri Epiſcopi vel cujuvis alterius de illo in Roma-
„ na Curia vel extra eam etiam coram notario publico &
„ teſtibus ſponte factam aut aſſequutionem alterius benefi-
„ cii eccleſiaſtici quavis auctoritate collati non tamen per
„ obitum vacet etiamſi tanto tempore vacaverit quod ejus
„ collatio juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii ad Sedem pre-
„ dictam legitime devoluta ipſumque beneficium diſpoſitio-
„ ni Apoſtolice ſpeciale vel alias generale reſervatum exi-
„ ſtat & ſuper & inter aliquos lis cujus ſtatum preſentibus

habe-

„ haberi volumus pro expreſſo pendeat indeciſa dummodo ejus
„ diſpoſitio ad nos hac vice pertineat cum annexis hujus-
„ modi ac omnibus juribus & pertinentiis ſuis Apoſtolica
„ tibi auctoritate conferimus & de illo etiam providemus.
„ Decernentes prout eſt irritum & inane ſi ſecus ſuper his
„ a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter at-
„ temptatum forſan eſt hactenus vel inpoſterum contigerit
„ attemptari. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifa-
„ cii Pape VIII. Predeceſſoris noſtri & aliis Apoſtolicis con-
„ ſtitutionibus contrariis quibuscunque. Aut ſi aliqui ſuper
„ proviſionibus ſibi faciendis de hujusmodi vel aliis benefi-
„ ciis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales vel generales
„ dicte Sedis aut Legatorum ejus litteras impetrarint etiam-
„ ſi per eas ad inhibitionem reſervationem & decretum vel
„ alias quomodolibet ſit proceſſum quibus omnibus te in
„ aſſequutione dicti beneficii volumus anteferri ſed per hoc
„ nullum eis quoad aſſequutionem beneficiorum aliorum pre-
„ judicium generari ſeu ſi Venerabili Fratri noſtro Epiſco-
„ po Novarienſi vel quibusvis aliis communiter vel diviſim
„ ab eadem ſit ſede indultum quod ad receptionem vel pro-
„ viſionem alicujus minime teneantur & ad id compelli non
„ poſſint. Quodque de hujusmodi vel aliis beneficiis eccle-
„ ſiaſticis ad eorum collationem proviſionem preſentationem
„ ſeu quamvis aliam diſpoſitionem conjunctim vel ſepara-
„ tim ſpectantibus nulli valeat provideri per litteras Apo-
„ ſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo
„ ad verbum de indulto hujusmodi mentionem & qualibet
„ alia dicte Sedis indulgentia generali vel ſpeciali cujuscun-
„ que tenoris exiſtat per quam preſentibus non expreſſam
„ vel totaliter non inſertam effectus hujusmodi gratie im-
„ pediri valeat quomodolibet vel differri & de qua cujus-
„ que toto tenore habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpe-
„ cialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam
„ noſtre abſolutionis collationis proviſionis decreti & volun-
„ tatis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis

autem

„ autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem Om-
„ nipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum
„ ejus ſe noverit incurſurum.

„ Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarna-
„ tionis Dominice milleſimo ſexenteſimo trigeſimo ſe-
„ ptimo Nonis Februarii Pontificatus noſtri anno XV.

ECCLESIA SYTHIENSIS.

IN notitiis Leonis Imperatoris cognomento Sapientis inter urbes Cretenſis Inſulæ Epiſcopales recenſetur Citea, quæ veriſimiliter eadem urbs eſt ac Cyteum enuntiatum a Ptolomæo & ad plagam Borealem ipſius Inſulæ collocatum, cujus etiam mentionem habent Plinius, & Stephanus Byz. aliique recentiores Geographi, qui eam a Candia Metropoli LXXX. circiter millia paſſuum diſtare aſſerunt. Hæc dignitatem Epiſcopalem, quam ſub Imperatoribus Græcis videtur obtinuiſſe, facta Venetæ ditionis ſubdita non retinuit; ſiquidem Sythia, quæ Latino Epiſcopatu decorata fuit, antiquitus (ſi Dominico Mario Nigro illuſtri Geographo fides ſit adhibenda) Heraclium dicebatur, ut ſuperius enuntiavimus in Græca Eccleſia Heracleopolis. Eccleſia ejus S. Marci Evangeliſtæ titulo decorata ſex Canonicos præter alios minoris Officii clericos ad ſacra omnia peragenda habebat, quorum quidem reſidentia ibi ſtetit, donec anno 1538. Urbs Sithiæ ex inopinato Turcicæ Claſſis ſub Ariadeno Oenobarbo ad Inſulam Cretæ appulſu a tenui militum eam cuſtodientium præſidio derelicta, civibus quoque auſugientibus, direpta a Barbaris, atque incendiis adeo diruta fuit, ut ex cccc. & ultra quibus conſtabat domibus, vix tresdecim admoti ignis cladem evaſerint. Ex eo tempore, quamvis multi ex incolis ad antiquas ſedes rediiſſent, tamen locus nec ædium, nec civium numero ullam deinde civitatis ſpeciem præſeferre nequivit; unde ab Aloyſio Lollino, ut ſupra retulimus, Sythia, quamvis unius ex Cretenſibus Provinciis caput, in-

ter Civitates adnumerari non meruit. Quum autem eodem XVI. ſæculo Epiſcopatus Sythienſis Pio V. Pontifice mandante Hierapetrenſi Eccleſiæ unitus fuerit, omnes Canonici Hierapetram ſe tranſtulerunt, unico excepto, qui in veteri Cathedrali Sythienſi ad ſacramenta Latinis ibi degentibus adminiſtranda permanſit. Hæc autem ſunt Antiſtitum Sythienſium nomina.

I. Marcus Sythienſis Epiſcopus anno 1225. menſe Majo Indictione XIII. *in Candia civitate Inſulæ Cretæ* degens Abbatiſſæ & Monaſterio S. Marci de Aymanis (olim Inſula in Venetis æſtuariis nunc abſorpta) dono dedit & conceſſit *Monaſterium S. Nicolai poſitum in capite Salmone, quod in tempore Græcorum fuerat Abbatia in Diœceſi B. Mariæ Epiſcopatus Sythienſis*. Epiſcopale Marci Diploma ex Archivo Monaſterii S. Antonii de Torcello depromptum legitur in Italia Sacra Ven. edit. Tom. V. col. 1387. Fortaſſe Marcus interfuit conſecrationi Eccleſiæ S. Danielis Venetiarum die ſeptima Februarii anno MCCXIX. in lapide enim etiamnum exiſtente in ipſa S. Danielis Eccleſia inter alios Epiſcopos, qui Hugolino Cardinali Epiſcopo Oſtienſi in ea ſolemnitate adſtiterunt, recenſetur ſuppreſſo nomine Epiſcopus Sythienſis; ut videre eſt in Eccleſiis Venetis Illuſtratis Tom. IV. p. 372.

II. Andreas Sythienſem Epiſcopatum ante annum 1251. adminiſtravit, ſiquidem die 23. Martii ejusdem anni Clemens VI. Sythienſi Eccleſiæ per obitum Andreæ Epiſcopi vacanti Paſtorem dedit.

III. Joannes de Clavaſio Ordinis Minorum ad Epiſcopatum Sythienſem promotus fuit a Clemente VI. anno 1351. ut refert Wading. Tom. VIII. noviſs. edit. pag. 75. *In Sythienſi* Epiſcopatu *ſub Archiepiſcopatu Cretenſi per obitum Andreæ Frater Joannes de Clavaxio*. Pontificium electionis diploma datum fuit *apud Villamnovam Avenionenſis Diœceſis X. Kal. Aprilis* (23. Martii) *anno IX.*

IV. Joannes hujus nominis II. Epiſcopus Sythienſis Ordinis Prædicatorum, de quo Fontana in Theatr. Domin.

pag.

pag. 295. ita ſcribit: *In Candia ſub Metropolita Cretenſi eſt Sithienſis* (nempe Sythienſis) *Eccleſia cui præfectus eſt Epiſcopus ab Urbano V. Papa Fr. Joannes de Senis ab eodem Pontifice poſtmodum Deputatus Judex in cauſa Azolini Malavoltæ Senenſis Epiſcopi, ut conſtat ex inſtrumento rogato die 14. Aprilis anno 1364. exiſtente in Archivo Hoſpitalis Majoris dictæ Civitatis* (*apud*) *Ugurger in Pomp. Senenſ. tit. 7.* Addit ad hæc Lequienius: *Is ille fortaſſis fuit Epiſcopus Sitienſis, qui in titulo Epiſtolæ Gregorii X. legitur*, ut de qua ſupra.

V. Ugo Varoli de Auximo Epiſcopus Scitienſis & Rector Sanctæ Trinitatis de Auximo erutus fuit a Clar. viro Franciſco Antonio Zacharia ex quodam Codice Tabularii Epiſcopalis Auximani, cujus codicis pag. 728. affertur inſtrumentum quodam rogatum *per Magbinardum Lambertinum de Bononia Notarium & Cancellarium Epiſcopalem Auximi anno* 1384. & in eo hæc leguntur: *Die penultima menſis Febr. Indictione VII. &c. Dominus Frater Ugo Varoli de Auximo Epiſcopus Scitienſis, & Rector Eccleſiæ Sanctæ Trinitatis de Auximo, ſuo nomine & nomine dictæ Eccleſiæ Sanctæ Trinitatis fecit & legitime ordinavit ſuum Procuratorem ſer Antonium Fanelli de Auximo præſentem & acceptantem ad omnia & ſingula quæ ad litigium continet ad petendum & recipiendum omne id quodque debetur, & debebitur in futurum eidem Domino Fratri Ugoni & dictæ Eccleſiæ Sanctæ Trinitatis &c. Actum Auximi in platbea publica Communitatis ante dictam Eccleſiam Sanctæ Trinitatis præſentibus Domino Joanne Nardi Canonico Auximano, & Petro Cecchi Androchi de Auximo teſtibus ad hæc &c.*

Porro ex appoſito *Fratris* titulo non obſcure arguimus Ugonem hunc ex regulari aliquo inſtituto ad Epiſcopatum Sythienſem aſſumptum fuiſſe.

VI. Dominicus de Dominicis Ordinis Carmelitarum anno 1395. dum Procuratoris Generalis munus pro ſuo Ordine in Curia Romana ageret, ad Sythienſem Epiſcopatum a Bonifacio IX. aſſumitur die 30. Martii. Refert Daniel a S. Maria Carmelita Belga in ſpeculo Carmel. pag. 919. Domini-

minicum ad Sedem Melipotamenſem anno 1399. die 24. Novembris translatum fuiſſe in locum Victoris Epiſcopi deducti ad Sedem Sythienſem, additque Dominicum Epiſcopo Mantuano, ut ſuffraganeum, deſerviſſe, neque unquam veroſimiliter ad ſedem ſuam acceſſiſſe, incertumque eſſe ejus emortualem annum. Ad annum tamen circiter 1409. ſupervixiſſe innuit Michael Pio in opere Italico de nobili progenie S. Dominici, ubi eum appellat Fr. Dominicum de Cremona Carmelitam Epiſcopum Sitienſem, & ſuffraganeum Mantuæ. *Verum*, ſubdit Lequienius, *hunc ad Melipotamenſem Eccleſiam nova proviſione aſſumptum fuiſſe ex modo dicendis patebit: adeo ut Victor Melipotamenſem ſedem ſuam ſervaſſe usque ad hunc annum, quo fortaſſe mortuus eſt*, (at hoc obſtat probabilitati adductæ a Daniele ex Michaele Pio) *& Dominicus pariter ſuam Sithienſem, videantur*. Horum omnium, cum nullis ſeu documentis, ſeu documentorum allegationibus fulciantur, fides ſit penes Scriptores, qui ea nobis demandarunt.

VII. Matthæus de Rethimo Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Sythienſi Eccleſiæ per translationem Dominici de Dominicis ad Sedem Melipotamenſem vacanti a Bonifacio IX. præfectus fuit, ut narrat Thomas de Herrera Alph. Auguſt. Tom. II. pag. 76.

VIII. Joannes Epiſcopus Sythienſis ante diem 17. Martii anni 1467. e vita migravit.

IX. Leo de Naxia Ordinis Minorum *a litterarum peritia valde* commendatus, creatus fuit Epiſcopus Sythienſis ſub Archiep. Cretenſi anno 1467. die 17. Martii, ut refert Wading. Tom. XIII. noviſs. edition. pag. 410. Epiſcopatum Brixiæ per abſentiam Laurentii Zane Patriarchæ Antiocheni, & Epiſcopi Brixienſis exilio damnati, Paſtore deſtitutum per quatuor & ultra annos *cum ſumma fide & commendatione omnium* adminiſtravit, ut teſtatur publicum decretum anni 1483. diei 23. Julii, ex quo addiſcimus *promiſſa* illi fuiſſe *in compenſationem oneris per ipſum ſuſcepti tot beneficia in Brixienſi*

xienſi Diœceſi, quot ſint ad ſummam ducatorum CC. de introitibus; cum inopis Eccleſiæ Sithienſis redditus ſoli XXX. argentei numerarentur.

X. Gaſpar Vivianus Epiſcopus Sythienſis, *ac Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Scipionis Rebiba S. R. E. titulo S. Anaſtaſiæ Presbyteri Cardinalis de Piſis nuncupati, & Patriarchæ Conſtantinopolitani Vicarius in ſpiritualibus & temporalibus Generalis, bonorumque menſæ Patriarchalis gubernator ac procurator* anno 1567. die 18. Julii *Candidæ Inſulæ Cretæ* degens redditus menſæ ejusdem Patriarchalis exegit, ut ipſe publico inſtrumento teſtatus eſt; quod quidem inſtrumentum cum aliis ejusdem pariter rationis eo ipſo anno confectis aſſervatur in Archivo Fratrum Prædicatorum de Obſervantia in Veneto S. Mariæ Roſarii Cœnobio commorantium.

Epiſcopatum Sythienſem univit deinde Pius V. Epiſcopatui Hierapetrenſi anno 1571. hac tamen lege ſtatuta, ut Epiſcopus utriusque Eccleſiæ vocari deberet Epiſcopus Hierapetrenſis ex antiquiori titulo ipſius Eccleſiæ, quæ ante Sythienſem fundata fuerat. Unionis hujuſce mentionem fecit Clemens Papa VIII. in ſua Bulla Romæ data anno 1593. die 31. Januarii, qua Alexandrum *Hierapetrenſi, & Sythienſi Eccleſiis invicem unitis* præfectum Epiſcopum ad annuam *trecentorum ſcutorum* penſionem Veneto Clericorum Seminario ſolvendam teneri decrevit. Vulgatum eſt diploma in Eccleſ. Venet. Illuſtr. Tom. V. pag. 38. Cum ergo Sythienſis Eccleſiæ redditus, ut patet ex magnæ authoritatis documento, ad Hierapetrenſem Epiſcopatum & quidem ſine diminutione devenerint, emendandus eſt Papadopuli locus in Hiſtor. Gymn. Patav. T. I. pag. 39. ubi ait: *Redditus Sethienſis Eccleſiæ bipartito diviſi in utilitatem Epiſcoporum Cydoniæ ac Rhethmnæ ceſſere, neque ulla eorum particula conceſſa Græcorum collegio, quod ſolis Eccleſiæ Ciſamenſis redditibus alitur.* Quoniam vero Clariſſimum Virum Nicolaum Papadopulum de Epiſcopatu Sithienſi ſcribentem hoc loco memoravimus; libet hoc loco afferre, ea quæ illuſtris Vir ſcripta de quodam

Epi-

Epiſcopo Sithienſi in lucem protulit Hiſtoriæ ſupradictæ loco citato: *Unum Sethienſem Epiſcopum novimus interfectum, ſed a Patre familias, cujus filiæ pudorem corruperat. Nomini parcimus quod epiſtola laudata* (Andreæ Endemonioannis) *commemorat & aliogui notum eſt nimis Genti noſtræ ex maledictis, quæ in Latinos evomuit & Maximus Margunius & Meletius Pega.*

Cœperunt deinde ex eo ſtatutæ unionis tempore Epiſcopi utriusque Eccleſiæ geminato titulo Hierapetrenſis & Sythienſis appellari, quorum propterea nomina mox ad Hierapetrenſem Eccleſiam afferemus. Duos tamen etiam poſt ſtatutam a Pio V. unionem Epiſcopos inveni unico Sythienſis Eccleſiæ titulo decoratos, quos tamen probabiliter autumo utrique Epiſcopatui præfuiſſe. Eos igitur hoc loco ſolo Sythienſi nomine vocatos ad Sythienſium ſeriem adjicio.

XI. Georgius Minoto, quem Lequienius ex nuntiis publicis Galliæ ſcriptis novit anno 1634. die 26. Auguſti a *Landinio Zacchia Cardinali Sancti Sixti proclamatum fuiſſe pro Epiſcopatu Sithienſi Inſulæ Cretenſis.*

XII. Petrus Epiſcopus Sythienſis, cui Urbanus Papa VIII. anno 1642. die 6. Julii curam & regimen Monaſterii Sanctæ Mariæ de Virginibus Venetiarum demandavit. Pontificium diploma relatum eſt in Eccleſiis Venet. Illuſtr. Tom. IV. pag. 160.

ECCLESIA ARCHADIÆ.

URbem Archadiæ in Creta Inſula ſitam dignitate Epiſcopali olim ſub Græcis Imperatoribus fuiſſe inſignitam tradunt notitiæ Hieroclis Gramatici, & confirmant acta Concilii Nicæni ſecundi. Eodem titulo decorata etiam ſub Venetorum Imperio permanſit: Latini enim Antiſtites, qui in ea inſtituti fuerunt in ejus adminiſtratione perdurarunt, usque ad Clementis VIII. tempora, qui Senatus Veneti inſtantiis annuens Epiſcopatum Archadienſem ob reddituum defi-

deficientiam pene ad nihilum redactum extinxit, ejusque tenues proventus Hospitali Militum Cretensi Apostolica authoritate assignavit anno MDCIV.

Quamvis autem per tria & amplius sæcula Episcopatus Archadienſis floruerit, attamen pauca Antistitum nomina temporis edacitati subducta eruere licuit vel a Lequienio collecta, vel ex antiquis documentis excerpta.

I. Fr. Daniel Episcopus Archadiensis Avenioni apud Joannem Papam XXII. degens Ecclesiæ S. Salvatoris de Venetiis simul cum aliis Episcopis Indulgentias concessit anno 1330. die 15. Januarii, ut videre est in Ecclesiis Venetis Illustratis Tom. XIV. pag. 150.

II. Raphael Archadiensis Episcopus memoratur in regestis Cancellariæ Inferioris Venetiarum ad annum 1332. ex quibus nomen ejus collegit Joannes Baptista Leonarduccius Sacerdos Venetus. Obiit circa annum Domini 1349.

III. Fr. Raphael hujus nominis II. Ordinis Minorum Provinciæ Cretæ Minister ad Archadiensem Sedem assumptus fuit a Clemente VI. ut refert Wadinghus Tom. VIII. novis. edit. ad annum 1349. epistolas Clementis VI. Avenioni datas VIII. Idus Julii anno Pontificatus VIII. qui Christi est 1349. exhibet Wading. ipse in regesto Pontificio T. VIII. Annal. pag. 390. ex quibus duos Raphaeles agnovimus, qui alter ab altero Ecclesiam Archadiensem susceperunt administrandam. Notat ejusdem Tomi pag. 34. Wadingh. quatuor eodem tempore ex Ordine Minorum assumptos fuisse a Clemente Episcopos unius Cretensis Metropolitani suffraganeos, proinde arguit peculiarem fuisse Cretensium erga Minoritas affectum.

Episcopum hunc olim in Insula Cretensi Apostolicæ Sedis Nuntium, & collectorem *ab officio collectoriæ in præfata Insula ex certis causis* removit Urbanus Papa V. eidemque in Nuncii & Collectoris munere suffecit Jacobum Abbatem S. Thomæ de Torcello Ordinis Cistercienſis anno 1362. die 13. Decembris. Quum autem accepisset Pontifex Raphaelem

lem Epiſcopum *in nonnullis pecuniarum ſummis nomine Cameræ Apoſtolicæ collectis* adhuc eidem Cameræ teneri, Jacobo Abbati per Apoſtolica ſcripta mandavit, ut Epiſcopum ipſum ad juſtam ſolutionem omnium, ut repererit teneri, compelleret. Utrumque Urbani Papæ diploma dedimus T. X. Eccl. Ven. Illuſtr. pag. 253. & 254. Mortalitatem exuit anno 1369.

IV. Andreas Ordinis Heremitarum S. Auguſtini, qui in publicis Venetæ Cancellariæ regeſtis Andreas de Firmo vel ex agnomine, vel a patria vocatur, ad Epiſcopatum civitatis Arcadienſis vacantem per obitum Fr. Raphaelis Ordinis Minorum electus fuit anno 1369. pro cujus electione confirmanda decrevit Senatus die 19. Junii ejusdem anni publicas Pontifici, & Cardinalibus epiſtolas mittere. S. C. laudes electi Epiſcopi efferens exhibemus.

MCCCLXIX. Die XIX. Junii.

„ Quod in favorem religioſi viri Fr. Andree de Firmo Or-
„ dinis Heremitarum S. Auguſtini electi in Epiſcopum Ec-
„ cleſie Archadienſis vacantis per obitum Fratris Raphaelis
„ Ordinis Minorum Epiſcopi Eccleſie prelibate poſſint ſcri-
„ bi littere Domino Pape & Cardinalibus & aliis, quibus
„ videbitur in illa forma, que Dominio videbitur, cum de
„ ipſo per rectores noſtros de honeſtate vite & claritate
„ ſcientie laudabiliter teſtimonium perhibeatur.

Excepit Senatus vota Romanus Pontifex Urbanus V. & Andream inſtituit Archadienſis Eccleſiæ Epiſcopum die 23. inſequenti Julii, cui adhuc præerat anno 1391. unde arguit Lequienius, ipſum fuiſſe Arcadienſem Epiſcopum illum, qui in titulo epiſtolæ Gregorii XI. ſuperius memoratæ enuntiatur.

V. Fr. Wilielmus Ordinis Prædicatorum Dei Gratia Epiſcopus Arcadienſis legitur in quodam diplomate nulla anni chronica nota ſignato, quo ipſe, & Fr. Angelus Epiſcopus Civitatis Novæ Tarviſii degentes omnibus Chriſtifidelibus,

qui

qui pro ædificatione Eccleſiæ Sanctæ Margaritæ de Torcello manus porrexiſſent adjutrices Indulgentiam XL. dierum de injuncta pœnitentia relaxarunt, die Veneris quæ fuit VIII. Decembris Diploma hoc Indulgentiarum allatum fuit in Eccleſiis Ven. Illuſtratis Tom. X. ad Monaſterium S. Maphæi de Majurbio, ubi in appoſitis diplomati notis errantes Arcadiam ſeu Arcadiopolim Provinciæ Thraciæ urbem notavimus pro Arcadia Cretenſis Inſulæ civitate. Porro quis fuerit Frater Angelus ille, qui Civitatis Novæ Epiſcopus ſcribitur, haud facile eſt aſſerere: ſiquidem nec in ſerie Epiſcoporum Æmoniæ, quæ Civitas Nova dicitur in Iſtria, nec inter Antiſtites Civitatis Novæ in æſtuariis nullus legitur Epiſcopus Angelus nomine, niſi ſolus Angelus Corrarius poſtea in Pontificatu Gregorius XII. qui cum Patriarcha Conſtantinopolitanus eſſet, & S. R. E. Cardinalis Eccleſiam Civitatis Novæ in æſtuariis commendatario titulo ab Innocentio VII. anno 1406. die 23. Junii adminiſtrandam ſuſcepit, quam poſtea die 26. Aug. ejusdem anni ceſſit nepoti ſuo Fr. Antonio Corrario Ordinis Prædicatorum alumno. Igitur cum Angelo Corrario jam Patriarchæ & Cardinali, neque Epiſcopi titulus, utpote ſuis dignitatibus minor, neque Fratris appoſita nota (erat enim ex eccleſiaſtica fæculari hierarchia aſſumptus) conveniant, pronum eſt credere Angelum pro Antonio ex Amanuenſis oſcitantia irrepſiſſe, cui quidem conjecturæ robur addit, quod Antonius Corrario eidem, cui Wilielmus Epiſcopus, Ordini nomen dederat, unde ſimul Tarviſii convenerunt. Quæ ſi ita concilianda eſſe putemus, Wilielmi Epiſcopatus ad ea tempora alligandus erit, in quibus Epiſcopatui Civitatis Novæ Antonius Corrarius præfuit, nempe ab anno 1406. usque ad annum 1409. in quo Eccleſiam Arcadienſem ſuo viduatam Paſtore legimus in regeſtis Cancellariæ Ducalis.

Digitized by Google

1409. *Indict. II. die 14. Martii.*

„ Infraſcripti fecerunt ſe ſcribi ad probam Epiſcopatus
„ Archadie Inſule noſtre Crete.

„ Ven. Vir Fr. Franciſcus Sagredo Nobilis noſter Ordinis
„ Minorum Cuſtos Conventus Crete.

„ Ven. V. Fr. Thomas Salamon ſ. Michaelis Ord. Præ-
„ dicatorum Magiſter Philoſophiæ.

„ Ven. V. Nicolaus Carazacanepo Canonicus Cretenſis
„ electus per Capitulum Archadie.

„ Ven. V. Fr. Jacobus filius providi viri Joannis Moyſe
„ Abbas S. Marie de Valle Ordinis S. Benedicti.

In quem ex ſupra relatis conſenſerint potiora P. C. ſuffragia, nos latet: ſiquidem deſunt in regeſtis ipſa ſuffragia, quæ ſingulis nominibus apponenda erant; hoc etiam nobis ex publicis regeſtis innoteſcit, quod anno 1417. Epiſcopatus Archadienſis ſuo vacabat Paſtore.

VI. Michael, qui extremum diem obiit anno 1424.

VII. Petrus de Ceno Ordinis Prædicatorum Epiſcopatui Arcadienſi a Martino V. præficitur.

Nullam Wilielmi Epiſcopi Archadienſis mentionem ingerit in ornatiſſimo ſuo Bullario Bremondius, qui in appendice ad Gregorium XI. affert ex Echard. Guillelmum Andream Epiſc. Achadenſem in Hibernia ad annum 1374. cujus tempora cum Antonio Epiſc. Civitatis Novæ minime convenire noſcuntur.

VIII. Marcus Epiſcopus Archadienſis, quem documenta Archivi S. Mariæ Servorum de Venetiis e familia Juſto ſeu Zuſto progenitum eſſe aſſerunt, Eccleſiæ Archadienſi præerat anno 1470. ut ex documento authentico comperimus in Eccleſiis Venetis Illuſtr. allato Tom. II. pag. 78. quo Paulus, & alii Nobiles Danduli in præſentia Hermolai Epiſcopi Chiſſamenſis conſtituti Monaſterium S. Pauli Burgiranda nuncupati, Dom. Marco Epiſcopo Archadienſi *auctoritate juriſpatronatus*, quam in eodem Monaſterio habebant, *ad totum* tem-

tempus vitæ ipſius Epiſcapi conceſſerunt anno ſuperius enuntiato 1470. die 26. Martii. Hanc tamen conditionem donationis inſtrumento apponi voluerunt, nimirum ſi ab ea factæ oblationis die ad usque totum menſem Auguſti ejusdem anni Fratres Servorum veniſſent, præfatus Epiſcopus Monaſterium illud Fratribus antedictis cedere, & aſſignare teneretur. Marcum Epiſcopum cum plenitudine juris admiſit præfatus Epiſcopus Chiſſamenſis tanquam Vicarius Generalis Hieronymi Archiepiſcopi Cretenſis. Emendandum itaque hoc loco eſſe volo id quod ex æquivoco in notis ad illud documentum ſcripſi, Arcadiam nempe, cujus erat Marcus Epiſcopus, fuiſſe urbem Peloponneſi; nam ut ex congruentia loci, & aliis Archivi documentis patet, Marcus Arcadienſem Eccleſiam Cretenſis Archiepiſcopi ſuffraganeam adminiſtravit.

IX. Georgius Alexander, quem inter Archiepiſcopos Cretenſes admiſcuit Lequienius, quia a Raphaele Volaterrano enuntiatur *ejus* Inſulæ Præſul, hoc loco Epiſcopis Arcadienſibus enumerandum cenſui ex ipſius Volaterrani verbis ſequentibus, quæ etiam ſuperius retulimus in Cretenſibus. Comment. lib. IX. hæc ſcribit Volaterranus: *Hic prope Lebyrinthus, cujus dicunt adhuc extare veſtigia, ut retulit mihi noſter Georgius Alexander ejus Inſulæ Præſul, qui locum adivit.* Addit deinde: *Arcadia Stephano ex authoritate Demetrii nunc ſemidiruta, cui præerat Georgius Alexander ſæpememoratus, qui paucis ante annis Romam profitebatur.* Georgius itaque Alexander ex Volaterrani, (cui fides plena adhibenda eſt,) aſſertis non Inſulæ, ſed in Inſula, & quidem Arcadienſis Eccleſiæ Præſul verius ſtatuetur.

X. Leo Epiſcopus Archadienſis memoratur in Chronico Andreæ Cornelii ultimus Arcadienſis Eccleſiæ Epiſcopus his verbis: *A queſto hoſpidale* (militum Cretenſium de quo mox dicemus) *fu conceſſo doppo alquanti anni dal Sommo Pontefice ad iſtanza della Republica il Veſcovado Rurale dell' Arcadia cioe l'entrate vacato eſſo Veſcovado per la morte di Monſignor*

Leone Veſcovo. In brevi codice ms. Italica lingua exarato, quem ex Monaſterii Bibliotheca humaniſſime mihi exhibuit erud. P. Joſeph Maria Bergantenus Venetus olim Provincialis Ord. S. Mariæ Servorum, hæc notata legi: *Nella Chieſa d' Arcadia non vi ſtava che doi Canonici ſtante che il Veſcovato era privo del Paſtore per la morte violenta di quello fino dall'anno* 1580. Num hæc ad ſuperius enuntiatum Leonem, vel ad alium ſpectent, pro certo aſſerere non auſim.

Illorum autem Epiſcoporum, qui inter Marcum & Leonem in Eccleſia Archadienſi ſederunt, nomina (niſi ex latebris emergant documenta) perierunt. Anno MDCIV. cum anguſta Civitas Archadienſis pene ad nihilum redacta eſſet, & Cathedralis Eccleſia adeo deſolata, ut in ea per unicum Sacerdotem Divina myſteria celebrarentur, obtinuit a Clemente VIII. Venetus Senatus, ut in civitate Archadienſi titulus Cathedralis Eccleſiæ ſupprimeretur, & menſæ Epiſcopalis redditus ad ſubſidium Cretenſis Hoſpitalis aſſignarentur, ut patet ex Apoſtolico ipſius Clementis diplomate dato Romæ apud S. Petrum anno MDCIV. die I. Januarii.

Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei Memoriam.

„ Eccleſiarum omnium præſertim Cathedralium quarum
„ nobis meritis licet imparibus cura imminet generalis ſta-
„ tum & decorem ſinceris deſiderantes affectibus, illas quæ
„ propemodum depopulatæ ſunt ſupprimimus, ac illarum
„ Villas ſeu Caſalia aliis Cathedralibus Eccleſiis pro earum
„ ampliatione, & Divini cultus augumento ſubjicimus, nec
„ non fructus earumdem Hoſpitalibus, & aliis piis locis ap-
„ plicamus, & alias deſuper diſponimus prout conſpicimus
„ in Domino ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum
„ filiorum Nobilis Viri Marini Grimani Ducis & Reipubli-
„ cæ Venetiarum nobis deſuper exhibita petitio continebat,
„ quod cum Civitas Archadienſis in Inſula Cretenſi valde

angu-

„ anguſta & propemodum depopulata erat, & in illius Ca-
„ thedrali Eccleſia duo dumtaxat Altaria exiſtant, ibi octo
„ Canonicatus & totidem præbendæ tantum pro tot Cano-
„ nicis in ea præbendatis qui apud illam minime reſidere,
„ ſed illi per unum Capellanum deſerviri facere conſueve-
„ runt, reperiantur, nec in ea Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sa-
„ cramentum, minusque fons Baptismalis aſſerventur, & fru-
„ ctus redditus ac proventus illius menſæ Epiſcopalis ad
„ quadraginta quatuor florenos auri dumtaxat in libris Ca-
„ meræ Apoſtolicæ taxati exiſtant, ſub ſe vero nonnullas
„ Villas, ſeu Caſalia & duo Caſtra pro ſua Diœceſi ha-
„ beat, & ſi in ipſa Eccleſia Archadienſi certo modo Pa-
„ ſtoris ſolatio ad præſens deſtituta nomen, titulus & de-
„ nominatio Cathedralis Eccleſiæ perpetuo ſupprimerentur,
„ & extinguerentur, ac Villæ, ſeu Caſalia, & Caſtra an-
„ tedicta, nec non ipſa Civitas Archadienſis in oppidum
„ reducta Civitati Melipotamenſi pro ampliatione ſuæ Diœ-
„ ceſis, quæ etiam ſatis anguſta exiſtit, & cujus Cathedra-
„ lis Eccleſia longe amplior & venuſtior frequentiorique nu-
„ mero ſacerdotum & miniſtrorum Eccleſiaſticorum refe-
„ cta nec non omnibus ad Divinum cultum neceſſariis in-
„ ſtructior, & alioquin inſignior prima dicta Eccleſia eſſe
„ dignoſcitur perpetuo ſupponeretur, & ſubjiceretur, fru-
„ ctusque & redditus prædicti Hoſpitali Militum nuncupa-
„ to Civitatis Cretenſis, in quo Chriſtiani e dira ſervitu-
„ te Turcarum erumpentes, nec non milites ſaucii, & ſe-
„ nes ulterius onera militaria perferre nequeuntes, aliique
„ Chriſtiani pauperes recipi, & charitative conſoveri ſolent,
„ cujus fructus redditus & proventus adeo tenues ſunt, ut
„ periculum ſit ne de cætero tam pium & laudabile opus
„ cum ingenti perſonarum hujusmodi detrimento manute-
„ neri non valeat, etiam perpetuo applicarentur, & appro-
„ priarentur inde profecto Divinus cultus in ſecundo dicta
„ Eccleſia cum illius decore non modicum ſuſciperet incre-
„ mentum & dicto Hoſpitali de ſatis opportuna ſubventio-

ne

„ ne proviſum foret pro parte Marini Ducis & Reipubli-
„ cæ hujusmodi nobis ſuit humiliter ſupplicatum, quatenus
„ nomen titulum & denominationem Cathedralis Eccleſiæ
„ ſupprimere, & extinguere, ac Villas ſeu Caſalia & Ca-
„ ſtra ac Civitatem Archadienſem Civitati Milopotamenſi
„ ſubjicere, nec non fructus redditus & proventus eidem
„ Hoſpitali applicare & appropriare, aliasque in præmiſſis
„ opportune providere de benignitate Apoſtolica dignare-
„ mur. Nos qui dudum inter alia voluimus, quod peten-
„ tes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere
„ verum annuum valorem ſecundum communem extima-
„ tionem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin
„ unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fie-
„ ret ad partes vocatis quorum intereſſet quique dirutas
„ ſeu collabentes, aut Clero & fidelium frequentia deſtitutas
„ Eccleſias præſertim Cathedrales ſupprimere Romanum Pon-
„ tificem dignum arbitramur Marinum Ducem & ſingula-
„ res perſonas Reipublicæ hujusmodi a quacumque excom-
„ municationis, ſuſpenſionis, & interdicti aliisque eccleſia-
„ ſticis ſententiis cenſuris, & penis a jure, vel ab homine
„ quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodoli-
„ bet innodati exiſtant ad effectum præſentium dumtaxat
„ conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore
„ cenſentes, nec non verum, & ultimum dictæ Eccleſiæ Ar-
„ chadienſis vacationis modum, ac Villarum ſeu Caſtrorum
„ hujusmodi ſituationes confines vocabula denominationes
„ qualitates & quantitates, ac Hoſpitalis & menſæ Milo-
„ potamenſis fructuum reddituum ac proventuum veros an-
„ nuos valores præſentibus pro expreſſis habentes hujusmo-
„ di ſupplicationibus inclinati in Eccleſia Archadienſi præ-
„ dicta nomen titulum & denominationem Cathedralis Ec-
„ cleſiæ, ita quod Civitas Archadienſis in oppidum redu-
„ cta ſit, & eſſe cenſeatur authoritate Apoſtolica tenore
„ præſentium ſupprimimus & extinguimus, illiusque ſic ſup-
„ preſſæ & extinctæ Villas ſeu Caſalia, & Caſtra prædicta

nec

„ nec non univerſam Diœceſem, & etiam oppidum ipſum
„ Archadienſe Eccleſiæ Milopotamenſi pro illius Diœceſis
„ ampliatione & decore etiam perpetuo eisdem authoritate
„ & tenore ſubjicimus, & ſupponimus. & inſuper omnia &
„ ſingula menſæ Eccleſiæ Archadienſis fructus, redditus, &
„ proventus jura obventiones & emolumenta quecumque ad
„ quemcumque valorem & quantamcumque ſummam nunc
„ & pro tempore aſcendant, prædicto Hoſpitali ſimiliter per-
„ petuo eisdem authoritate & tenore applicamus, & appro-
„ priamus, ac etiam concedimus & aſſignamus, ita quod li-
„ ceat nunc & pro tempore exiſtentibus dicti Hoſpitalis Re-
„ ctoribus & Adminiſtratoribus per ſe vel alium ſeu alios eo-
„ rum & dicti Hoſpitalis nomine fructus redditus & proven-
„ tus jura obventiones & emolumenta hujusmodi propria au-
„ thoritate libere & integre percipere colligere levare exi-
„ gere recipere recuperare avendere & locare illisque in om-
„ nibus & per omnia integre uti frui potiri & gaudere, nec
„ non illa in dicti Hoſpitalis uſus, & utilitates convertere cu-
„ jusvis licentia deſuper minime requiſita. Decernentes Ad-
„ miniſtratores dicti Hoſpitalis eidem Eccleſiæ Archadienſi
„ per alterum Presbyterum a Venerab. Fratre noſtro Archie-
„ piſcopo Cretenſi approbandum in Divinis deſervire facere
„ eique ad id ſalarium ex fructibus dicti Hoſpitalis per præ-
„ ſentes applicatis arbitrio ipſius Archiepiſcopi competens
„ annuatim ſolvere omnino teneri, & ſi contigerit dictum
„ Hoſpitale deſtrui, & in eo hoſpitalitatem non exerceri tunc
„ in eo caſu bona menſæ Eccleſiæ Archadienſis, quæ illi ſic
„ applicantur ab eodem dismembrata & menſæ Epiſcopali
„ Milipotamenſi cum ſimili onere manutenendi Presbyterum,
„ qui eidem Eccleſiæ Archadienſi deſerviat, ut præfertur,
„ eo ipſo aſſignata, & applicata eſſe & cenſeri prout illa ex
„ nunc prout ex tunc, & e contra in eventum hujusmodi
„ eidem Eccleſiæ Milopotamenſi applicamus, & appropria-
„ mus, ita quod liceat pro tempore exiſtenti Epiſcopo Mi-
„ lopotamenſi per ſe vel alium vel alios ejus & dictæ Ec-

cleſiæ

» cleſiæ Milopotamenſis nomine bonorum prædictorum cor-
» poralem realem & actualem poſſeſſionem apprehendere ac
» retinere & etiam fructus redditus & proventus percipere
» exigere & levare ac in uſus prædictos convertere nullius
» etiam ad hoc requiſita licentia, nec non ſuppreſſionem
» extinctionem ſubjectionem applicationem appropriationem
» conceſſionem & aſſignationem hujusmodi ac præſentes lit-
» teras, & ex eo quod quicumque in præmiſſis intereſſe ha-
» bentes, vel putantes ad hoc vocati, & cauſa vel cauſæ
» propter quam ſeu quas præmiſſa emanarunt, aut aliæ
» quomodolibet examinatæ, & juſtificatæ non fuerint, ſeu
» ex quibusvis aliis cauſis de ſubreptionis vel obreptionis
» ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quo-
» piam defectu notari impugnari retractari, aut ad ſuam vel
» terminos juris reduci non poſſe, minusque ſub quibusvis
» illarum ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationi-
» bus ſuſpenſionibus reſtitutionibus limitationibus modifica-
» tionibus derogationibus vel aliis contrariis diſpoſitionibus
» etiam per nos aut prædeceſſores vel ſucceſſores Romanos
» Pontifices pro tempore exiſtentes, aut Sedem Apoſtoli-
» cam quomodolibet factis ac etiam per quemlibet Roma-
» num Pontificem ſucceſſorem noſtrum in craſtinum ſuæ aſ-
» ſumptionis ad ſummi Apoſtolatus apicem, aut aliis quo-
» modolibet fieri ſolitis, & pro tempore faciendis nullate-
» nus unquam comprehendi, ſed ſemper ab illis excipi, &
» quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum vires
» & robur reſtitutas & de novo conceſſas, ac perpetuo va-
» lidas & efficaces, nec non etiam ex nunc ſuum plenum
» & integrum effectum ſortitas eſſe, & cenſeri, ac ſortiri
» & obtinere, ſicque in præmiſſis per quoscumque Judices
» etiam Commiſſarios & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ ac cau-
» ſarum Palatii Apoſtolici Auditores nec non Sanctæ Ro-
» manæ Eccleſiæ Cardinales etiam de Latere Legatos ju-
» dicari & definiri debere, nec non irritum, & inane ſi
» ſecus ſuper his a quocumque quavis authoritate ſcienter

aut

Digitized by Google

„ aut ignoranter contigerit attemptari non obſtantibus prio-
„ ri voluntate, & aliis præmiſſis, nec non Lateranenſis Con-
„ cilii noviſſime celebrati uniones perpetuas niſi in caſibus a
„ jure permiſſis fieri prohibentis, aliisque conſtitutionibus,
„ & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Archadienſis & Mi-
„ lopotamenſis Eccleſiarum ac Hoſpitalis prædictorum jura-
„ mento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alias
„ roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus cæterisque contrariis
„ quibuscumque. Nemini ergo omnino hominum liceat hanc
„ paginam noſtræ abſolutionis, ſuppreſſionis extinctionis ſub-
„ jectionis applicationis appropriationis conceſſionis aſſigna-
„ tionis & decreti infringere, vel ei auſu temerario con-
„ traire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indi-
„ gnationem Omnipotentis Dei ac Beat. Petri & Pauli A-
„ poſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

„ Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnatio-
„ nis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo quarto Kalend.
„ Januarii Pontificatus noſtri anno nono.

D. Balbus.

Nomine Civitatis Archadiæ ſuppreſſo, & Epiſcopali ibi dignitate extincta Canonicatus ſimulque tenues ipſorum redditus ad Eccleſiam Cathedralem Thinenſis Inſulæ in Ægeo poſitæ translati fuerunt. Quum autem circa annum 1608. ſuper eosdem Canonicatus controverſiæ inter Archiepiſcopum Cretenſem ex una, & Thinenſem Epiſcopum ex altera parte exortæ eſſent, tandem Joannis Cardinalis Delphini interventu ad eas conventiones deventum eſt, ut Archidiaconatus & medius Canonicorum numerus (erant enim omnes numero ſex) cum ipſorum redditibus in Cathedrali Thinenſi permanerent, reliqui vero Canonicatus extinguerentur, eorumque proventus Seminario Clericorum in Candiæ civitate erigendo aſſignarentur. Hæc autem diſſidentium Epiſcoporum tranſactio ex Pontificio Pauli V. diplomate dato die 11. Octobris anno 1608. Apoſtolicæ confirmationis robur accepit.

ECCLESIA RETHIMENSIS SEU CALAMONENSIS.

INter cæteras Cretenſis Inſulæ Sedes recenſetur Epiſcopatus Calamonenſis non ſolum in ſæpecitata Gregorii XI. epiſtola data anno 1375. ſed etiam in Romanis Provincialibus, quorum illud quod Romæ vulgavit anno 1514. Marcellus Silber ſedente in Apoſtolico Throno Leone X. Calamonienſem Epiſcopatum affert cum aliis decem Metropolitæ Cretenſi ſubiectum, aliud autem quod typis Brixienſibus impreſſum fuit *ad inſtantiam* Joannis Baptiſtæ Bozolæ anno 1563. Calamonienſem Epiſcopum enuntiat cum aliis octo Archiepiſcopi Cretenſis ſuffraganeis.

Albertus Mirræus in notitiis Epiſcopatuum Orbis Chriſtiani, quas contexuit circa annum 1613. affert lib. IV. Codicem Provincialem novum, *in quo Metropolitanæ & Epiſcopales Sedes recenſentur* juxta eum, qui tunc vigebat Orbis Chriſtiani ſtatum. Dum igitur Cretam Inſulam exponit, Archiepiſcopo in Urbe Candienſi reſidenti ſeptem Epiſcopos aſſignat ſuffraganeos, quorum ſecundum Rettimenſem vocat, Calamonenſem vero omnino innominatum prætermittit; ex quo propterea compertum habemus, unius & ejusdem loci Epiſcopos aliquando Calamonenſes, aliquando vero Rethimenſes vocatos fuiſſe.

Cavaller. in Galler. Domin. Tom. I. pag. 360. a Lequienio citatus Calamonam aſſerit Rethimo eſſe proximam; at cum neque Bondelmontius, neque ullus ex vetuſtioribus Geographis, qui urbis Rhithymniæ meminerunt, Calamonæ mentionem habeant, haud inveriſimile eſt aſſerere, Rhitymnam & Calamonam unicam urbem eſſe, quæ variato nomine pro temporum varietate appellata fuerit. Sed & eruditiſſimus Meurſius in ſuo, quem de Creta concinnavit, tractatu, dum centum viginti & amplius urbes Cretenſis Inſulæ alphabetico ordine digeſtas illuſtrat, Rhithymniam ſuo loco ponit,

de

de Calamona vero ne verbum quidem. Ad plagam Insulæ Borealem Ptolemæus & Bondelmontius Rhithymnam, seu (ut nunc eam vocant) Rethimum collocant, in cujus agro positam fuisse antiquissimam Græcam epigraphen ex Gruteri collectione novimus, qui ipsam pag. MLXVIII. num. 1. exhibet, ejusque interpretationem ex Daniele Furlano Medico Aretino profert his verbis; ex quibus non obscure arguitur incolas loci peculiarem olim Mercurio detulisse cultum.

In agro Rythymnio in Creta ad Radices montis Idæi, non longe a pago Melidone dicto, introitu spelunæ.

ΑΡΤΕΜΙΣ Η ΣΑΛΛΟΝΙΟΣ
ΟΥΡΕΣΙ ΤΑΛΛΕΙΟΙΣΙΝ ΙΔΡΙΜΕΝΕ ΜΑΙΑΔΟΣ ΕΡΜΗ
ΣΠΟΝΔΗΝ ΚΑΙ ΘΥΣΙΗΝ ΔΕΞΟ ΦΙΛΟΦΡΟΣΥΝΟΣ
ΗΝ ΣΟΙ ΣΑΛΛΟΝΙΟΣ ΜΗΝΑΣ ΛΟΙΒΑΙΣΙ ΤΕΡΑΙΡΕΙ
ΚΤΗΣΕΟΣ ΕΞ ΟΣΙΗΣ ΨΥΧΙΚΑ ΔΩΡΑ ΔΙΔΟΥΣ
ΚΑΙ ΠΡΙΝ ΜΕΝ ΖΩΣΗΣ ΑΛΟΧΟΙ ΦΑΟΣ ΕΙΣΟΡΟΩΣΗΣ
ΣΤΝ ΚΕΙΝΗΙ ΚΑΤ ΕΤΟΣ ΣΟΥΣ ΕΓΕΡΑΙΡΕ ΤΟΠΟΥΣ
ΑΝΘΩΝ Δ ΕΝΧΡΟΝΙΣΑΣ ΕΠΕΤΗΣΙΟΝ ΟΥΚ ΑΠΕΔΩΚΕΝ
ΣΤΜΒΙΟΥ ΑΓΝΟΤΑΤΑΣ ΤΟΥΔΕ ΚΑΤΑΦΘΙΜΕΝΑΣ
ΑΑΓΗΣΑΣ ΦΡΕΝΑ ΠΟΛΛΑ ΜΑΘΩΝ Δ ΟΤΙ ΔΕΙ ΤΑΓΕ ΘΕΙΑ
ΤΙΜΑΝ ΔΙΠΛΗ ΣΟΙ ΤΗΝ Δ ΕΠΟΡΕΝ ΘΥΣΙΑΝ
ΚΑΙ ΣΤ ΔΕ ΠΑΝΤΟΚΡΑΤΩΡ ΕΡΙΟΥΝΙΕ ΤΟΝΔΕ ΦΤΛΑΣΣΟΙΣ
ΖΩΟΝ ΟΠΩΣ ΤΙΜΑΙ ΣΟΝ ΔΙ ΟΛΟΥ ΤΕΜΕΝΟΣ.

Sic vertebat Daniel Furlanus Medicus Aretinus.

Artemis sive Sallonius,
Qui resides summo Tallæi vertice montis,
Hac sacra o felix suscipe Atlantiade:
Quæ Menas libat Sallonius, illaque parva
Juste animi puri munera jam statuit.
Et jam vitales dum conjux carperet auras,
Una ambo Sacros hos coluere locos.
At dum illam infelix amisit, præteris annus,
Nec dedit ille tuis annua sacra focis.

Heu nimium mœstus nunc qui debentur honores
Dis vovit, geminæ hæc & tibi sacra focis.
Tu ſerva omnipotens; felix ſic ſemper honores
Ille tuis ſacris & pia thura dabit.

Grutero Philippus Pigaſetta ex autographis Honorii Belli Medici.

Eandem inſcriptionem diverſimode protulit Muratorius in Theſauro inſcriptionum antiquarum pag. 51. num. 2. ubi prætermiſſa agri Rithimenſis mentione mutilatam deinde edidit ejus interpretationem.

Cretæ
» In montibus Tallæis prope Callergiam. E ſchedis
» Ambroſianis.

ΑΡΤΕΜΙΣ ΗΣΑΛΟΥΣΙΟΥ ΟΥΓΑΤΗΡ
ΘΥΡΕΣΙ ΤΑΛΑΛΑΙΟΙΣ ΕΙΔ'ΕΥΜΕΝΕ ΜΑΙΑΔΟΣ ΕΡΝΗ
ΣΠΟΥΔΗΝ ΗΔΙ ΘΥΣΙΑΝ ΔΕΞΙ ΦΙΛΟΦΡΟΝΕΩΣ
ΗΝ ΣΟΙ ΣΑΛΟΥΙΟΣ ΜΙΝΑΣ ΛΟΙΒΑΙΣΙ ΓΕΡΑΙΡΟΙ
ΚΤΗΣΕΟΣ ΕΞ ΟΥΣΙΗΣ ΨΥΧΙΚΑ ΔΩΡΑ ΔΙΔΟΥΣ
ΚΑΙ ΠΡΙΝ ΜΕΝ ΖΩΟΙΣ Σ' ΑΛΟΧΟΥ ΦΑΟΣ ΕΙΣΟΡΩΣΗΣ
ΣΤΚΙΚΗ ΚΑΤΕΓΟΣ ΤΑΣΣΟΥ ΕΓΕΡΑΙΡΕ ΤΟΠΟΥΣ
ΑΝΘ ΩΝ Δ'ΕΝ ΧΡΟΝΙΣΑΣ ΕΦ'ΕΤΗΣΙΟΝ ΟΥΚΑΠΕΔΩΚΕ
ΣΤΜΒΙΟΥ ΑΙΝΟΤΑΤΑΣ ΤΟΥ ΔΕ ΚΑΤΑΦΙΜΕΝΑΣ
ΑΑΓΗΣΑΣ ΦΡΕΝΑ ΠΟΛΛΑ ΜΑ.... ΔΟΤΙΑΙ ΤΑΓΕΘΕΙ
ΤΙΜΑΝ ΔΙΝΑΗΝ ΣΟΙ ΤΗΝ ΔΕ ΠΟΡΕΝ ΘΥΣΙΑΝ
ΚΑΙ ΣΥ ΔΕ ΠΑΝΤΟΚΡΑΤΩΣ ΕΥΡΙΟΥΝΙΑ ΤΟΝ ΔΕ ΦΥ-
ΛΑΣΣΟΙΣ
.....ΟΝ ΟΠΩΣ ΤΙΜΑ ΣΟΝ ΔΙΟΔΟΝ ΤΕΜΕΝΟΣ.

Priores verſus ita reddo, reliquos non auſus attingere, quia parum accurate deſcriptos.

Artemis Heſaluſii Filia.
In Montibus Talleis Eia Benigne Majæ Fili Mercuri,
Studium Et Sacrificium Suſcipe Amicabiliter.
Si Te Salvius Menas Libaminibus Veneratur
Opum Ac Poteſtatis Spiritalia Dona Repende &c.

Quum

Quum itaque, ut ſuperius diximus, unius & ejusdem loci Antiſtites modo Rethimenſes modo vero Calamonenſes enuntientur, optimum duxi, eos omnes, quocunque tandem titulo inſigniantur, ad Eccleſiam Rethimenſem Chronologica ſerie diſpoſitos deducere.

Tenues autem erant hujus Eccleſiæ redditus, exiguusque Clericorum numerus; Cathedralis enim Templi, (apud quod ſolum Parœciale jus erat) Divo Nicolao Epiſcopo dedicati ſacra officia & miniſteria peragebant ſex Canonici ſub Archidiacono & alii octo Presbyteri.

I. Leo Calamonenſis Epiſcopus dum Romæ commoraretur anno tertio Honorii Papæ IV. videlicet anno æræ vulgaris 1287. Cathedrali Eccleſiæ Verulanenſi XL. dies Indulgentiarum conceſſit ſimul cum decem aliis Epiſcopis ad preces Lotherii II. Epiſcopi Verulanenſis, ut refert Ughel. Ital. Sac. Tomo I. in Epiſc. Verulanenſ. ex quo Lequienius.

II. Petrus Epiſcopus eo tempore Eccleſiæ Calamonenſi præerat, quo *inter Commune Venetiarum & Alexium Calergi Magnatem Inſulæ Cretæ* qui rebellaverat, pax *authore Vitale Michaele Duca Cretæ* poſt diuturnum annorum XVIII. bellum firmata fuit. Ejus nomen non ſemel in publicis regeſtis enuntiatum reperitur, & in Apoſtolicis Clementis V. epiſtolis ad Ægidium Patriarcham Gradenſem & Rampertum Epiſcopum Caſtellanum datis anno 1307. die 12. Sept.

III. Julianus ab Eccleſia Stephanenſi, cui præerat, translatus eſt ad Eccleſiam Calamonenſem in Inſula Cretenſi ab Urbano V. qui propterea Epiſcopum Stephanenſem inſtituit Fr. Petrum de Anagnia Ord. Præd. anno 1365. die 16. Decembris. Probabile eſſe, aſſerit Lequienius, Julianum hunc fuiſſe Epiſcopum illum Calamonenſem, qui Gregorii XI. epiſtolam anno 1379. cum aliis Coepiſcopis Cretæ ſuffraganeis recepit.

IV. Joannes Belli Epiſcopus Calamonenſis anno 1387. die 29. Aprilis in Conſilio, ut vocant, Rogatorum propoſitus fuit, ut ad Epiſcopatum Civitatis Novæ in æſtuariis eligeretur,

retur, ipſum enim Canonici omnes Civitatis Novæ *concorditer* poſtulaverant. Ita inter alios, qui publicis ſuffragiis exhibiti fuerunt, ejus nomen affertur: *Rev. Pater Dom. Jounnes Belli Calamonenſis Epiſcopus ad dictum Epiſcopatum* (Civitatis Novæ) *per omnes Canonicos concorditer poſtulatus.*

V. Antonius Epiſcopus Calamonenſis invenitur in regeſtis Cancellariæ inferioris Venetiarum ad annum 1399.

VI. Lucas Grimani de Candida filius Dominici olim Magni Cretæ Cancellarii, Artium Doctor, & Epiſcopus Calamonenſis anno 1418. memoratur in Regeſtis Cancellariæ Ducalis Venetiarum; cum enim die 14. Martii ejusdem anni ageretur in Veneto Senatu de electione Epiſcopi Agienſis, inter cæteros nominatus legitur: *Rev. Pater Dom. Lucas de Candida Epiſc. Calamonenſis filius qu. Sapientis viri Dominici olim Cancellarii Cretæ, Decretorum & Artium Doctor, & olim Rector utriusque univerſitatis Studii Patavini.* Potiorem itaque ſuffragiorum numerum cum obtinuiſſet, ad Eccleſiam Agienſem translatus fuit.

VII. Clemens de Rhenerio ſeu Rainerio Nicolai Patritii Veneti filius primum in Civitate Patavina Prioratu Sanctæ Crucis potitus, cui cum præeſſet bis in Rogatorum Comitiis ad Epiſcopatus nominatus fuit, ſcilicet anno 1411 ad Epiſcopatum Methonenſem & anno 1418. ad Epiſcopatum Argolicenſem, in quibus electionibus ſic ejus nomen conſcriptum legimus: *Ven. Vir Fr. Clemens de Renerio qu. ſ. Nicolai Prior S. Crucis de Padua.* Neutrum tamen ex iis epiſcopatibus obtinuit, & ad Eccleſiam Calamonenſem deinde regendam aſſumptus fuit, cujus Epiſcopus, ut diximus, aliquando ſub Rethimenſi, aliquando ſub Calamonenſi titulo in publicis regeſtis invenitur: Anno 1445. die 15. Martii *Rev. P. D. Clemens de Renerio qu. D. Nicolai Epiſcop. Retbimi in Inſula Cretæ* legitur ad Epiſcopatum Cenetenſem in Senatu propoſitus, & anno 1447. die 14. Aprilis *R. P. Dom. Clemens de Renerio Epiſcopus Retbimi* ad publica ejusdem Senatus ſuffragia pro Eccleſia Feltrenſi obtinenda exhibitus fuit. Denique anno 1451. die 10.

Mar-

Martii inter eos, qui ad Epiſcopatum Vicentinum nominati fuerunt, deſcriptus videtur in publicis regeſtis. *Rev. P. Dom. Clemens de Renerio Epiſc. Calamonenſis.*

VIII. Alexander Contareno Protonotarius Apoſtolicus anno 1466. die 16. Septembris commendatitias a Senatu litteras obtinuit ad Paulum II. Pontificem, ut ad Epiſcopatum Equilinum loco Andreæ Bono Epiſcopi defuncti aſſumeretur. Quum autem decreviſſet Pontifex Equilinum Epiſcopatum Patriarchatui Venetiarum adjungere, Alexandrum ſibi publico nomine commendatum ad Eccleſiam Rethimenſem, tunc (per obitum fortaſſe ſupradicti Clementis) vacantem adlegit. Anno 1471. die 8. Auguſti legitur in Ducalis Cancellariæ regeſtis *Rev. Pater Dom. Alexander Contarenus Epiſcopus Rethimi propoſitus in Concilio Rogatorum pro Epiſcopatu Torcellano.*

IX. Antonius Zio Civis Venetus Notarius & Eccleſiæ S. Angeli Venetiarum alumnus ad Plebanatum Eccleſiæ Parœcialis Sancti Felicis pariter Venetiarum adlectus fuit circa annum 1468. a qua deinde ad Epiſcopalem Calamonenſem Sedem deducitur. Epiſcopus creatus Eccleſiam Parœcialem Sancti Felicis commendatario titulo ex diſpenſatione Apoſtolica, usque ad obitum ſibi retinuit, unde & in Epiſcopalibus documentis enuntiatus legitur: *Antonius Zio perpetuus commendatarius Sancti Felicis de Venetiis Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Calamonenſis.* Ipſi Antonio, & Patriarchæ Conſtantinopolitano Venetias commorantibus Apoſtolicas litteras miſit anno 1493. Alexander Papa VI. ut videre eſt in Eccleſiis Ven. Illuſtrat. Tom. XIV. pag. 221. Obiit deinde anno 1415.

X. Bartholomæus Averoldus Brixienſis J. U. D. Epiſcopus Calamonenſis memoratur in ſchedis Tabularii Fratrum Servorum de Verona ad annum 1530. Deceſſit Brixiæ anno 1537. ut ex actis conſiſtorialibus Pauli III. notat Fontana in Theatro Dominicano pag. 150. ejusque corpus in Eccleſia Parœciali S. Laurentii poſt exequias ſolemnes rite cele-

celebratas tumulatum fuit in eo Sacello, quod Alexander ejus Frater & Ecclesiæ Præpositus extrui mandaverat, proprioque ære dotaverat. Monumentum ibidem visitur, cui inscisa fuit hæc epigraphe.

„ Bartholomæo Averoldo Jur. U. Consultiss. Episcopo Ca„ lamone Integer. Alexander Decret. Doct. Proton. Apostol. „ Canonicus Brixien. & Polen. ac hujus Basilicæ Præpositus „ Frater Mœstiss. & sibi vivens posuit. Anno Salut. 1538. Chronica hæc anni nota non emortualem Episcopi, sed erecti Mausolei annum signat.

XI. Albertus Pascaleus patria Utinensis & ex Ordine Prædicatorum cum poeticam non minus (ut testatur Leander Albertus) quam philosophiam, ac cæteras bonas artes calleret, a Triumviris Litterariis evocatus est, ut Metaphysicam in Lyceo Patavino doceret, quod munus laudatissime implevit ab anno 1520. usque ad annum 1531. Doctrina igitur & morum probitate conspicuus a Paulo III. anno 1537. die 29. Octobris institutus fuit Episcopus Ecclesiæ Calamonensis vacantis per obitum Bartholomæi Averoldi, ut concorditer notant Echardius, Bremondius & alii Scriptores Ordinis Prædicatorum. Translatus deinde fuit ad Ecclesiam Clugiensem, ut notat Ughel. in Episcopis Clugiensibus T. V. Italiæ Sacræ. Obiit anno 1543.

XII. Vincentius Quirinus Episcopus Calamonensis cessit dignitati suæ anno 1551. ut referunt acta Consistorialia sub Julio III. ex quibus unionem Ecclesiæ Calamonensis seu Rithimensis cum Ecclesia Ariensi authoritate ejusdem Pontificis Julii III. statutam addiscimus. Sic igitur in actis Consistorialibus legitur: *Romæ die V. Octobris anno* 1551. *Sanctitas Sua* (Julius III.) *univit Ecclesiam Calamonensem tunc per cessionem Rev. Vincentii Quirini vacantem Ecclesiæ Ariensi, quæ sede Episcopali caret, & a civitate Rethimi in qua Episcopus Calamonensis pro tempore existens, & ibi Ecclesiam Cathedralem habens personaliter residere consuevit, per 16. miliaria, vel circa, distat, & cui R. P. D. Timotheus* (de

quo

quo mox dicemus) *Epiſcopus Arienſis præeſſe dignoſcitur, cujusque menſæ Epiſcopalis fructus fere nulli ſeu admodum pauci ſunt, quamdiu idem Timotheus Epiſcopus illi præfuerit* &c.

XIII. Timotheus ex nobili Juſtinianorum familia in Inſula Chienſi Ægei Maris, Jacobo patre natus, Bernardi nomine in aquis luſtralibus appellatus fuit. Ordinem Prædicatorum Timothei aſſumpto nomine ingreſſus eſt anno circiter 1502, in quo cum pietatis & doctrinæ fama clareret a Julio III. anno 1550. die 21. Junii Eccleſiæ Arienſis in Creta Inſula Epiſcopus creatus fuit. Anno autem inſequenti 1551., die 5. Octob. Eccleſiam etiam Calamonenſem Arienſi, ut diximus, unitam ſuſcepit adminiſtrandam, exindeque Calamonenſis non amplius Arienſis Epiſcopus dictus fuit. Sub uno itaque Calomonenſis Epiſcopatus titulo redactæ fuerunt quatuor olim Epiſcopales Eccleſiæ Calamonenſis ſeu Rethimenſis, Arienſis anno 1551. Calamonenſi unita, Cyſamenſis anno 1520. a Leone X. Arienſi conjuncta, & Cheronenſis, ut ſuperius dictum eſt, Arienſi annexa. Sedit Timotheus Epiſcopus Calamonenſis in Concilio Tridentino ejusque actis ſubſcripſit anno 1563. mox anno inſequenti ad patriam Chienſis Inſulæ Sedem a Pio IV. promotus fuit die 14. Aprilis. Plura de eo affert Lequienius ex Ughel. & Echardo, quæ utpote ad Cretenſem Eccleſiam minus pertinentia, prætermittenda hic eſſe cenſeo.

XIV. Bernardus Quirinus Ordinis Minorum ad Arienſem, Calamonenſem, Chironenſem, & Ciſſamenſem Eccleſias, quæ in unum Epiſcopatum Apoſtolica authoritate coaluerant, adlegitur Epiſcopus a Gregorio XIII. anno 1590. ut notant regeſta Cœnobii Domus Magnæ S. Mariæ Glorioſæ de Venetiis Fratrum Minorum Conventualium.

XV. Ferdinandus Ordinis Minorum, in fæculo Petrus vocatus, Antonii in Cypri Regno magni, ut vocant, Conteſtabilis filius fuit, frater autem Henrici Catherini Davilæ inter Italos Hiſtoricos facile Principis, Juriſprudentiæ Patavii operam dedit anno 1580. mox Seraphicum inſtitutum amplexus eſt an-

no 1583. Sacrarum litterarum ſcientia, & morum probitate clarus, ut teſtantur ejus pia & docta opera typis edita, a Clemente VIII. Pontifice Maximo ad Epiſcopatum Rethimenſem in Inſula Creta aſſumptus fuit anno 1592. & deinde biennio evoluto ad Eccleſiam Aſculanam translatus fuit, ut affert Ughel. in Italia Sac. Venetæ edit. Tom. VIII. col. 236. Fuſiorem Epiſcopi hujus illuſtrationem vulgavit Clar. Vir Apoſtolus Zenus in opuſculo, quod *Memorie Iſtoriche della Famiglia, e della vita di Enrico Caterino Davila* inſcripſit, & præpoſuit celeberrimæ ipſius Henrici Catherini de bellis civilibus Gallicis Hiſtoriæ typis Venetis magnifice impreſſæ anno 1733.

XVI. Joannes Santato Rhodiginus Ordinis Prædicatorum, quem Joannes Hieronymus Bronzerius Hiſtor. Rhodig. pag. 124. Provincialem Magiſtrum Germaniæ, & deinde Rethimi in Inſula Cretæ Epiſcopum dicit, anno 1613. Cœnobio SS. Joannis & Pauli Venetiis præerat, quo munere vix expleto ad Rethimenſem Sedem a Paulo V. anno 1611. electus fuit. Dies ejus emortualis notatur in ſupradicti Monaſterii regeſtis vigeſima quarta Jul. anni 1624. chronicam tamen anni notam autumo ex Amanuenſis errore corruptam, legendumque cenſeo anno 1614. ſucceſſorem enim Joannis invenio ad annum 1615. quare & Bronzerium erraſſe, dicendum eſt, qui pagina citata ſcribit Joannem Epiſcopum obiiſſe anno 1616.

XVII. Lucas Stella Civis Venetus ſub Clemente VIII. Pontifice utriusque Signaturæ Referendarius, & Cameræ Apoſtolicæ Clericus, Epiſcopatum Rethimenſem obtinuit, a quo paulo poſt ad Archiepiſcopalem Jaderenſem Sedem translatus fuit anno 1615. die 16. Novembris. Evaſit deinde Archiepiſcopus Cretenſis, inde Vicentinus, ac demum Patavinus Epiſcopus.

XVIII. Sebaſtianus Avoldus Ordinis Minorum Epiſcopus Rethimi, mortalitatem Venetiis explevit die 5. Decembris anno 1618. ut notatum legitur in Necrologio, ſeu, ut vocant,

cant, Libro Defunctorum Eccleſiæ Paroecialis Sanctæ Fuſcæ Venetiarum, in cujus confinio habitationem habebat. Defuncti corpus in Murianenſi S. Claræ Cœnobio ſepulturæ demandatum fuit in ſeparato ſepulcro, cui inciſa viſitur hæc inſcriptio:

„ Hic oſſa jacent Reverend. Patris Sebaſtiani Avoldi Or-
„ dinis Minorum Regularis Obſervantiæ Epiſcopi Rethimen-
„ ſis & cet. Ætatis annor. LVIII. Paſtor. XV. Obiit die 5.
„ Decembris 1618.

XIX. Stephanus Penolatius Adrienſis e Congregatione Fratrum Eremitarum Sancti Hieronymi de Fæſulis, cui nomen dederat, aſſumptus fuit ad Epiſcopatum Rethimenſem. In Eccleſiæ ſuæ reſidentia degens anno 1624. die 16. Januarii epiſtolam ſcripſit ad anonymum quemdam Epiſcopum pro diſciplinæ eccleſiaſticæ diligentia accuratius in nuptiarum ſolemniis conſervanda. Naturæ humanæ debitum perſolvit anno 1641.

Non abs re puto hoc loco poſt abſolutam Epiſcoporum Rethimenſium ſeriem notitias duarum agri Rethimenſis Eccleſiarum afferre, ex ms. codice Andreæ Cornelii excerptas, & in Latinum ingenue verſas.

A civitate Rethimi XI. mille paſſibus diſtat ad Occidentem Caſale *Saitares* nuncupatum, in cujus medio Eccleſia eſt Beatæ Virginis titulo inſignita, in qua aſſervatur catena quædam ferrea, iis fere ſimilis, quas deferre ſolent damnati ad triremes. Ad catenæ caput alligata viſitur Crux pariter ferrea argenteis laminis cooperta, quæ quidem laminæ fluxu temporum, & frequentia uſus fere ex integro conſumptæ nulla unquam humani laboris arte renovari potuerunt. Catena hæc (ut refert ſeniorum traditio) in fundamentis Eccleſiæ antequam ædificaretur, reperta fuit, miramque ad reſtituendam mentis ſanitatem, & expellendos Dæmones virtutem habet. infirmus enim, vel a diabolo vexatus ea catena circumligatur, & ad terram proſtratus, cum primum crux ſiniſtro

ſtro brachio os ipſius attingit, mire inflatur, ſpumamque ex ore evomens ſanitati reſtituitur.

Poſt Caſalis hujus terminos, aliud cui *Verſamonerò* nomen eſt, Caſale invenitur, in cujus agro collis exſurgit, & in eo ædificata viſitur antiquiſſima quædam Eccleſia, quæ *nelle Gorne delle Sante Vergini*, (ſic in ms. fortaſſe ex amanuenſis inſcitia, rectius enim *nelle Urne* ideſt in ſepulcris ſcriberetur) nuncupatur. In ea Eccleſia per minorem januam aditus patet ad cæmeterium, in quo quinque urnæ ſunt ex vivo marmore ſcalpri ictibus elaboratæ ad longitudinem quinque pedum, ad latitudinem vero duorum cum dimidio. Quinque hæ urnæ, ut ex traditione acceptum eſt, ſepulcra erant quinque Sanctarum Virginum, quæ ſub quodam Rege Tyranno, cujus nomen ignoratur, martyrium capitis abſciſſione compleverunt, earumque imagines corona redimitæ crucemque manu deferentes in Eccleſia adhuc viſuntur. Quamvis autem Urnæ hæ in arido loco ſitæ ſint, ubi nullum proximæ aquæ indicium invenitur, attamen miro prodigio aquas habent, cumque a multis devotionis cauſa viſitentur, aqua juxta virorum pietatem & devotionem vel redundat, & ex urnis defluit, vel decreſcit, & ad ariditatem deducitur. Mentionem harum Virginum, & ſepulcralium urnarum pariter egit Bondelmontius, vel quisquis ſit alius poſterioris tractatus, quem ſuperius vulgavimus, author; dum circa finem hæc profert: *In Valle quadam Eccleſia eſt, juxta quam ſepulcra quinque diſcoperta, & aqua plena videbis, in quibus agroti homines ob reverentiam illarum quinque prudentium Virginum, in quibus tenentur ibi fuiſſe ſepultæ, ſe lavant, & ex devotione purgare videntur*. Hæc ad eruditi lectoris curioſitatem attuli, quorum tamen fides ſit apud citatos authores.

EC-

Digitized by Google

ECCLESIA AGIENSIS SEU CYDONIENSIS.

INter Cretenſes civitates, quæ in notitiis Leonis Philoſophi Imperatoris enuntiantur Epiſcopali titulo inſignitæ, nominatim recenſentur Agrium, & Cydonia, utraque ſub proprio Præſule conſtituta. Nemo, qui Agienſi Eccleſiæ ſub Græcis Imperatoribus præfuerit, inveniri potuit, duos autem ex Cydonienſibus Epiſcopis protulit Lequienius ex actis Conciliorum excerptos. Quum autem initio ſeculi XIII. ad Venetorum ditionem Cretæ Regnum acceſſiſſet, duo inter alios inſtituti fuerunt Latini ritus Epiſcopatus, Agienſis unus, alter vero Arienſis. Horum primus Agienſis ſcilicet in antiqua & celebri Cydoniæ urbe (la Canea nunc vulgo nuncupata) erectus fuit, cujus propterea Epiſcopos, ut plurimum, Agienſes, aliquando vero etiam Cydonienſes appellatos legimus. Alter vero Arienſis dictus in veteri Agrio urbe ſeu loco olim, ut ſuperius dixi, apud Græcos Epiſcopali a Venetis fuit, ut autumo, conſtitutus. Utramque Eccleſiam enuntiat Gregorii Papæ XI. epiſtola, utramque afferunt Provincialia Romana, & utriusque Epiſcopos, quos reperire datum eſt, exhibeo, nunc autem de Agienſibus ſeu Cydonienſibus notitias profero, quorum Epiſcopatus inter cæteros Cretenſis Inſulæ ob congruos redditus (reliqui enim proventuum exilitate laborabant) plurimi habebatur, unde non ſemel ab aliis Inſulæ Eccleſiis Epiſcopi ad Agienſem transferri poſtulabant.

Cathedrali Eccleſiæ, quæ Sanctæ Mariæ Virginis titulo dedicata erat, deſerviebant decem Canonici, ex quibus unus Archidiaconus, alter autem Theologalis erat congruis dotati proventibus, & quindecim alii Presbyteri ex quotidianis Miſſarum eleemoſinis victitantes.

I. Jacobus Canonicus Cretenſis electus Agienſis Epiſcopus translatus fuit a Clemente Papa V. ad Biſacienſem Ecclecle-

cleſiam in Italia vacantem anno 1310. per translationem Franciſci Epiſcopi ad ſedem Aſculanam in Apulia. Hæc refert Ughell. in Italia Sacra in Epiſc. Biſacienſibus; additque Jacobum deceſſiſſe anno 1328.

II. Thomas ab Eccleſia Hierapetrenſi, quam adminiſtrabat, translatus fuit anno 1325. a Joanne XXII. ad Agienſem Epiſcopatum, *ut refertur* (ita ſupra laudatus Lequienius in Agienſibus) *in Diplomate* Regiminis univerſalis *dato Idibus Februarii, cujus meminit Wadingh. ad annum 1325. quodque exhibet in Regeſt. Pontif.*

III. Philippus *Epiſcopus Agienſis de la Canea* anno 1336. die 1. Auguſti Veneto S. Mariæ Vallis viridis ſodalitio, ejusque beneſactoribus indulgentias conceſſit, cujus Epiſcopale diploma ex authentico deſumptum vulgatum fuit in Eccl. Ven. Illuſtr. Tom. XII. pag. 183.

IV. Antonius Epiſcopus Agienſis e vivis exceſſit ante diem 25. Maii anni 1351. vacabat enim eo tempore Agienſis Eccleſia per obitum ipſius Antonii.

V. Frater Raymundus ex Ordine Minorum Epiſcopus Arienſis, quem Raymundinum vocat Wadinghus (unde anſam habuit Lequienius ſtatuendi inter Arienſes Epiſcopos Raymundum a Raymundino diverſum) ad Epiſcopatum Agienſem a Clemente VI. translatus fuit, ut ad annum Chriſti 1351. refert Wading. in annal. Tom. VIII. pag. 75. Diploma electionis vulgatum legitur in eodem Tomo pag. 412. ubi hæc habentur: *Dudum ſiquidem Antonio Epiſcopo Agienſi regimini Agienſis Eccleſiæ præſidente* &c. *Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ipſius Antonii Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, paſtoris ſolatio deſtituta, nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem* &c. *ad te tunc Epiſcopum Arienſem conſideratis grandium virtutum tuarum meritis, quibus perſonam tuam Altiſſimus inſignivit, & quod tu Arienſi Eccleſiæ hactenus laudabiliter præfuiſti*, &c. *te ad præfatam Eccleſiam Agienſem transferimus, teque illi præficimus*

in

in Epiſcopum, & paſtorem &c. Datum apud Villam novam Avenionenſis Diœceſis VIII. Kal. anno X. Huic Epiſcopo datam fuiſſe Gregorii XI. Epiſtolam ad Cretenſes Præſules anno 1375. miſſam, autumat Lequienius, ſiquidem eum latebat Raymundi ſucceſſor Bartholomæus Agienſis Eccleſiæ præfectus anno 1368.

VI. Bartholomæus Venetus Plebanus Eccleſiæ SS. Trinitatis Venetiarum anno 1368. die 16. Septembris ad Eccleſiam Epiſcopalem Agienſem aſſumptus fuit ex Veneti Senatus electione, ut notant regeſta Ducalis Cancellariæ, in quibus ita legitur.

1368. *Die 16. Septembris. In Rogatis.*

„ Infraſcripti approbati fuerunt ad Epiſcopatum Agienſem.
„ Presb. Bartholomæus Plebanus S. Trinitatis. Remanſit.
„ Presb. Theodorus Plebanus S. Mariæ de Muriano.
„ Presb. Dominicus Tirapelle Plebanus S. Agnetis.

Paræcialem S. Euphemiæ de Judaica Venetiarum Eccleſiam conſecravit anno ſui Epiſcopatus III. Chriſti nempe 1371. cumque Venetiis deinde degeret, & doctrinæ fama clareſceret, a Paulo Foſcaro Epiſcopo Caſtellano electus fuit Generalis Venetiarum Vicarius. Eo munere dum fungeretur anno 1375. die 28. Martii facultatem conceſſit ædificandi Monaſterium S. Hieronymi Venetiarum, & deinde die 18. Maii ejusdem anni Bernardam Dotto primam ipſius Monaſterii Abbatiſſam dato diplomate confirmavit. Aliud etiam Monaſterium Corpori Dominico dedicatum erigi permiſit eodem anno die 17. Septembris, cujus facultatis diploma appenſione Sigilli Vicariatus Curiæ Caſtellanæ muniri mandavit. Quum itaque anno 1375. Eccleſiæ Agienſi præſideret, ille idem eſt, qui Gregorii XI. litteras ad Archiepiſcopum Cretenſem ejusque ſuffraganeos miſſas accepit. Obiit deinde Venetiis ignoto mihi anno, ſepultusque fuit in Sacello Baptiſterii Ducalis Baſilicæ ſub depoſito Andreæ Danduli Ducis.

VII.

VII. Marcus Epiſcopus Agienſis in Inſula Cretenſi, de quo Wadinghus refert obiiſſe anno 1390.

VIII. Catharinus Barbo Venetus Ordinis Minorum ad Eccleſiam Agienſem in Inſula Cretenſi vacantem per obitum Marci Epiſcopi eligitur a Bonifacio Papa IX. anno 1390. IV. Id. Octobris, ut refert Wadingh. Tom. IX. pag. 97.

IX. Andreas Bono Jacobi filius memoratur in Ughel. Ital. Sac. Tom. V. col. 1340. Ven. edit. Epiſcopus Caprularum ad annum 1390. Eccleſiam Petenenſem ſuſcepit deinde adminiſtrandam anno 1394. die 16. Febr. a qua translatus fuit ad Eccleſiam Agienſem in Inſula Cretæ. Refert Wadingh. ad annum 1402. Bonifacium IX. Andreæ Epiſcopo Agienſi mandaſſe, ut Monaſterium Monialium Ordinis S. Franciſci in oppidulo Canea ædificari permitteret, & earumdem Monialium Eccleſiam conſecraret. Andreæ Epiſcopi Aghinenſis diploma enuntiat in ſuo Tractatu de Ordine Pœnitentiæ S. Dominici B. Thomas Antonii Senenſis, quod quidem diploma relatum fuit in Bullario Ord. Prædic. Tom. II. pag. 481. Prima, & noviſſima Diplomatis verba exhibeo. *Andreas Bono Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Aghinenſis Univerſis* &c. *Datum Venetiis in domo noſtræ habitationis, quæ dicitur de cha Bono in contrata S. Margharitæ Anno Domini MCCCCVI. Indictione XIV. die XXIV. menſis Martii. Pontificatus Innocentii Papæ VII. anno ſecundo*. Hominem exuit anno 1411.

X. Paulus Baroccius Venetus, ut refert Ughel. Tom. V. col. 1340. V. E. ad Eccleſiam Agienſem per obitum Andreæ Bono Epiſcopi vacantem aſſumptus fuit anno 1411. quam adminiſtravit usque ad annum ipſius emortualem 1417.

XI. Lucas Grimani de Candida a Calamonenſi Eccleſia, cui præerat, ad Agienſem deductus fuit per Veneti Senatus ſuffragia, ut videre eſt in Notatoriis Ducalis Cancellariæ Venetiarum, in quibus ſic deſcripta legitur ejus electio.

MCCCC-

Digitized by Google

MCCCCXVIII. Die XIV. Martii.

„ Infraſcripti fecerunt ſe ſcribi ad probam Epiſcopatus
„ Agienſis Civitatis Caneæ.
„ Dom. Fr. Marcus Benedictus Ord. S. Auguſtini Lector,
„ & Prior Provincialis Romaniæ Civis Venet.
„ Ven. Vir D. Presb. Franciſcus Premarino qu. ſ. Ranutii.
„ Ven. Vir Presb. Victor de Bonſantinis Nepos Viri Nob.
„ ſ. Johannis Nigro Pleb. S. Leonis.
„ Rev. Pat. D. Lucas Grimani de Candida Epiſc. Calamo-
„ nen. filius qu. Sapien. V. Dominici olim Cancellarii Cre-
„ tæ Decr. & Artium Doct. & olim Rect. utriusque Uni-
„ verſitatis Studii Patavini. Remanſit.
„ Ven. Fr. Paſqualis Georgio Ord. Prædicat.
„ Dom. Jacobus Baduario filius Nob. V. D. Jeremiæ, Stu-
„ dens in Jure Canonico.

Mortalitatem exuit Lucas Epiſcopus trigeſimo tertio ſui Epiſcopatus Agienſis anno, Chriſti videlicet 1451.

XII. Fr. Michael de Candia Ordinis Prædicatorum Lucæ Epiſcopo defuncto ſuffectus fuit a Nicolao V. anno 1451. die 1. Octobris, cujus electionis diploma profert Bremond. Tom. III. Bullarii Ordinis Prædicatorum. Inſert hinc recte Lequienius Michalem perperam adſcriptum fuiſſe Minoritis a Wading. ad annum 1451. Michaelem Epiſcopum obiiſſe anno 1479. aſſerunt Fontana & alii Ordinis Prædic. Scriptores; at Cavalerius & Altamura annum ejus emortualem ſtatuunt 1491. Priorum ſententiæ adhærendum puto, ſiquidem alium Epiſcopum collegi Eccleſiæ Agienſi præfectum anno 1482.

XIII. Antonius Urſus Venetus Epiſcopus Agienſis Johanni Cardinali Michaelio a ſecretis dum Romæ degeret anno 1503. eidem Cardinali defuncto magnificum erexit tumulum, cujus inſcriptioni Jacobus Urſus Antonii Frater verba hæc adjungi mandavit: *Antonius Urſus Venetus ſecretarius Apoſtolicus Epiſcopus Agienſis familiaris pientiſſimus ſicuti fide,*

ac ſingulari amore totius ſuæ vitæ tempore adſtitit, ita & in morte ab hac luce gratiſ. ſubjectione inſeparatum ſe videri cupiens conditorium Domino ſuo, ſeque ſub illo tumulari teſtamento mandavit. Qui Innocentii VIII. Alexandri VI. Pii III. Julii II. Pont. Referendarius ſumma integritate, doctrina, religione, juſtitia vixit annos 72. & deceſſit 28. Septembris 1511. Jacobus Urſus Frater B. M. P.

XIV. Franciſcus de Molendina Ordinis Seraphici alumnus ad Agienſem Eccleſiam ſub Archiepiſcopatu Cretenſi ab Adriano VI. aſſumptus fuit anno 1523. die 24. Julii, ut notat Wadingh. Tom. XVI. noviſs. edit. pag. 178. qui eum Epiſcopum *Agrenſem ſive Agarenſem* dicit ſub Archiep. Cretenſi, nullumque exhibet electionis ejus diploma.

XV. Auguſtinus Donato Hieronymi Senatoris Clariſſimi olim Cretenſis Duchæ, & Mariæ Gradonico filius, ſub Marini Becichemi viri doctiſſimi diſciplina in Rethoricæ ſtudio eruditus, ſacrisque etiam litteris deinde inſtructus, Eccleſiæ Agienſis Epiſcopus poſt Franciſcum de Molendina electus fuit; ejus mentio non ſemel occurrit in regeſtis Cancellariæ Ducalis, anno enim 1524. die 7. Octobris, cum pro electione Patriarchæ Venetiarum coacta eſſent Comitia Rogatorum, exhibitus fuit inter alios *Rever. D. Agoſtin Donado qu. ſ. Gerolemo Veſcovo della Canea*; ac deinde anno 1531. die 12. Martii, dum in eodem Conſilio ageretur de Epiſcopo Brixienſi nominando propoſitus inter alios fuit: *D. Agoſtino Donado Veſcovo della Canea qu. ſ. Gerolemo Dottor*. Anno MDXIX. die IX. Julii in rure Coldeveredi ultra Plavim Tarviſinæ Diœceſis degens Violantem quandam ex illegitimo thoro procreatam authoritate Imperialis diplomatis Sigismundi Cæſaris, (quod latius enuntiabimus ad Andream Donatum Ducham) ad legitimitatis jura ac privilegia deductam declaravit. Incompertum eſt, quo anno dies ſuos clauſerit.

XVI. Philippus Donato Auguſtino fratri, (cui in Rethoricæ ſtudiis fuerat pridem ſub Becichemo condiſcipulus) in

in Agienſis Epiſcopatus adminiſtratione ſucceſſit. Dum adhuc in minoribus verſaretur, Leoni X. Pontifici Maximo librum de proceſſione Spiritus Santi contra Græcos a Hieronymo Donato Patre ſuo in Creta compoſitum dedicavit; mox ejusdem Patris ſui Apologeticum ad Græcos de Principatu Romanæ Sedis Clementi VII. Romano Pontifici obtulit data Latina epiſtola, quam eidem Operi præfixam retulit Labbæus in apparatu ad Collectionem Conciliorum. Anno 1539. Inditione XII. die 21. Septembris dum Gaſpari tit. S. Sabinæ S. R. E. Presbytero Cardinali Contareno Epiſcopo & Comiti Bellunenſi uti ſuffraganeus deſerviret, *de licentia & auctoritate* Hieronymi de Nigris J. C. Vicarii Generalis Cæſaris Podacatari Abbatis Commendatarii Monaſterii S. Mariæ de la Folina ſolemniter in Eccleſia interiori SS. Gervaſii & Protaſii extra muros civitatis Belluni benedixit, & ordinavit Catharinam de Vezzano, in Abbatiſſam ejusdem Monaſterii, redigente conſecrationis & benedictionis munus in actorum codicem Jacobo Morello Clerico Paduano & Notario.

XVII. Aloyſius Delphinus Epiſcopus Agienſis obiit quinquagenarius Venetiis die 15. Decembris anno 1587. ut teſtantur codices emortuales Eccleſiæ Paroecialis S. Stephani Confeſs. Venetiarum. Ejus ſepulcro inciſa fuit hæc inſcriptio. Aloyſius Delphinus Epiſc. Cydonienſis ex teſtamento. Obiit 1587.

XVIII. Frater Dominicus Bollanus Jacobi Patritii Veneti filius Ordini Prædicatorum nomen dedit in Brixienſi S. Dominici Cœnobio anno 1570. die 12. Martii, vota autem ſolemnia emiſit in Veneto ejusdem S. Dominici Monaſterio, ad quod, dum adhuc in tyrocinio verſaretur, miſſus fuerat. Ejusdem Monaſterii deinde Prior electus fuit, & deinde a Sixto V. anno 1588. die 29. Martii Eccleſiæ Agienſi Epiſcopus datus fuit, cujus electionis diplomata affert Bremond. in Bull. Ord. Tom. V. pag. 576. Anno 1597. die 15. Martii inter eos, qui nominati fuerunt ad Archiepiſcopa-

tum Cretenſem recenſetur etiam *Fr. Dominicus Bollani qu. Jacobi Epiſcopus Agienſis*, cujus nomen propoſitum pariter fuit P. C. pro Patriarchatu Venetiarum anno 1599. die 28. Auguſti. Obiit Patavii anno 1613. ibidem in Eccleſia Sanctæ Annæ ſepultus, cujus hæc eſt ſepulcralis inſcriptio.

„ Fr. Dominico Bollano Ordinis Prædicatorum Theologo
„ inſigni Viroque Optimo, ideoque a Sixto V. ad Agien-
„ ſem Epiſcopatum evecto Cæcilia Soror Mœſtiſs. P. C.
„ Obiit Patavii XIV. Kal. Junii MDCXIII.

XIX. Georgius Perpignanus Epiſcopus Agienſis ſeu Cydonienſis anno 1619. die 19. Aprilis Venetam Fratrum Minimorum Eccleſiam ſub duplici titulo Sanctorum Bartholomæi Apoſtoli, & Franciſci de Paula ſolemniter conſecravit, cujus celebritatis memoriam in marmore incidi mandarunt ipſi Regulares Cœnobitæ. Anno inſequenti 1620. in urbe Candia degens uti Procurator Aſcanii Geſualdi Patriarchæ Conſtantinopolitani Latini die 12. Julii inſtrumentum confecit circa redditus Patriarchalis menſæ Conſtantinop. ut videre eſt in Tabulario Monaſterii S. Mariæ de Roſario de Venetiis Fratrum Prædicatorum de Obſervantia.

XX. Bernardus Flores ex Ordine Cruciferorum Epiſcopus Agienſis anno 1642. die 26. Maii ab Urbano VIII. translatus fuit ad Archiepiſcopalem Sedem Jaderenſem, ut notat Ital. Sac. Tom. V. col. 1429. in Archiepiſc. Jaderenſibus Abbas Ughellus. Quum igitur ex Bernardi translatione Eccleſia Cydonienſis vacaret, Urbanus Pontifex ad ipſius Sedem delegit (ita Papadop. in Hiſt. Gymn. Pat. Tom. II. pag. 304.) Jacobum Philippum Thomaſinum Clariſſimum Congregationis Canonicorum Secularium S. Georgii in Alga alumnum, qui cum ſe *juſtis de cauſis* excuſaſſet, *dictus fuit Æmonienſis Antiſtes in Iſtria*.

XXI. Milanus Bencius Venetus Canonicus Patavinus Bernardo ſuffectus fuit in Epiſcopatu Agienſi, qui deinde anno 1645. dum Iſuffus Turcicæ claſſis Præfectus Cydoniam valido exercitu oppugnaret, ipſe capitis ſui neglecto periculo

culo ad mœnia, ubi gravior erat obſidentium impetus, jugiter adſtans cives militesque ad laborum conſtantiam, & ſtrenuam urbis defenſionem verbo & exemplo accendebat, eos aſſiduis obteſtans hortationibus, ne urbem nobiliſſimam barbaro Turcarum jugo facile ſubdi paterentur. Civitate tamen non diu poſt ex ſubſidiorum defectu ad deditionem redacta, pius Præſul res proprias & domeſticam ſuppellectilem nihil faciens illud unice cordi habuit, ſummoque ſtudio curavit, ut ſacra vaſa, & dicatas Deo ſanctimoniales ab impiorum aviditate, & libidine eriperet. Merita clariſſimi viri latius innoteſcunt ex mox afferenda epiſtola, quam Venetus Senatus Oratori ſuo in Curia Romana dedit, ut Epiſcopum de fide & patria optime meritum jamque ad extremam fere inopiam redactum Pontifici Romano publico nomine commendaret.

1645. 28. Ottobre in Pregadi.

ALL' AMBASCIATOR A ROMA.

„ Monſ. Milano Benzio Veſcovo della Canea, dopo la re-
„ ſa di quella città, capitato quì, & preſentatoſi nel Col-
„ legio Noſtro, ſe ne viene a coteſta Corte; Ha egli col-
„ la ſua Chieſa perduto quanto aveva, tralcurando negli
„ eſtremi le coſe proprie, ſtudioſo ſolo di preſſervare le ſa-
„ cre, e togliere le Monache, come ha fatto, dalle mani
„ de Turchi. Spogliato però d'ogn'altra coſa, e ſolo veſti-
„ to di merito, inſigne per le ſue degne, e valoroſe azio-
„ ni, avendo ſuppiito, non ſolo a tutto quel più, che far
„ poteva un buono, e zelante Prelato in occaſione sì dif-
„ ficile, e grande; ma eſſendo concorſo ſempre vigoroſa-
„ mente alli luochi più pericoloſi, aſſiſtendo con tutti li ſuoi
„ con animo intrepido, eſſortando con la voce, e dando
„ eſempio con l'opere agli Eccleſiaſtici, non ſolo Latini,
„ ma alli Greci, e Secolari ancora, di ſoſtenere con corag-

gio

„ gio l'empito de Nemici, e reſſiſtere con ſofferenza alle
„ fattiche, e diſaggi per l'onor di Dio, e diffeſa della Pa-
„ tria, per teſtimoniare la propria fedeltà alla Repubblica, a gloria di Dio, e preſſervazione della Religione; fruttuoſiſſimo è però riuſcito l'impiego ſuo nel corſo tutto dell'aſſedio; e nella reſa ha procurato laſciar impreſſa negli animi la Fede Cattolica, e quella verſo il Prencipe naturale, eſſortando ad incontrare, & intraprendere l'occaſioni, che rappreſentar ſi poteſſero di redimerſi dalla tirania de Turchi, e renderſi nel Grembo di S. Chieſa ſotto il Dominio della Repubblica; Non ha laſciato addietro in ſomma cos'alcuna, che per lui operar ſi poteſſe, onde merita ſomma lode per il Zelo, per il valore, e per la virtù ch'ha dimoſtrato; e non eſſendogli rimaſto altro capitale, che quello del proprio merito; Vi commettemo col Senato, che portando al Sommo Pontefice con pieniſſimo atteſtato dell'operato da detto Monſ. Veſcovo in conformità di quanto è di ſopra eſpoſto, dobbiate in noſtro Nome vivamente raccomandarlo alla Santità Sua, ed al Signor Cardinale Panfilio, perchè ſia proveduto, e redintegrato nell'occaſioni di vacanze, e nel modo, che parerà più pronto, e proprio alla Beatit. Sua, che ciò valerà non ſolo a giuſta ricompenſa al detto Veſcovo, ma ſervirà anco d'eſempio, e ſtimolo agli altri d'imitarlo in ſimili occaſioni.

„ E da mò ſia preſo, che per dar qualche comodo a Monſ. Milano Veſcovo della Canea di conferirſi a Roma, e dar inſieme qualche teſtimonio della pubblica ſodisfazione, gli ſiano dalli Camerlenghi di Comun delli Dinari della Signoria Noſtra esborſati ducati cinquecento B. V. per una volta tanto.

„ E ſia parimenti preſo, che quanto è contenuto nelle Lettere ſcritte all'Ambaſciator a Roma ſia, *mutatis mutandis*, letto a Monſignor Reverendiſſimo Nunzio del Pontefice con inſtanza, che ſia raccomandato in noſtro nome

il

„ il medeſimo Veſcovo al Sommo Pontefice, ed al Signor „ Cardinal Panfilio.

Aurelio Bartolini N. D.

Ipſum itaque ſumma laude ornatum Innocentius X. Nurciæ Urbi Præfectum dedit, moxque Armis Eccleſiaſticæ ditionis Commiſſarium Generalem præfecit, quo in munere Beneventi obiit, ut ejus Familiæ domeſtica regeſta teſtantur.

Patrem habuit Joannem Baptiſtam Bencium, qui ex conjuge ſua Blanca Milani filios ſuſcepit, quos inter Milanum laudatum Epiſcopum, & Candidam, quæ Auguſtino Ottobono Alexandri VIII. fratri nupſit.

Simul cum Milano Epiſcopo ex dedita urbe Cydoniæ diſceſſit Georgius Darminus Tinienſis J. U. D. qui in Cathedrali Agienſi Canonici Pœnitentiarii munere optime ſunctus fuerat. Viri hujus merita cum Pontifici Romano innotuiſſent, eum Eccleſiæ Clugienſi in Venetis æſtuariis per obitum Joſephi Mariæ Pizzini Epiſcopi vacanti præfecit anno 1653. die 24. Novembris, a qua deinde biennio nondum evoluto ad Epiſcopatum Æmonienſem in Iſtria tranlatus fuit anno 1655. die 30. Auguſti.

ECCLESIA CISSAMENSIS

NEque Ciſſamum Urbs antiquiſſima ex Cretenſibus civitatibus Epiſcopali Dignitate, qua ſub Græcis Imperatoribus inſigniebatur, fraudatum fuit a Venetis; Epiſcopus tamen, ut in aliis quoque ſervatum vidimus, Latini ritus inſtituitur, ut Venetæ Coloniæ gentem in ſpiritualibus regeret. Attamen Ciſſami numquam ſediſſe Latinum Antiſtitem aſſerit in prolixa ad Cretenſes data epiſtola Andreas Eudæmonioannes Doctiſſimus Societatis Jeſu Theologus ſcribens titulum ejus Eccleſiæ dari ſolitum Latinis Epiſcopis, *quorum ex titulo dumtaxat dignitas eſt, quique Canonum interpetribus, Nullatenentes Epiſcopi, Titulares, Anulares, & in partibus appellantur.* Jacobus Philippus Tomaſinus Æmonienſis Epiſco-

ſcopus in libris, quos de Patavino Gymnaſio concinnavit, de Epiſcopatu Ciſſamenſi refert : *redditus Eccleſiæ Ciſſamenſis ob interfectionem Epiſcoporum a Barbaris illis habitantibus in tres partes diviſos, duas victinioribus Antiſtitibus, ſub quorum cura Diœceſis illa immanium hominum, compartitas, tertiam partem Collegio Græcorum conceſſam.* His Tomaſini dictis adverſatur Nicolaus Comnenus Papadopulus in Hiſtoria Gymn. Pat. Tom. I. pag. 39. qui, *Nullum*, ait, *Antiſtitem Ciſſamenſem interfectum novit hiſtoria nec tota Inſula Creta Barbarum hominem & immanem quisquam audivit, donec Reipublicæ Venetæ ſubfuit.* Inter obſcuras adeo tenebras veritatem circumquaque obvolventes, deficientibus etiam everſi Regni documentis, ſatis eſt ſcriptorum aſſerta proferre, donec majus lumen incertis rebus affulgeat; hoc tamen certum compertumque eſt, Epiſcopos Ciſſamenſes ſaltem ad medium usque ſæculum XVI. ſtetiſſe : Auguſtinus enim Steucus Epiſcopus Ciſſamenſis Venetiis obiit anno 1550. Fere omnes hujus Civitatis Antiſtites (ſive reſidentes fuerint, ſive Titulares) licuit e vetuſtatis edacitate ſurripere, quos modo Chronologico Ordine diſpoſitos in lucem adduco.

I. Belletus memoratur Epiſcopus Ciſſamenſis ſeu Chiſſimenſis a Wading. ad annum 1346. quo ipſe Belletus obiens Eccleſiam Ciſſamenſem vacantem reliquit.

II. Guillelmus Mauracocchius Ordinis Minorum Epiſcopatui Chiſſamenſi per obitum Belleti Epiſcopi vacanti præfectus fuit a Clemente VI. anno 1346. die 30. Septemb. ut notat Wading. in Annal. Tom. VII. ad annum citatum, & Pontificium electionis diploma in Regeſt. Pontif. affert. Legationes, quibus pro Sede Apoſtolica functus eſt Guillelmus Epiſcopus apud Joannem Cantacuzenum Imperatorem C. P., & quæ poſt acceptam Clementis Papæ epiſtolam egerit in ſua legatione, fuſe referunt Wading. ad annum 1349. & Raynaldus ad annum 1350. in quorum hiſtoriis vulgata legitur ejusdem Pontificis epiſtola data anno 1350. die 13. Februarii.

III.

Digitized by Google

III. Nicolaus Epiſcopus Chiſſamenſis a Clemente VI. ad Eccleſiam Veſtanam in Regno Neapolitano abſolutus a vinculo, quo tenebatur Eccleſiæ Kiſſaurenſi (ſic in Pontificio diplomate vocatur apud Wadinghum) transfertur anno 1349.

IV. Guillelmus Emergavi Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Magiſter Epiſcopus Chiſſamenſis electus fuit a Clemente Papa VI. anno 1349. die 17. Junii, cujus electionis diploma affert Wadinghus Tom. VIII. pag. 387.

V. Joannes Epiſcopus Chiſſamenſis anno 1362. die 16. Auguſti tranſiit ad Epiſcopatum Hortanum, ut ſcribit Ughel. Tom. I. Ital. Sac. in Epiſcopis Hortanis.

VI. Nicolaus Fuſcareno Epiſcopus Chiſſamenſis memoratur in regeſtis Ducalis Cancellariæ Venetiarum ad annum 1366. hoc modo:

1366. 26. Aprilis. In Rogatis.

„ Quod in favorem Fr. Nicolai Foſcareno Epiſcopi Chiſ-
„ ſamenſis poſſint ſcribi litteræ Dom. Papæ, & Cardinali-
„ bus & aliis in illa forma, quæ videbitur Dominationi.

Quum igitur Nicolaus iſte Fuſcarenus ſtatuatur ex authoritate documenti Epiſcopus Chiſſamenſis ad annum 1366. diverſus proinde dici debet ab alio Nicolao Foſcareno, qui anno 1365. dum Epiſcopus Folienſis ſeu Foliæ Novæ eſſet, nominatus eſt ad Epiſcopatum Caprulenſem die 9. Septembris, & deinde anno 1375. dum adhuc Eccleſiæ Folienſis titulo notaretur ad Eccleſiam Clugienſem translatus fuit, ut videre eſt in Eccleſ. Venet. Illuſtrat. Tom. XIV. pag. 484.

VII. Aicardus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini legitur in Regeſto Pontificali Urbani V. electus Epiſcopus Chiſimenſis die octava Junii anno 1366. ut refert Lequienius ex Thoma de Herrera Alphab. Auguſt. Tom. I. pag. 38. col. 2. Vel collatam ſibi dignitatem ſubire renuit, vel brevi eam tenuit, ſiquidem alium in ea Eccleſia Epiſcopum legimus eodem anno die 17. Octobris.

VIII. Simon de Venetiis Epiſcopus Chiſſamenſis propoſitus fuit in Senatu anno 1366. die 17. Octobris, ut eligeretur Epiſcopus Æmonienſis, ut ſignatum vidimus in Regeſtis Ducalis Cancellariæ Venetiarum.

IX. Marcus Marcello electus Epiſcopus Chiſſamenſis anno 1371. ut notat in ſuis regeſtis Fantinus Rizzo Public. Notarius Venetiarum. Anno 1381. die 11. Junii legitur inter eos, qui nominati fuerunt in Comitiis Rogatorum ad Epiſcopatum Equilinum; prout in regeſtis Cancellariæ Ducalis Venetiarum notatum viſitur. Ad hunc itaque pertinet Gregorii XI. epiſtola anno 1375. ad Præſules Cretenſis Inſulæ miſſa.

X. Angelus Barbadico Joannis filius Epiſcopus Chiſſamenſis non ſemel memoratur in Ducalis Cancellariæ regeſtis, dum Epiſcoporum electiones notantur: anno enim 1387. die 26. Martii ad Archiepiſcopatum Cretenſem anno 1390. die 27. Octobris, & anno 1392. die 29. Martii ad Epiſcopatum Caſtellanum, & demum anno 1490. die 27. Julii ad Patriarchatum Gradenſem nominatus fuit, licet variis ex cauſis nullam harum dignitatum obtinuerit. Chiſſamenſem itaque cum adhuc adminiſtraret Eccleſiam a Bonifacio IX. Apoſtolicus Delegatus inſtituitur, ut nuper Venetiis ortæ Canonicorum Sæcularium Congregationi Monaſterium S. Georgii in Alga Venetiarum olim Ordinis S. Auguſtini, & jam ad commendam deductum apoſtolica authoritate concederet, ex quo nomen inde ſortita eſt ipſa Congregatio, S. Georgii in Alga nuncupata. Rei ſeries enarratur in Eccl. Venet. Illuſtr. Tom. VI. ad Monaſterium S. Georgii in Alga, ubi etiam pag. 80. Epiſcopale Angeli Delegati Apoſtolici diploma affertur latum Venetiis in loco S. Georgii in Alega anno 1404. die 30. Octobris, quod Bullam continet Bonifacii Papæ IX. datam Romæ apud Sanctum Petrum Pontificatus ſui anno XV. Poſt hæc Angelus *vir omnino religioſus* (ut ipſum celebrat Alphonſus Ciaconius) ac juſti & æqui ſtudioſiſſimus *& Eccleſiaſticæ diſciplinæ cultor eximius*, cum

Eccle-

Eccleſiam Ciſſamenſem per aliquot annos optime adminiſtraſſet, ad Veronenſem Epiſcopatum expetente in primis Veneto Senatu ab Innocentio VI. deducitur. Quum enim per ea tempora Veronenſes poſt deviƈtum captumque Franciſcum Carrarienſem in Venetæ Reipublicæ fidem & poteſtatem conceſſiſſent, Senatus in non levem ſuſpicionem adduƈtus, quod Jacobus de Rubeis Parmenſis Veronæ Epiſcopus civium animos a jurata fide avertere niteretur, ab Innocentio imploravit, ut Jacobum ab Epiſcopatu Veronæ removeret, & ejus loco Angelum Barbadicum inſtitueret, qui in Chiſſamenſi Eccleſia ſanƈtimoniæ & doƈtrinæ ſplendore diu effulſerat. Hæc fuſe affert Ughel. Tom. V. Venetæ edit. col. 93. ubi etiam Michaelis Steni Venetiarum Ducis epiſtolas exhibet Antonio de Luſchis Veneto apud Pontificem Oratori deſignato datas, in quibus hoc legitur Angeli Epiſcopi Chiſſamenſis Elogium. *Quia pro conſervatione ſtatus noſtri in civitate Veronæ opus eſt, quod Epiſcopatui prædiƈto præſit perſona ſapientiſſima & nobis fidiſſima, ut eſt R. P. D. Angelus Barbadico Epiſcopus Chiſſamenſis, nobilis civis noſter, Prælatus utique ſcientificus, licentiatus in jure Canonico, moribus honeſtus, conſpicuus, approbatæ conſcientiæ & ſanƈtæ vitæ, claritate decorus* &c. Veronenſis itaque Epiſcopus inſtitutus, non multo poſt a Gregorio XII. inter purpuratos S. R. E. Patres Cardinales cooptatus fuit. His ita poſitis, cum certum compertumque habeamus Angelum Barbadico ante diem 26. Martii anni 1387. Epiſcopatum Chiſſamenſem obtinuiſſe, eique præfuiſſe usque ad diem 31. Jul. anni 1405. conſequens eſt, ut Martinus Vannis de Eſculo Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, quem ex Thoma de Herrera notat Lequienius ad num. VIII. expungatur e ſerie Epiſcoporum Chiſſamenſium, ſiquidem electus dicitur a Bonifacio IX. die 24. Januarii anno 1392. Idipſum dici probabiliter debet de Jacobo ejus aſſerto præceſſore, in cujus defuncti locum ſuffeƈtus ſcribitur Martinus Vannis. Quum autem ab Auguſtiniano Clariſſimo Hiſtorico procul ſit omnis ſuſpicio mendacii, probabile eſſe cenſeo æquivo-

cum aliquod Epiſcopatus nomini ineſſe, ſiquidem Herrera Alph. Auguſtin. Tom. II. pag. 75. col. 2. Jacobum & Martinum Epiſcopos dicit Eccleſiæ Liſſamenſis, quam Kiſſamenſem interpretatur Lequienius.

XI. Franciſcus Urſus memoratur in Tabulario Monaſterii S. Crucis de Judaica Venetiarum Monialium Ordinis S. Benedicti ad annum 1427. Epiſcopus Chiſſamenſis & Curator ejusdem Monaſterii. Anno 1428. die XII. Septembris Indict. VII. Rivoalto Presbyter Ambroſius qu. ſ. Viti Notarius complevit & roboravit teſtamentum ſcriptum die præcedenti in Monaſterio Sancti Michaelis de Muriano manu Domini Lanfranchi Prioris Sanctæ Mariæ de Charitate nomine Franciſci Urſi Epiſcopi Chiſſamenſis. Hujus teſtamenti autographum extat in Archivo Monaſterii prædicti Sancti Michaelis, in cujus Eccleſia canitur quotannis die XXII. Decembris Miſſa anniverſaria de Requie pro anima ipſius Epiſcopi, qui, ut traditur, ibidem tumulatus fuit.

XII. Emmanuel (qui in Eccleſiis Venetis ex errore appellatur Hermolaus) Epiſcopus Chiſſamenſis legitur in Tabulario Monaſterii Sanctæ Mariæ Servorum de Venetiis ad diem 26. Martii anni 1470. dicitur que Generalis Vicarius Hieronymi Landi Archiepiſcopi Cretenſis.

XIII. Thomas de Caſſinis, qui in publicis actorum tabulis Venetus dicitur de confinio Sancti Proculi, enuntiatur a Joanne Joſepho Capodaglio, in libro cui titulus *Udine Illuſtrata*, quod ex Utino civitate Joachimo genitore originem traxerit, ad quam urbem ad annum 1317. ejus nobilis familia Mediolano ſe ſe contulerat. Inter Canonicos Utinenſes cooptatus Romam ſe deinde recepit, ubi ab Innocentio VIII. cujus fuerat familiaris, renuntiatus eſt Epiſcopus Chiſſamenſis anno 1486. In Sacræ Theologiæ, & utriusque juris diſciplinis peritiſſimus fuit, ejusque nomen addito Juriſperitiſſimi titulo recenſetur in libro antiquo Ordinationum Archivi Patriarchalis ad annum 1487. Venetiis extremo morbo correptus teſtamentum ſuum condidit in regitis

gitis Lucæ Stellæ Notarii Veneti; cumque extremum diem obiiſſet, ſepultus fuit in Eccleſia Fratrum Servorum B. M. V. de Venetiis, quos ſibi conſtituerat hæredes.

XIV. Antonius Savina Venetus Parœcias SS. Trinitatis, & S. Mariæ Jubanico Venetiarum aliam ex alia adminiſtravit. Notariatus munus cum ageret Ducalis Aulæ Cancellarius eligitur, & Baſilicæ S. Marci Canonicus & Vicarius Generalis. Anno 1496. electus Epiſcopus Chiſſamenſis Eccleſiam Parochialem S. Mariæ Jubanico commendatario titulo ſibi retinuit, cumque Epiſcopatui per biennium præfuiſſet e vivis exceſſit anno 1498.

XV. Dominicus de Aleppo ſeu Alerio, uti quandoque nuncupatus legitur, Epiſcopus Chiſſamenſis memoratur in quodam Julii II. diplomate, quod aſſervatur in Arch. Monaſterii Sancti Jacobi de Judaica Ordinis Servorum B. M. V. Eccleſiam Sancti Rochi Venetiarum ab ipſius Sancti Sodalitio a fundamentis renovatam ſacræ conſecrationis munere inſignivit anno 1508. die 1. Januarii, in cujus conſecrationis lapidea epigraphe Dominicus Alerius Epiſcopus Chiſſamenſis appellatur. Anno 1514. Venetiis degens a Leone X. Pontifice Maximo inſtitutus fuit Apoſtolicus Delegatus die 20. Maii, ut erectionem & dotationem Sacelli Sanctæ Crucis in Cathedrali Templo ab Antonio Contareno Patriarcha Venetiarum perfectas Pontificia authoritate confirmaret, quod deinde in apoſtolici Diplomatis obedientiam actum fuit die 22. Julii anno 1518. quo etiam anno Claram Donato Abbatiſſam Sanctæ Mariæ de Virginibus ex Legati Apoſtolici mandato in poſſeſſionem ſuæ dignitatis induxit. Venetiis extremum diem clauſit, cum antea corpus ſuum in Eccleſia Sanctæ Helenæ Monachorum Congregationis Montis Oliveti, quam ipſe pridem die 18. Aprilis anno 1515. conſecraverat, tumulari mandaſſet in ſepulcro, quod ipſe ſibi vivens paraverat, ut docet epigraphe eidem ſepulcro inciſa.

Dominicus Aleppo Epiſcopus Chiſſamenſis monumentum hoc ſibi, ſororio, ſororique vivens faciendum curavit MDIII. Sexto Idus

Digitized by Google

Idus Aprilis. Ex qua anni chronica nota evidens fit, unum eundemque esse Dominicum Episcopum, qui Ecclesiam S. Rochi anno 1508. & Ecclesiam Sanctæ Helenæ anno 1515. consecravit.

XVI. Dominicus Zono Venetus Nicolai filius Episcopus Chissamensis Venetam Sanctæ Justinæ Virginis & Martyris Ecclesiam Sanctimonialium Ordinis Sancti Augustini consecravit anno 1522. die 15. Maii.

XVI. Michael Zono, Dominici Zono prædecessoris ex Angelo fratre Nepos, Episcopus Chissamensis huic Ecclesiæ præfuit, circa annum 1544. ut colligitur ex emortuali epigraphe, quam ipse Michaeli Zono Equiti proavo suo in Ecclesia Sancti Andreæ de Venetiis Monachorum Carthusiæ ponenda describi curavit. Hæc sunt lapideæ inscriptionis verba: *Michaeli Zono Equiti Domicello Castellanensi, Comitique Palatino & Civi Veneto in expeditione contra Turcas anno MCCCCXLIV. consilio & armis inclyto Eugenii IV. Summi Pontificis in Classe Depositario de Patria de Fide optime merito Michael Zono Angeli filius Episcopus Chissamensis proavo illustri post centum annorum spatium præclarum veræ virtutis monumentum erigendum curavit*.

XVIII. Augustinus Steucus Eugubii natus Ordinis Canonicorum Regularium SS. Salvatoris, cum in omni disciplinarum genere doctrinæ laude floreret, a Paulo III. Romam accersitus Chissamensi Ecclesiæ in Insula Cretensi Episcopus præficitur: *quo in munere* (ut scribit Morandus in vita operibus ejus præfixa) *tum eloquentia, tum ratione, consilio integritate, quorum in omnibus natura ipsa fundamenta jecit, sed reliquum ædificium industria absolvit, in paucis sic se gessit, ut Insulani homines haberent, cur immortaliter lætarentur. Sed vix annum apud Cretenses commoratus erat, cum in urbem reversus Vaticanæ Bibliothecæ præpositus est, quam præstanti fide semper tractavit*. Obiit Venetiis anno MDL. ejusque corpus ad Eugubinum Sancti Ambrosii Monasterium, in quo religiosæ vitæ initia habuerat, non multo post delatum fuit.

XIX.

XIX. Proſper Publicola Sancta-Crucius Romanus Rotæ Romanæ Auditor, quum a Paulo III. Legatus Apoſtolicus ad Ferdinandum Romanorum Regem deſtinatus fuiſſet, *ante ab urbe diſceſſum*, (ut ſcribit Auguſtinus Oldoinus in addit. ad Ciacon. Tom. III. Hiſtor. Roman. Pontificum) *Epiſcopus* Chiſſamenſis renuntiatur. Ob præclara deinde ejus in Sanctam Sedem merita inter Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales a Pio IV. cooptatus fuit, anno 1565. obiitque anno 1589.

XX. Hieronymus Ragazonus Venetus a Pio IV. cui erat cubicularius, renuntiatus fuit Archiepiſcopus Nazianzenus, & coadjutor Epiſcopi Famauguſtani in Cypro Inſula: Mox ad Tridentinam Synodum profectus ornatiſſimam ibi ad Patres in ipſorum dimiſſione orationem habuit, a Labbeo in actis Concil. relatam Tom. 14. Inde Cyprum appulſus ſibi commiſſam Famauguſtæ Eccleſiam defuncto Epiſcopo adminiſtrandam ſuſcepit, quam non diu poſt a Turcis expugnatam ingemuit. Romam itaque reverſus a Gregorio XIII. ad Chiſſamenſem Eccleſiam deſtinatur, & Apoſtolici Viſitatoris munus in Ravennatenſi, Urbinate, ac Mediolanenſi Archiepiſcopatibus ei demandatur, quod cum laudatiſſime perfeciſſet, ad Novarienſem primum, mox ad Bergomenſem Epiſcopatus translatus fuit anno 1577. obiitque deinde Romæ anno 1592. cujus epitaphium, & luculentiſſimas laudes affert Ughellus in Epiſc. Bergomenſ. Tom. IV. Italiæ Sacræ, & Nicolaus Comnenus Papadopoli in Hiſt. Gymnaſii Patav. Tom. II. cap. XXX.

EC-

Digitized by Google

ECCLESIA GANTANI SEU CANTIÆ.

SUB Conſtantinopolitano Imperio Cantanum ſeu Cantanus civitas in Inſula Cretæ proprios Epiſcopos habuit Metropolitæ Gortynenſis ſuffraganeos; in ditionem autem Venetorum redacta eodem inſignita honore permanſit ab Epiſcopis Latini ritus adminiſtrata. Memoratur in ſæpecitata Gregorii XI. epiſtola inter alios Cretenſis Regni Antiſtites Epiſcopus Canticenſis, cujus nomen nos latet, ſicuti & cæterorum, qui huic Eccleſiæ præfuerunt, uno tantum excepto Fratre Franciſco Ordinis Minorum, qui a Clemente VI. Eccleſiæ Canticenſi *per obitum ultimi Epiſcopi Canticenſis paſtoris ſolatio deſtitutæ* præfectus fuit Epiſcopus anno 1346. die 21. Auguſti, ut patet ex ipſius Pontificis Clementis VI. diplomate, quod affert Wading. Tom. VII. Annal. Romanæ noviſs. editionis pag. 592.

ECCLESIA ARIENSIS.

AGrium urbs Inſulæ Cretenſis memoratur ſexto loco inter Epiſcopales ejusdem Inſulæ urbes in notitiis Leonis Sapientis Imperatoris C. P. Huic urbi præfuiſſe Epiſcopum illum Latini ritus autumo, qui poſt occupatam a Venetis Cretam Epiſc. Arienſis nuncupatus fuit, diverſus omnino ab Agienſi Epiſcopo, ſiquidem uterque nominatim diſtinctus recenſetur tum in ſæpecitata Gregorii XI. epiſtola ad Præſules Cretenſes data tunc in Romanis Provincialibus. Ea quæ ſuperfuerunt Arienſium Epiſcoporum nomina & documenta profero. Primus omnium Epiſcopus, ſi nomen innoteſceret, ille eſt, qui a Clemente V. in ſuis encyclicis litteris datis anno 1307. die 12. Auguſti enuntiatur Epiſcopus Arienſis ſuffraganeus Eccleſiæ Cretenſis, quæ quidem epiſtola relata eſt a Labbeo in collectione Conciliorum.

I. La-

I. Lazarus Epiſcopus Arienſis obiit circa annum 1349. eo enim anno vacabat Eccleſia Arienſis per obitum Lazari Epiſcopi.

III. Fr. Raymundus de S. Lucia Ordinis Minorum Lazaro Epiſcopo Arienſi defuncto ſuffectus fuit a Clemente VI. anno 1349. die 8. Julii, ut ſcribit Wading. ad ipſum annum 1349. Ab hoc Raymundo Ordinis Minorum electo Epiſcopo Arienſi anno 1349. diverſum eſſe putat Lequienius Raymundinum Ordinis Minorum Epiſcopum Arienſem, qui anno 1351. die 25. Maii, ad Agienſem Epiſcopatum translatus fuit. At diverſimode ex rerum congruentiis ſentire cogor, ſiquidem, nec integro biennii tempore unus Raymundus electus & defunctus, alter vero electus & translatus fuiſſet. Quod autem unus & idem vir eodem nomine & proprie & diminutive vocetur, mirum non eſt, quum haud infrequentia in codicibus, & in documentis etiam ſe ſe offerant exempla.

III. Gerardus Ordinis Heremitarum S. Auguſtini Eccleſiæ Arienſi per negligentiam Capituli diutius vacanti promotus fuit ab Urſo Archiepiſcopo Cretenſi. Hanc electionem Urbanus V. Papa irritam & inanem eſſe declaravit; quum tamen Gerardi electi virtutem perſpectam haberet, ipſum authoritate apoſtolica Epiſcopum Arienſem renuntiavit die 8. Novembris anno 1367. Interea dum Romæ circa electionem Gerardi deſignati Epiſcopi Arienſis agitur, Venetiis apud Xviros Capitales quæſtio in ipſum inſtituitur circa initia citati anni 1367. inſimulatus enim fuerat, quod *multa verba inhoneſta, turpia, & enormia contra honorem & ſtatum Communis Venetiarum loquutus fuiſſet;* Verum cum nulla adverſus eum legatur firmata ſententia, indeque per Pontificem Epiſcopatui eidem præpoſitus fuerit, pronum eſt credere Xvirum judicio dimiſſum fuiſſe.

IV. Antonius Contareno ab Epiſcopatu Arienſi translatus fuit ad Archiepiſcopatum Cretenſem circa annum 1385. ut argui poteſt ex Regeſtis Cancellariæ Ducalis Venetia-

rum, in quibus ad diem 3. Januarii Anni 1385. dum recenſentur nominati ad Patriarchatum Gradenſem vacantem, enuntiatur inter alios *Rev. P. D. Anthonius Contareno ſ. Zachariæ Epiſcop. Arienſis nunc translatus ad Archiep. Cretenſem.* Ambigendum eſt, num Antonius iſte vel potius Gerardus ejus prædeceſſor ſuſceperit Apoſtolicas Gregorii XI. epiſtolas, quas ſæpe diximus miſſas anno 1375. fuiſſe Epiſcopis Cretenſibus.

V. Franciſcus ex Ordine Carmelitarum, de quo aſſerit Daniel a Virgine Maria Spec. Carmel. p. 921. quod ſexagenarius adhuc viveret anno 1418. die 17. Decembris, cum jam ab annis circiter 30. Epiſcopus eſſet. Ut autem hæc cum promotione ſucceſſorum conveniant, recte notat Lequienius, oportere Franciſcum hunc ab anno 1388. electum Arienſem Epiſcopum, & anno 1418. defunctum Epiſcopatui quidem renuntiaſſe ante annum 1410. & ad ſuos Carmelitas ſe recepiſſe.

VI. Rolandus Arienſis Epiſcopus anno 1410. e vita migravit, & Eccleſiam Arienſem vacantem reliquit.

VII. Fr. Franchionius Secretus Cretenſis Ordinis Minor. Eccleſiam Arienſem per obitum Rolandi Epiſcopi vacantem adminiſtrandam ſuſcepit a Joanne Papa XXIII. electus anno 1410. die 28. Julii, ut notat ad eumdem annum in ſuis annal. Wadingh. Tom. IX. Rom. edit. pag. 341.

Quum autem, ut ſuperius dictum eſt, Franciſcus Carmelita Epiſcopus Arienſis, usque ad annum 1418. vixerit, quo tempore varios Epiſcopos excepit Eccleſia Arienſis, ſuſpicari licet (attentis eorum temporum circumſtantiis, in quibus diro ſchismate Eccleſia Catholica ſcindebatur,) Franciſcum Carmelitam in Gregorii XII. obedientia conſtanti animo perſeverantem, a ſua Sede veluti ſchismaticum ejectum fuiſſe, & eidem ſuffectum Rolandum & alios, qui Alexandro V. & Joanni XXIII. adhærebant, ſiquidem eos, ut Pontifices legitimos agnovit, & veneratus eſt Venetiarum Senatus. Hæc autem,

autem, ex captatis conjecturis, nihil tanquam certum asserens, exhibeo criticorum judicio discutienda.

Translatus deinde fuit Franchionius anno 1414. die 30. Julii ad Melipotamensem Ecclesiam, ut mox dicemus.

VIII. Bertraminus de Seraphinis Ordinis Minorum Franchionio suffectus fuit, ut ad anum 1414. notat Wadinghus Tom. IX. pag. 364. *Joannes XXIII.* (ita Wadingh.) *Episcopum creavit Arienſem in Candia ſub Archiepiſc. Cretenſi Fratrem Bertraminum de Seraphinis virum nobilem per translationem Franchioni etiam Minoritæ, uti diximus, ad Milopotamenſem III. Kal. Auguſti. Bertramino ſub annum* 1418. *a Martino V. indultum fuit, ut in aliquo Conventu ſui Ordinis provinciæ Januenſis commorari poſſet; dum in ſuo Epiſcopatu ab infidelibus occupato reſidere non liceret.* Melipotamensem Episcopatum Bondelmontium superius memorasse vidimus, *cujus propter arrogantiam Græcorum*, (ii sunt infideles a Martino V. enuntiati) *Epiſcopus non audet ibi redditus colligere, neque habitare.* Ad Cœnobium itaque Castrinovi Terdonensis Diœcesis se recepit Bertraminus, cujus (abdicato prius anno 1419. onerosо Episcopatu) regimen suscepit, & in eo vitæ suæ dies clausit anno 1437. De bonis a Bertramino consanguineis suis minus juste legatis, videre est in regesto Wading. ad annum 1437. ubi Pontificium diploma affert, in quo Bertraminus *corrupto nomine vocatur Bartholomæus.*

IX. Antonius Guidius Florentinus Ecclesiæ Arienſis Episcopus in locum Bertramini, qui eam dimiserat, electus fuit a Martino V. anno 1419. die 14. Decembris. Scribit Fontana in Theatr. Domin. Antonium annis plúribus cum ingenti gregis sibi commissi utilitate Arienſi Ecclesiæ præfuisse, additque Cavallerius in Gall. Domin. Antonium Guidium usque ad annum circiter 1427. Arienſem Ecclesiam rexisse; & deinde circa annum 1430. e vivis migrasse. Asserta hæc Fontanæ, & Cavallerii de Episcopatu Antonii reprobantur ex constitutione Martini V. data die 21. Aprilis anni 1421. quam retulit Tom. II. Bullar. Ord. Prædic. Bremondius,

dius, ex qua conſtat Antonium Epiſcopum electum Arienſem oneri ſibi collato nuntium remiſiſſe *infra tempus de conſecrandis Epiſcopis a Canonibus definitum*, cujus abdicationem per Procuratorem factam accepit Pontificio nomine Antonius Cardinalis Corrario Epiſcopus Portuenſis.

X. Joannes de Chorono Ordinis Prædicatorum in Epiſcopatu Arienſi Antonio Guidio onus ſubire recuſanti ſuffectus fuit a Martino Papa V. anno 1421. die 21. Aprilis, ut ex ſuperius citata Pontificia conſtitutione compertum habemus.

XI. Joannes de Vanno Ordinis Minorum anno 1433. Eccleſiam Arienſem, cui præerat, e vita excedens vacantem reliquit.

XII. Nicolaus Salma Cretenſis Ordinis Minorum, Joanni de Vanno defuncto ſucceſſor datus fuit ab Eugenio IV. anno 1433. die 16. Novembris. Ita de eo Wading. Tom. X. nov. edit. ad eundem annum pag. 215.

Obiit anno ſequenti 1434.

XIII. Benedictus de Paconeto Ordinis Prædicatorum de Provincia Regni Neapolitani ad Sedem Arienſem per obitum Nicolai Epiſcopi vacantem aſſumptus fuit ab Eugenio IV. die 10. Septembris anno 1434. cui cum per quadriennium nec dum expletum præfuiſſet, ab eodem Eugenio Papa IV. ad Epiſcopatum Balneoregienſem in Thuſcia deductus fuit anno 1438. die 10. Maii, in qua deceſſit anno 1445.

XIV. Antonius Mina Cretenſis Ordinis Minorum Epiſcopus Arienſis inſtituitur ab Eugenio IV. anno 1438. die 2. Novembris, ut refert ad eum annum Wadingh. in Annal. Minoriticis.

XV. Bartholomæus Abraham Epiſcopus Arienſis, cui Clemens VII. anno 1526. die 22. Aprilis apoſtolicum breve dedit pro typis edenda ejus translatione Latina actorum Græcorum Synodi Florentinæ. Ita Lequienius, qui probabile putat eum eſſe Bartholomæum Sirigo Cretenſem a Paulo III. ex Arienſi Eccleſia translatum ad Caſtellanetenſem in Italia

anno

anno 1536. die 9. Novembris, & in ea ſedit, ut notat Ughell. in Caſtellanet. Tom. IX. usque ad annum 1544. quo illam dimiſit.

XVI. Ludovicus de Martinis a Wadingho fortaſſe ex æquivoco aliquo Familiæ Minoriticæ adſcriptus, Ordinis Prædicatorum alumnus fuit, & in Veneto SS. Joannis & Pauli Cœnobio Prior anno 1532. quo in munere ſucceſſorem habuit inſignem virum Sixtum Medicem. Epiſcopus deinde Arienſis creatus fuit anno 1538. obiitque anno 1451. ut notat epigraphe e regione aræ majoris Eccleſiæ SS. Joannis & Pauli Venetiis poſita, in qua ſic legitur: *Fr. Ludovicus de Martinis Venetus Ordin. Prædic. Epiſcopus Arienſis obiit* 1541. Lapis hac inſcriptione notatus ad memoriam hujus Præſulis poſitus fuit, ſiquidem neque Venetiis, (quod ſciam) obiit, neque in hoc Templo emortualem requiem habuit.

Poſt Ludovicum de Martinis Eccleſiam Arienſem Calamonenſi unitam adminiſtrarunt Timotheus Juſtinianus & alii Epiſcopi, quos ſupra poſt Timotheum ipſum in ſerie Calamonenſium Epiſcoporum attulimus.

ECCLESIA MILOPOTAMENSIS.

Milopotamus urbs olim munita in Regno Cretæ cum portu ad plagam Septentrionalem Inſulæ poſita eſt prope oſtia Arcadiæ fluvii haud procul a loco, ubi antiquum Pantomatrion civitas a Ptolemæo aliisque antiquis ſcriptoribus memorata exſurgebat. Pantomatrii & Milopotami veſtigia ſe vidiſſe teſtatur Bondelmontius. Diſtabat autem Milopotamus in ortum a Rythimo XV. fere, a Candia vero in Occaſum XXX. circiter millibus paſſuum. Ab ipſo ferme Venetæ in Creta Inſula Dominationis exordio Epiſcopos Latini ritus excepit, quorum primus Matthæus nomine antiquitate præcedit Præſules omnes Latini ritus, qui adhuc in Cretenſibus Eccleſiis ſedentes inveniri potuerunt. Epiſcopo autem huic, dum apud Cathedralem reſideret, ſex

Cano-

Canonici miniſtrabant, & ex eis unus Theſaurarii munus agebat, prout deprehendimus ex antiquo ſigillo, cujus exemplum mihi humaniter e Florentia miſit Clar. Vir Joannes Dominicus Manni, quodque Calcographi ope in æs inciſum exhibeo.

ideſt S. Jo. Delfini Te. Milopotamenſis Eccleſie

I. Matthæus Epiſcopus Milopotamenſis enuntiatur in privilegio Petri Ziani Ducis Venetiarum, anni 1212. die vero 12. Martii, quo Simeoni Archiepiſcopo Montis Sinai confirmantur redditus earum poſſeſſionum, quas in Inſula Cretæ poſſidebat.

II. Joannes Epiſcopus Milopotamenſis non ſemel memoratur in publicis Cancellariæ Ducalis regeſtis, & in apoſtolicis epiſtolis Clementis V. licet non expreſſo nomine enuntiatur ſimul cum Petro Epiſcopo Calamonenſi ad annum 1307. ut ſupra retulimus in Calamonenſibus.

III. Michael de Verona Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Milopotamenſis ex ea Sede ad Clugienſem ex Clementis Papæ VI. decreto translatus fuit. Ad quem annum alliganda ſit hæc Michaelis translatio, diligentius quærendum eſt; varie enim de ea ſcribunt Authores. Ughel. Tom. V. Venet. edit. col. 1352. ex Vaticani Regeſti teſtimonio Michaelem Epiſcopum Milopotamenſem anno 1342. aſſerit ad Clugienſem Eccleſiam traductum fuiſſe. In Ughel. aſſerta concordat Fontana Theatr. Dominic. pag. 174. & 239. affirmans Mi-

Michaelem de Verona Ordinis Prædicatorum *Milipotamenſem Sedem* adeptum fuiſſe, ex qua deinde anno 1342. die 7. Octobris translatus fuit a Clemente VI. ad Clugienſem. Viros hoſce laudatiſſimos erraſſe in apponenda Chronica translationis nota arguit Lequienius in Epiſcopis Milopotamenſibus Wading. authoritati innixus, qui Annalium ſuorum Tom. VII. noviſs. edit. pag. 313. ſcribit Fratrem Nicolaum anno Chriſti 1344. ad Milopotamenſem Eccleſiam traductum fuiſſe per translationem Michaelis ad Clugienſem. Ea quæ aſſert Wadinghus indubia omnino redduntur ex allato p. 539. ejusdem Tomi Pontificio Clementis VI. diplomate, quo ad annum 1344. Frater Nicolaus Ordinis Minorum inſtituitur Epiſcopus Milipotamenſis Eccleſiæ per translationem Michaelis Epiſcopi ad Clugienſem Sedem vacantis. Verum cum ex Apoſtolica electionis Bulla teneamus Nicolaum Epiſcopum ad Milopotamenſem Cathedram evectum anno 1344. tempus autem non colligamus, quo Michael ad Clugienſem Sedem deductus fuerit, fieri quidem poteſt, ut & Michael Clugienſi Epiſcopatui præfectus fuerit anno 1342. & Nicolaus Eccleſiæ Milopotamenſi jam per biennium vacanti Epiſcopus datus fuerit anno 1344. atque eo modo utriusque Scriptoris dicta, quæ invicem ſibi adverſari prima facie videntur, ad actorum veritatem concilientur. Eccleſiam Clugienſem ſibi creditam adminiſtravit Michael usque ad annum 1346. in quo extremum diem clauſit, ſepultusque ſuit in Veneta SS. Joannis & Pauli Eccleſia, ut ex ejus emortuali epigraphe addiſcimus. 1346. *Hic jacet D. Fr. Michael Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Clugienſis.*

IV. Nicolaus Ordinis Minorum a Clemente VI. cui relatus falſo fuerat Brumacenſis Epiſcopi obitus, ad ipſam Brumacenſem Eccleſiam aſſumitur, & a Joanne Card. Epiſcopo Portuenſi ſacro conſecrationis munere inſignitur. Quum autem poſtmodum compertum habuiſſet Pontifex *præfatam Brumacenſem Eccleſiam non vacare*, ideoque Nicolaum *nullius Eccleſiæ* Epiſcopum remanſiſſe, ipſum Eccleſiæ Milopotamen-

tamenſi per translationem Michaelis ad Clugiæ Epiſcopatum pridem vacanti in Epiſcopum præfecit, & Paſtorem. Omnia hæc fuſe enuntiantur in ſuperius enuntiato Clementis VI. diplomate. Addit deinde de Nicolao Epiſcopo Wading. pag. citata 313. *Hic miſit ad Pontificem anno MCCCXLVI. quasdam querellas de bonis ſuæ Eccleſiæ injuſtè occupatis a Laicis, quas Pontifex miſit ad Andream Dandulum Ducem Venetiarum, cui tunc Inſula Cretenſis parebat.* Obiit Nicolaus anno circiter 1349.

Ex iis porro, quæ ex Wadinghi ſeu potius ex Clementis VI. authoritate attulimus, manifeſtum eſt, Nicolaum Minoritam, quem in Italia Sacra Tom. V. & in Eccleſ. Ven. Illuſtr. Tom. XIV. legimus in ſerie Epiſcoporum Clugienſium, numquam eidem Eccleſiæ, ut rectè notat Lequienius, præfuiſſe.

Fuſe differit deinde Lequienius, de Petro quodam Clugienſi Epiſcopo numquam Eccleſiæ Milopotamenſi præfecto; at cum in noviſſima Veneta Italiæ Sacræ editione legam *Melphienſem Epiſcopatum* loco Milipotamenſis poſitum eſſe, rectè arbitror in priori veteri editione Milipotamenſem pro Melphienſi vel ex Amanuenſis oſcitantia, vel ex levi quadam inconſiderantia (in quam aliquando & graviores viri decidunt) irrepſiſſe. Quæ cum ita eſſe putem, omitto de Petro hoc, deque aſſerto ejus Milopotamenſi Epiſcopatu verba facere.

V. Jacobus de Ponto Ordinis Minorum Nicolao Epiſcopo Milopotamenſi ad meliorem vitam evocato ſuffectus fuit a Clemente VI. anno 1349. die 8. Julii, ut ex Apoſtolico electionis diplomate compertum habemus, quod Wadingh. in annal. retulit in regeſtis Pontificiis ad ipſum annum 1349. Vel ad Jacobum de Ponto, ſi usque ad annum 1375. vitam produxit, vel ad anonymum ejus ſucceſſorem referenda eſt Gregorii XI. epiſtola, quam ad Cretenſes Præſules miſſam affert Raynaldus ad annum 1375.

VI. Victor Epiſcopus Milopotamenſis enuntiatur a Daniele

le a V. M. Tom. II. ſpeculi Carmel. pag. 919. translatusque aſſeritur ad Sithienſem Eccleſiam a Bonifacio IX. anno 1390. ad quam tamen veriſimiliter, ut ſuperius dictum eſt, numquam acceſſit.

VII. Dominicus de Dominicis Carmelita e Sithienſi Epiſcopatu, cui præerat, ad Milopotamenſem deductus fuit anno 1399. ut ex Lequienio, & ex Daniele a V. M. retulimus ſupra in Epiſcopis Sithiæ.

VIII. Franchionus Ordinis Minorum, quem ſupra retulimus Epiſcopum Arienſem, ad Milopotamenſem Eccleſiam deductus fuit anno 1414. die 30. Julii a Joanne XXIII. cujus obedientiæ Reſpublica Venetorum adhærebat. Obiit Franchionus anno 1437.

IX. Antonius Saracco Archipresbyter Eccleſiæ Cathedralis Caſtellanæ, & Patriarchæ Venetiarum Vicarius Generalis, cujus laudes ſæpe enuntiantur in Eccl. Ven. Illuſtr. Eccleſiæ Milopotamenſis Epiſcopus creatus fuit, quo titulo decoratus legitur in autographo documento Archivi S. Mariæ Servorum de Venetiis, quod vulgatum eſt in Eccl. Ven. Illuſtr. Tom. II. pag. 86. Archiepiſcopalibus deinde Corynthi inſulis ornatum fuiſſe legimus in plurimis Venetarum Eccleſiarum documentis, in quibus notatus viſitur Antonius Saracco Archiepiſcopus Corinthienſis, & Reverendiſs. Patriarchæ Venetiarum Vicarius.

X. Franciſcus Epiſcopus Milopotamenſis anno 1512. interfuit Synodo Lateranenſi ſub Julio II. & anno 1514. ſub Leone X. ut videre eſt in collectione Conciliorum Labbei.

XI. Vincentius de Maſſariis Epiſcopus Milopotamenſis dum Venetiis degens Hieronymo Foſcari Epiſcopo Torcellano in ſuffraganei, & Vicarii Generalis officio deſerviret, anno 1533. die 3. Maii Eccleſiam Sancti Mauri Martyris de Buriano Monialium Ordinis S. Benedicti ſolemniter conſecravit, idemque ſacræ conſecrationis munus impendit anno 1535. die 7. Novembris Eccleſiæ Monachorum Camaldulenſium S. Michaeli Archangelo in ipſius Inſula dedicatæ. Paravii etiam

ex Pontificio Clementis VII. diplomate Apoſtolicus Judex Delegatus Veronicam de Torreggia perpetuam Monaſterii Sanctæ Annæ Abbatiſſam inſtituit, cumque ipſam die XIV. Junii anno 1534. in ſuæ dignitatis poſſeſſionem induxiſſet, ad muneris ei impoſiti officia religioſe & accurate adimplenda eloquenti pioque ſermone cohortatus eſt, ut teſtantur authentica ejusdem Monaſterii documenta.

Eccleſiam etiam Chironenſem rexit teſte Wading. ad annum 1538. ut ſuperius dictum eſt in Chironenſibus.

XII. Dionyſius Græcus Ordinis Minorum de Obſervantia Zianenſis & Firmenſis Eccleſiarum Epiſcopus ad Eccleſias Milopotamenſem & Cheronenſem in Creta Inſula ſimul unitas, & per obitum Vincentii Epiſcopi vacantes transfertur a Paulo III. anno 1538. die 11. Decembris, uti ſuperius diximus in Chironenſibus. Utramque Eccleſiam, non tamen uno die, dimiſit Dionyſius, Chironenſem enim ante medium annum 1549. & Milopotamenſem ante medium annum 1555. renuntiavit, unde in ſubſcriptionibus Concilii Tridentini anno 1563. ſub Pio IV. enuntiatur Epiſcopus Milopotamenſis ſenior. Quum autem abſoluta Tridentina Synodo Bernardum Navagerium Cardinalem ad ſuam Veronenſem Eccleſiam comitatus eſſet, ſolemniis interfuit, quibus Cardinalis Epiſcopatus poſſeſſionem ſumma cum celebritate iniit. Feſtivitatis hujus pompam, cum in accurato documento peſteris demandaſſet Adamus Fumanus Canonicus Veronenſis, inter eos Præſules, qui ſolemnia ſuo interventu decorarunt, non ſemel recenſet Dionyſium Græcum Milopotamenſem Epiſcopum ſeniorem, & Jacobum Surretum (de quo infra) Græcum Epiſcopum Melipotamenſem juniorem, ut videre eſt in Italia Sacra Ughelli ad Tom. V. col. 991. & col. 992. ubi enuntiatur *Dionyſius Græcus Ordinis Sancti Franciſci Conventualium Epiſcopus Melopotamenſis*. Id autem, quod Fumanus aſſerit de religioſa Dionyſii Epiſcopi familia, traditioni, quæ de eo viget, & rerum veritati repugnare videtur, cum conſtans ſcriptorum ſententia ſit, ipſum inter Obſervan-

ſervantes Seraphicum habitum induiſſe, ſacrisque litteris ſub Franciſci Georgii celebris ex Obſervantium cœtu Philoſophi diſciplina operam dediſſe, certumque ſit ac indubium, ejus cadaver in Obſervantium Cœnobio emortualem requiem habuiſſe. Venetias deinde, ut quiete dies ſuos ageret, ſe ſe recepit Dionyſius in Parœcia Sancti Joannis Baptiſtæ in Bragora, ubi extremo morbo correptus dies ſuos clauſit menſe Julii anno 1566. ſepultusque fuit in Clauſtro Sancti Franciſci de Vinea Ordinis Minorum de Obſervantia.

XIII. Jacobus Surretus, quem ſupra laudatus Adamus Firmanus Fratribus Minoribus de Obſervantia adnumerat, a Paulo IV. electus fuit Epiſcopus Melipotamenſis anno 1555. die 26. Julii. Sedit inter Patres Concilii Tridentini anno 1563. ſub Pio IV. cumque in ipſo Concilio adeſſet etiam Dionyſius ejus prædeceſſor, nomen ſuum actis ſubſcripſit, hoc modo: *Jacobus Surretus Græcus Epiſcopus Melopotamenſis junior*. Pari quoque modo non ſemel enuntiatur in ſuperius citato Adami Fumani documento, in quo aliquando etiam dicitur: *Jacobus Surretus Græcus Epiſcopus Melipotamenſis 2. Ordinis Minorum de Obſervantia*.

XIV. Zerbinus Lugo Baſſani, quod eſt nobile Vicentinæ Diœceſis oppidum, ortus eſt honeſtis parentibus. Anno 1615. Eccleſiæ Milopotamenſi Epiſcopus præerat, ut compertum habemus ex authentico exemplo ſententiæ, quam die 18. Septembris ejusdem anni pro idoneitate cujusdam Clerici Cretæ apud Sanctum Titum tulit Laurentius Armacola Canonicus Eccleſiæ Metropolitanæ Cretenſis, & admodum Illuſtriſs. & Reverendiſs. Dom. Zerbini Lugo Epiſcopi Milopotamenſis Vicarius Generalis Judex & Commiſſarius Apoſtolicus. Translatus deinde fuit Zerbinus ad Eccleſiam Feltrenſem ſub Patriarchatu Aquilejenſi anno 1640. die 9. Januarii, ut in nota marginali ad Italiam Sacram Ughel. Venet. edit. legitur Tom. V. col. 378. Obiit menſe Januario anno 1647.

XV. Gozzadinus Bononienſis Angeli Gozzadini Epiſcopi

Civitatis Caſtellanæ frater renuntiatus eſt Epiſcopus Eccleſiæ Rithimenſis Milopotamenſi unitæ ab Urbano VIII. die 12. Aug. anno 1641. Ita ex nuntiis publicis Gallice ſcriptis per eundem annum 1641. ſe retuliſſe teſtatur Lequienius.

ECCLESIA HIERAPETRENSIS.

IN antiquis Græcorum notitiis, & in recentioribus Provincialibus Romanis Eccleſia Hierapetrenſis conſtanter enuntiatur Epiſcopalis, licet ejus Epiſcopi ſub Imperatoribus C. P. Græcum ritum, ſub Veneta autem Dominatione Latinum ritum ſequuti fuerint. In Gregorii XI. epiſtola, ad Cretenſis Inſulæ Præſules miſſa, Epiſcopus Hierapetrenſis omittitur, vel quia Eccleſia tunc temporis vacaret, vel quia ejus Epiſcopus abſens fuerit. Epiſcopos, quorum nomina invenire datum fuit, in ſerie proferimus.

I. N. Epiſcopus Gerapetrenſis Apoſtolicas Gregorii IX. ſuſcepit epiſtolas datas die V. Julii anno ſui Pontificatus XIII. Chriſti videlicet 1240. quibus ei Pontifex per apoſtolica ſcripta mandavit, ut militibus Cretenſibus, qui Eccleſiam Deo & Beato Marco Evangeliſtæ ſacram, in civitate quæ dicitur Candida conſtruere diſpoſuerant, *primarium lapidem auctoritate* Pontificia *concedere non poſtponeret*. Diploma relatum eſt ſuperius in Archiepiſcopis Cretenſibus pag. 9.

II. Frater Antonius *Dei Gratia permittente Epiſcopus Jerapetræ* Venetiis degens anno 1317. die 30. Septembris Confratribus Sodalitii Sanctæ Mariæ de Valli viridi, quoties ſe verberaſſent, *de Chriſti, & ſuæ Matris permiſſione XL. dies Indulgentiæ de injunctis penitentiis* relaxavit. Diploma remiſſionis relatum legitur in Eccleſ. Venet. Illuſtr. Tom. XIV. pag. 173.

III. Thomas Epiſcopus Hierapetrenſis translatus fuit a Joanne Papa XXII. ad Agienſem Sedem anno 1325. die 13. Februarii. De eo ſuperius actum eſt ad Eccleſiam Agienſem pag. 150.

IV.

IV. Frater Gerardus Minorita ad Epiſcopatum Hierapetrenſem per translationem Thomæ Epiſcopi aſſumptus fuit a Joanne Papa XXII. anno 1325. ut ad ipſum annum ſcribit Wadinghus, qui electionis diploma profert in Regeſt. Pontif.

V. Dominicus Hierapetrenſis Epiſcopus translatus fuit ab Urbano Papa V. ad Muranenſem Eccleſiam anno 1364.

VI. Frater Julianus Angeli ſeu de Angelis Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Hierapetrenſis affertur a Fontana in Theatr. Dominic. pag. 197. ubi citat librum Proviſion. Prælat. ſub Urbano V. Eccleſiam vero Juliano commiſſam appellat Giropetienſem, ſeu Geropetienſem, & in monumen. Domin. pag. 231. Hiropetienſem, ſimulque notat a ſcriptoribus Dominic. Julianum alto ſilentio prætermiſſum.

VII. Franciſcus Eccleſiæ Hierapetrenſis Epiſcopus obiit probabiliter anno 1389. eo enim anno die 12. Novembris de ſucceſſore ejus actum eſt Venetiis in Comitiis Rogatorum.

VIII. Frater Joannes Quirino Venetus Ordinis Minorum poſtulatus fuit ad Epiſcopatum Hierapetrenſem per obitum Franciſci Epiſcopi vacantem. S. C. pro ipſius confirmatione obtinenda latum inter regeſta Ducalis Cancellariæ Venetiarum legitur.

MCCCLXXXIX. Die XII. Novembris. In Rogatis.

„ Cum Venerabilis vir Frater Johannes Quirino Ordinis „ Minorum Civis noſter ſit poſtulatus ad Epiſcopatum Ge„ rapetre Inſule Crete:

„ Vadit pars, quod poſſint ſcribi littere Dom. Pape, & „ Cardinalibus & aliis pro confirmatione ſua in illa forma, „ que videbitur Dominio.

Veriſimile eſt Joannem a Pontifice non multo poſt confirmatum fuiſſe, attamen Wadinghus in Annal. ſcribit Joannem Quirinum ad Eccleſiam Hierapetrenſem anno 1390. die 23. Decembris, a Bonifacio IX. fuiſſe promotum.

IX.

Digitized by Google

IX. Hippolitus Arivabenius Mantuanus anno 1542. die 21. Decembris a Paulo III. inſtitutus fuit Eccleſiæ Hierapetrenſis Epiſcopus, cujus quidem Sedis ſe Epiſcopum electum dicit in Italica epiſtola, quam die IV. Octobris anno MDXLVII. dedit Marco Mantuano Juris in Patavino Lyceo Profeſſori. Inter Patres Tridentini Concilii ſedit anno MDLXIII. ſub Pio IV. ut refert Labbeus in collectione Conciliorum.

Poſt hæc a Pio Papa V. Eccleſia Hierapetrenſis, quæ in Sithiæ territorio poſita erat, unita fuit ejusdem Sithiæ Epiſcopatui, anno 1571. hac tamen conditione ſtatuta, ut utriusque Eccleſiæ Præſul deinceps ex antiquiori titulo Hierapetrenſis Epiſcopus vocaretur. Nec tamen unica Hierapetrenſis Eccleſiæ nuncupatione uſi ſunt ſucceſſores Epiſcopi, quorum Sedes in civitate Sithiæ poſita erat, aliquando enim eos Sithienſes ſolum, aliquando Sithienſes & Hierapetrenſes appellatos invenimus.

X. Sophianus Epiſcopus Hierapetrenſis & Sithienſis ante annum 1593. debitum naturæ perſolvit, ſiquidem ex Clementis Papæ VIII. Apoſtolico diplomate dato die 31. Januarii anno 1593. habemus eo tempore Eccleſias Hierapetrenſem & Sithienſem per obitum D. Sophiani Epiſcopi Paſtoris ſolatio deſtitutas.

XI. Alexander a Turre anno 1593. die 31. Januarii Eccleſiis Hierapetrenſi, & Sithienſi invicem unitis præfectus fuit Epiſcopus, & Paſtor. Hoc ex ſuperius enuntiato Clementis VIII. diplomate addiſcimus, quod integrum in Eccleſ. Venet. Illuſtrat. legitur Tom. V. pag. 38. In eo hæc habentur: *Hodie* (pridie Kal. Februarii anno Incarn. Dominic. 1593.) *Hierapetrenſi & Sithienſi Eccleſias invicem unitis, quibus bone memorie Sophianus Epiſcopus Hierapetrenſis & Sithienſis, dum viveret, præſidebat, per obitum Dom. Sophiani Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum nature perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtitutis de perſona dilecti filii Alexandri electi Hierapetrenſis & Sithienſis nobis & fratribus*

tribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum de accepto Fratrum eorumdem conſilio per alias noſtras providimus præficiendo ipſum illis in Epiſcopum & Paſtorem.

XII. Georgius Minotto vocatus Epiſcopus Sithienſis electus anno 1634. die 21. Auguſti, de quo ſupra in Sithienſibus pag. 126.

XIII. Petrus unico Epiſcopi Sithienſis titulo inſignitus legitur in Urbani Papæ VIII. epiſtolis anno 1642. die 5. Julii *Petro Epiſcopo Sithienſi* datis, ut videre eſt in Eccl. Ven. Illuſtr. Tom. IV. pag. 160. Ipſum ſuperius enuntiavimus in Epiſcopis Sithienſibus pag. 126.

Civitates itaque, quæ in Creta Inſula ſeu remotiori ævo ſub Imperatoribus Romanis & Græcis, ſeu poſt ſæculum XII. ſub Dominio Venetorum Epiſcopali titulo decoratæ effulſerunt, ad eccleſiaſticam methodum a doctiſſimo Lequienio ſervatam illuſtravimus, ſicuti in ipſo operis exordio Cretenſes quascumque urbes eo ordine, quo eas laudatus Bondelmontius per Cycladas iter agens recenſuit, notavimus, univerſa autem ejusdem Inſulæ oppida deinde nominatim enuntiavimus Meurſium ſequuti, qui Alphabetico ordine ea ex præclariſſimis ſcriptoribus collecta diſtribuit. Adjecimus quoque & alia urbium nomina, quæ ſeu Dominicus Niger in ſuis Commentar. Geographic. de Creta differens expoſuit, ſeu Andreas Cornelius ſæpe citatus rerum Cretenſium Chronologus in ſui ms. Chronici Lib. I. aliam ab alia illuſtravit, quæ quidem omnia ex tot authoribus collecta oppida, centenarium, ut alibi diximus, numerum non æquant ſolum, ſed & multum ſuperant.

Reliquum modo mihi ſupereſſet, ut easdem Regni Cretenſis urbes concinnarem accuratiori uſus ratione, qua eruditiores Geographi, & præſertim Ptolemæus in ſuis tabulis appoſuerunt. Sed in gravi hoc labore me præventum, & quidem potiori lectorum utilitate, gaudeo: vir enim Clariſſimus Chriſtophorus Cellarius in *Notitia Orbis Antiqui*

qui, quam Geographiam pleniorem vocat, Tom. I. pag. 1025. Lipſienſ. edit. Cretam Inſulam ejusque civitates & loca, *ducem Ptolemæum*, ut ipſe fatetur, ſequutus accuratiſſime deſcripſit, primumque *oram maritimam* diſtribuit, *inde poſtea ad mediterranea* tranſitum fecit. Ipſum itaque adeat is, qui ſic diſtributas illuſtratasque noſſe cupit Cretenſes civitates.

CRE-

Digitized by Google

CRETAE SACRAE

PARS QUARTA.

HActenus de Cretæ Inſulæ Eccleſiis ſive Græcis, ſive Latinis pro viribus egi, eaque omnia in medium protuli ad utriusque ritus Epiſcopos ſpectantia, quæ licuit invenire, quæque ad emendationem & incrementum Orientis Chriſtiani a celeberrimo Lequienio deſcripti aliquo, qualecumque ſit, adjumento eſſe poſſint. Interea magnopere vereor, ne ſatis eruditorum expectationi fecerim, nec diffiteor mihimet Spartam hanc agredienti ſpem nimis facilem de largiori meſſe colligenda fuiſſe. Sed nec votis meis, nec laboribus, quibus in attenta ac ſollicita rerum omnium inveſtigatione minime peperci, reſpondit ſucceſſus. Quod autem mihi in primis accidit permoleſtum, illud fuit, quod recentiora nobisque proximiora ſæcula documentis pene omnibus in tantum deſtituta invenerim, ut vel Epiſcoporum nomina ipſa plane deeſſent. Ea tamen recreor cogitatione, quod deſectus hujus-

modi verti mihi vitio non poteſt, qui Venetas Bibliothecas (quas licuit) adivi omnes, & mss. privatorum undequaque conquiſivi; tum ipſos indigenas eruditos conſului. At documenta ferme omnia miſerandum in modum diſperierunt, cum tota Cretenſis Regio lacrymabili fato in Barbarorum manus devenit.

Huic rerum ſacrarum inopiæ, quam mihi moleſtam fuiſſe profiteor, ut aliquo pacto ſupplerem, placuit elenchum apponere Cretenſium Ducum, quo nomine viri illi clariſſimi veniunt, qui Venetæ Reipublicæ juſſu ac nomine, Cretæ Inſulæ præfuerunt, & id nominis ab exordiis ipſis Veneti in ea regione Dominii obtinuerunt.

Libenter enimvero accuratam Chronologicam ſeriem dediſſem ab antiquiſſimis temporibus deductam, quæ ejus Inſulæ Reges, aliave nuncupatione quacumque Dominatores edoceret. Sed altius aſſurgentibus adeo omnia tenebris fabulisque involuta, ac deformata occurrunt, ut hiſtoricos antiquiores, atque in primis Diodorum Siculum lib. V. Bibliothec. Hiſtor. Poema potius, quam Hiſtoriam exegiſſe profiteri poſſimus.

Itaque Diodorum Siculum citati libri num. LXIV. tum Joannem Meurſium in ſuo de Creta tractatu adeant, qui nomina & ſeriem rerum Cretenſium antiquarum, ſi minus fideliter, ſaltem abundantius cupiunt addiſcere. Apud hos authores catervam deorum ingentem invenient, quos priſci Cretenſes ortum in hac Inſula atque imperium habuiſſe, artesque mortalium vitæ opportunas monſtraſſe fabulabantur. *Plerosque* (ita Diodorus loco citato) *Deos apud ſe natos perhibent Cretenſes, qui beneficiis in totum genus mortalium ſempiternos honores promeruerunt. --- Primi ergo* (*quorum ſane memoria ad nos propagata eſt,*) *Cretæ incolæ ad Idam montem Idæi Dactyli fuerunt*, qui, (ut tradunt) *ignis uſum invenerunt ærisque ac ferri naturam* (hoc ex Sacræ Geneſis etiam teſtimonio reprobatur) *in Berecyntho Antiſapteræorum regionis monte indagarunt, ejusque conflandi rationem docuere, & quia*

inſi-

insignium generi humano commodorum authores habebantur, immortalibus ac Divinis honoribus remunerati sunt. Hanc fabularum originem venuste expressit Franciscus Petrarcha in suo Itinerario Syriaco dum Cretam recenset; Creta, *nunc possessio Venetorum, ut humana omnia volvuntur, olim Jovis regimen, superstitionum fere omnium fons atque principium.*

Igitur in hac Insula cusa sunt prima Poetarum deliramenta; & facinora Deorum iniquiora ibidem patrata dicuntur. Propterea Græcis scriptoribus commenta hujusmodi proferentibus nulla fides est adhibenda, nec id genus Ducibus in historia ac chronologia fidendum, præterquam quod passim dissident inter se, ut pronum est colligere ex Diodoro ipso, qui cum in enarrandis Deorum Heorumque, qui in Creta nati perhibentur, generatione & gestis, Scriptores rerum Creticarum adeo inter se varios discordesque reperisset, illos se authores secutum asserit *quibus & probabilior* erat *oratio, & fides maxima* habebatur. *Quandoquidem vero* (verba sunt Diodori lib. V. cap. LXXXI.) *Cretica rum rerum scriptores plerique omnes inter se dissentiunt, nemini mirum videri debet, si non omnibus consentanea hic a nobis exponantur. Illos enim secuti sumus, quibus & probabilior est oratio, & fides maxima habetur. Nunc enim Epimenidi Theologo, nunc Dosiadæ, & Sosicrati, ac Laostenidæ nos accommodamus.* Sed & in eadem rerum varietate & dissonantia laborat Meursius, præsertim in citati tractatus lib. III. ubi de Regnis & Republica varioque Cretæ statu agit, & primos Cretæ Reges memorat, Jovem scilicet omnium antiquissimum Cœli fratrem ex quo decem filii Curetes nuncupati prodierunt, Cretem ejus Jovis filium, qui patriam Insulam, antea ex Ideæ uxoris nomine a Jove Ideam nuncupatam, ipse ex proprio nomine Cretam appellavit, quemque aliqui filium Nembroth primogenitum dicunt, Melisseum, Ammonem, & Jovem hujus nominis secundum, gloria tamen plurimum primo superiorem.

Primos autem Reges cæterosque Insulæ accolas genus origi-

ginemque ſuam a *Meſtraim* Noemi ex filio *Cham* nepote duxiſſe ſcribit author Chronici Paſchalis, qui inter cæteros Meſtraim genitos, *Patroſonym enumerat ex quo Cretes*. Et *Mesraim* ſuperius enuntiati Nembrot ex fratre *Chus* Nepos, & *Phetruſim* ejus filius recenſentur in Sacra Geneſi cap. 10. his verbis: *At vero Mesraim genuit Ludim & Anamum & Laabim, & Neptuim & Phetruſim, & Cellium de quibus egreſſi ſunt Philiſtym, & Capturim*. Ex Phetruſim ſcribunt aliqui proceſſiſſe Pharuſios Lybiæ ſeu Æthiopiæ populos; alii vero Arabes Petræus, ut fuſe notat ad cap. citatum doctiſſimus Marianna. At ſuperius nominatum Chronicon Paſchale ex Phetruſim, quem Patroſonym nuncupat, prodiiſſe Cretes aſſerit, ut videre eſt in edit. Pariſienſi, ubi pag. 29. hæc habentur: *Ægyptiorum gentes* (Ægyptus enim ab Hebræis olim vocabatur Meſtraim) *cum Meſtraim horum parente ſunt octo ſic enim Scriptura: Et Meſtraim genuit Ludym.*

Ludim, ex quo Lydi.
Ænemetrin, ex quo Pamphyli.
Labim, ex quo Libyes.
Nephthalym, ex quo Phryges.
Patroſonym, ex quo Cretes.
Chaslonym, ex quo Lycii.
Phyliſtym, ex quo Mariandini.
Caphthorym, ex quo Cilices.

Non Jovem hujus nominis primum, ut ſcripſerunt citati authores, ſed Cretem ante omnes alios in Creta regnum habuiſſe, refert Georgius Monachus Syncellus in Chronographia Pariſienſis edit. pag. 125. *Eo tempore* (in quo Moyſes Hebraicum populum ex Ægypto elapſum deducebat) *regnavit Cres quidam indigena, quem etiam dicunt unum Curetum, a quibus Jupiter falſo Deus Græcis habitus, clam educatus eſt, & Cretes tyrannidem obtinuit. Ab hoc Crete Creta Inſula nomen accepit. Memoratos Curetas Cnoſſum urbem Cretæ conſtruxiſſe, & Cybelles matris fanum conſecraſſe narrant.* Congruunt optime hæc cum iis, quæ canit Virgilius Æneid. lib.

lib. III. ubi Teucrum unius ex Curetibus filium e Creta profectum tradit in Phrygia regnum Teucrorum, (qui poſtea a Troo Rege Troiani dicti ſunt) ædificaſſe, cultumque Cybellis matris inſtituiſſe. Ita igitur Æneam loquentem inducit.

„ Creta Jovis Magni medio jacet Inſula ponto,
„ Mons Idæus ibi, & gentis cunabula noſtræ
„ Centum urbes habitant magnas, uberrima Regna
„ Maximus unde Pater, ſi rite audita recordor
„ Teucrus Rhæteas primum eſt advectus ad oras
„ Optavitque locum Regno. Nondum Ilium & arces
„ Pergameæ ſteterant, habitabant vallibus imis
„ Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque aera
„ Idæumque nemus.

Quæ quidem Virgilii carmina commentis illuſtrans Servius de Teucro, & Cretenſi in Phrygiam deducta Colonia fuſe differit. Unde autem hi Curetes in Cretam venerint, qui & Corybantes appellantur, brevibus verbis exprimit Syncellus ejusdem Editionis pag. 150. *Curetes, Curetia, nunc Acarnania oriundi, alio nomine Corybantes vulgo dicti Cnoſſum incoluerunt, & armatorum hominum ad numerum compoſiti motus inventores exſtiterunt.* Secundum deinde a Crete Regem enuntiat Aſterium, quem ex Europa conjuge Minoem ſuſcepiſſe tradit, ipſiusque Regnum ad tempora Jolue primi in Iſrael-Judicis alligat. *Aſterius* (ita pag. 152.) *Cretenſibus imperat. Europæ Phœnicis filiæ fingitur Jupiter commixtus. Illius vero mors certior jam comperta erat, & ſepulcrum a Cretenſibus oſtendi ſolitum eandem confirmat. Europa certe Aſterii Cretenſium Regis uxor fuit, a qua filios tres ſuſcepit Minoem, Rhadamantum, & Sarpedonem, Jovis filios ſolis fabularum commentis habitos.* Inter Aſterium autem & Minoem ipſius filium duos alios Cretæ Reges, eosque temporibus Baruc Judicis & Deboræ Prophetiſſæ regnaſſe innuit pag. 157. *In Creta*, ait, *regnavit Lapis*, ac deinde. *In Creta regnavit Aſperas, qui & urbem conſtruxit.* Minoem poſtea

ſtea in Cretæ imperio collocat, cujus actis confuſe ſcribens interſerit Europæ raptum a Cretenſibus mercatoribus perpetratum, licet ipſam paulo antea dixiſſet ipſius Minois matrem. Hæc ſunt Syncelli verba pag. 158. *Minos Europæ filius Cretæ Rex deſignatur. Rhadamantus & Sarpedon Lyciorum Principes effecti.* Deinde addit pag. 162. *Europa Agenoris filia rapitur a Cretenſibus mercatoribus* (eo ſcilicet tempore, quo in Creta regnaſſe ſcripſit Minoem ejus filium) *ut ſcribit Herodotus. Taurus autem ad navis eorum inſigne pictus erat.* Proſequitur deinde author Minois geſta, & brutale Paſiphaes uxoris ejus adulterium ex fabulis enarrare, quod tamen ad hiſtoriæ formam ex Philocoro antiquo ſcriptore deducit, ſic enim ait pag. 163. *Minos maris Principatum obtinuit, deportatisque ex antro nono quoque anno legibus, jus, quaſi a Jove ad hoc munus inſtitutus, dicebat, quod tamen reprehenditur a Platone libro de legibus.* Et paulo poſt.

Sequuntur quæ ad Minotaurum attinet; de quibus fabulæ frequentius perſonant: ut ex Tauro animante, & Paſiphae fœmina ſemiferus homo feraque ſimul eſt natus, qui pueros ab Athenienſibus tributi onere penſos devorabat. Ipſi vero Cnoſſii Ducem ſub Minoe promerentem Taurum nomine moribus ferum & immitem ferunt. Porro certamine in Androgei memoriam ab Athenienſibus occiſi a Minoe inſtituto, quo pueros Atticos in præmium victoribus dividebat, cum Taurus viribus præſtaret, cunctorum facile ſuperior evadebat. Conſertis autem cum Theſeo manibus devictus eſt, quocirca pueri Atticorum liberati; ac urbs Athenarum impoſito tributo facta immunis: ita Philocorus ſcripto reliquit rerum Atticarum libro ſecundo. Clariorem obſcuriſſimis his rebus lucem affert Joannes Malala, ut mox videbimus; dum de Minoe, & Minotauro iterum ſermo erit.

Diverſam ex Cretenſium traditione, qui, uti diximus, *plerosque Deos apud ſe natos perhibent*, Regum ſeriem texit & digerit Diodorus lib. V. ubi de Creta diſſerit: Idæos enim Dactylos, & deinde Curetes ſtatuit Cretæ habitatores, quorum unus Uranus ſeu Cœlum nomine, ſex filios & quinque

filias

filias ex conjuge ſuſcepit, eorumque *unusquisque quædam hominibus utilia invenit, & pro meritis apud universos mortales*, ita Diodorus, *immortalem honorem & gloriam adeptus est*. Uranum hunc *in Oceano mortuum, & in oppido Aulatia ſepultum* fuiſſe tradit Euhemerus a Lactantio Firmiano citatus lib. I. Inſtitutionum Divinarum cap. XI. Cretæ Regnum poſt Urani obitum ſuſcepit *Saturnus* ejus filius, ut refert Diodorus *natu maximus*, de quo tradunt fabulæ, quod Cœlo Patri virilia falce amputaverit, ipſamque falcem deinde in mare projecerit juxta locum, ubi deinde Drepanum civitas ædificata fuit.

Ennius non Saturnum, ſed Titanem Urani primogenitum aſſerit, cujus hæc ſunt verba a Lactantio citata. "Initio primus in terris imperium ſummum Uranus habuit, „ is id regnum una cum fratribus ſuis inſtituit atque paravit..... Exin Saturnus uxorem duxit Opem. Titan „ qui major natu erat, poſtulat, ut ipſe regnaret. Ibi Veſta mater eorum, & ſorores Ceres atque Ops ſuadent „ Saturno, ut de regno non concedat fratri. Ibi Titan, „ qui facile deterior eſſet, quam Saturnus; idcirco, & quod „ videbat matrem atque ſorores ſuas operam dare, ut Saturnus regnaret, conceſſit, ut is regnaret. Itaque pactus „ eſt cum Saturno, uti ſi quid liberum virilis ſexus ei natum eſſet, ne educaret; id ejus rei cauſa fecit, uti ad „ ſuos gnatos regnum rediret. Tum Saturno filius qui primus „ natus eſt, eum necaverunt. Deinde poſterius nati ſunt „ gemini Jupiter, atque Juno. Tum Junonem Saturno in „ conſpectu dedere; atque Jovem clam abſcondunt, dant- „ que eum Veſtæ educandum, celantes Saturnum. Item „ Neptunum clam Saturno Ops parit, eumque clanculum „ abſcondit; ad eundem modum tertio partu Ops parit geminos Plutonem & Glaucam. Ibi Glaucam filiam Saturno oſtendunt, ac filium Plutonem celant..... Deinde „ Titan, poſtquam reſcivit Saturno filios procreatos, atque „ educatos eſſe clam: ſeducit ſecum filios ſuos, qui Titani

„ ni vocantur: fratremque ſuum Saturnum atque Opem com-
„ prehendit, eosque muro circumegit, & cuſtodiam his ap-
„ ponit..... *Jupiter autem cum adoleviſſet*, & audiviſſet pa-
„ trem atque matrem cuſtodiis circumſeptos, atque in vin-
„ cula conjectos, *venit* cum magna Cretenſium multitudi-
„ ne, Titanemque ac filios ejus pugnando *vicit*, parentes
„ vinculis *exemit*, patri Regnum *reddidit*, atque ita in Cre-
„ tam *remeavit*. Poſt hæc deinde Saturno *data eſt ſors*, ut
„ caveret, ne filius eum regno expelleret, *quapropter* effu-
„ giendi periculi gratia inſidiatur Jovi, ut eum necaret,
„ *Jupiter autem* cognitis inſidiis regnum ſibi denuo *vindi-*
„ *cavit*, *ac fugavit* Saturnum, qui cum jactatus eſſet per
„ omnes terras perſequentibus armatis, quos ad eum com-
„ prehendendum vel necandum Jupiter miſerat, vix in Ita-
„ lia locum, in quo lateret, invenit". Diu itaque cum
pererraſſet expulſus Regno Saturnus tandem navi vectus in
Italiam venit, ubi a Jano Italiæ Rege hoſpitio exceptus
rudes hominum mores compoſuit, leges ad humanam ſo-
cietatem dedit, locumque ubi primum appulit, Latium
nuncupari curavit, eo quia ibidem a perſequentis filii fu-
rore ſecurus latuiſſet.

Diverſimode enutriti Jovis, expulſique Saturni enarratio-
nem effert ex fabulis Servius in comment. ad Æneid. Virgilii lib. III. ſcribit enim, Saturnum ex Rhea ſorore, quæ
& Ops ſeu Terra dicitur, quamque ſibi matrimonio copu-
laverat, ſuſcepiſſe ſex filios, & quinque filias, quum vero
ab oraculo Themidis comperiſſet, *a filio ſe poſſe regno de-*
pelli, *natos filios devorabat*. Rhea autem mater cum Jovem
peperiſſet, *ejus pulcritudine delectata Nymphis commendavit*
in monte Cretæ Dictæo, *ubi eum aluerunt apes*. Porro apes Jovis nutrices memorat Virgilius Georg. lib. IV.

„ Nunc age, naturas apibus, quas Jupiter ipſe
„ Addidit, expediam, pro qua mercede canoros
„ Curetum ſonitus, crepitantiaque æra ſecutæ
„ Dictæo Cœli Regem pavere ſub antro.

Quæ

Quæ autem fuerint hæ Nymphæ, quibus Jupiter traditus fuit enutriendus, docet Didymus antiquiſſimus ſcriptor a Lactantio Firmiano, atque a Meurſio citatus, ex cujus teſtimonio addiſcimus Amalthæam, & Meliſſam Meliſſei Cretæ Regis filias Jovem puerum lacte caprino & melle nutriviſſe, unde Amaltheæ capræ, & apum Jovem nutrientium fabulæ prodierunt. Igitur ſi Didymo fides, uno eodemque tempore in Creta imperabant (fortaſſe in variis Inſulæ partibus) Saturnus Jovis pater, & Meliſſeus, quem ſuperius memoravimus Tom. I. pag. 21. & de quo tradit idem Didymus, quod *primus Diis ſacrificaverit, ac ritus novos, ſacrorumque pompas introduxerit.*

Involutum autem *lapidem* (ſequitur citatus Servius) Rhea *Saturno glutiendum dedit, quem cum Saturnus, fraude cognita, vehementius quæreret, ei adhibiti ſunt Curetes & Corybantes, qui tinnitu æris, ideſt luſus excogitato genere, ut cum clypeis æreis inter ſe currerent, prohiberent audiri pueri vagitum, unde ipſi ſunt Matris Deum miniſtri, ſed nonnulli eosdem Curetes & Corybantes dicunt.* Huic fabulæ alludens Virgilius ſuperius allatum carmen de Teucro Cretenſi dedit.

„ Hinc mater cultrix Cybele Corybantiaque æra.

Jupiter ergo fruſtra a patre quæſitus ad necem, cum adoleviſſet, ipſum Saturnum regno expulit, quem ad Janum Italiæ Regem migraſſe narrat Servius ad lib. VIII. Æneidos. *De Jovis autem ortu regnoque* ſententias diſcrepare refert Diodorus Siculus lib. V. cap. LXX. afferens, quod *nonnulli hunc poſt Saturni a mortalibus ad Deos tranſitum in regno ſucceſſiſſe tradunt, non per vim dejecto patre, ſed legitime ac juſte ad id honoris evectum;* alii vero narrant a Saturno Jovem quæſitum fuiſſe ad necem, ſed Rheæ matris amore, ut jam diximus ſervatum, nutritumque in Ida monte adoleviſſe, indeque adoleſcentia egreſſum *ad Dictam, in qua genitus dicitur, primus urbem condidit.* Jovis hujus, qui *plurimis vitam humanam commodis iisque maximis adfecit*, Deorum quidem, ut tradunt fabulæ, omnium maximi tum geſta, tum filios,

Deos partim partimque Heroas recenſet libri citati num. 71. Diodorus, ac deinde cæteros pergit ex fabulis illuſtrare Deos, quorum natalibus atque adeo turpioribus vitiis obcœcati Cretenſes per ſummam impudentiam gloriabantur. Hanc tamen licet inanem fallacemque gloriam Cretenſibus adimere conantur aliarum regionum populi, ſiquidem *Atlantii Oceani accolæ Deos apud ſe natos eſſe gloriantur, & primum ſibi Regem fuiſſe Uranum ideſt Cœlum perhibent*, ex quo copioſa deinceps Deorum familia originem duxit, ut fuſe narrat Diodorus lib. III. qui deliramenta hujusmodi non multum a Græcorum fabulis diſſona teſtatur. In excerptis autem Chronologicis, quæ Joannis Malalæ Chronographiæ præfixa leguntur, Saturnum Cœli & Veneris filium in Syria, Perſide, multisque late per Orientem regionibus imperaſſe narratur. *Huic uxor fuit Semiramis ex qua Jovem genuit & Junonem, quam etiam frater ejus Picus, qui & Jupiter dictus eſt, in uxorem duxit.*

Omnium autem ſapientiſſime Lactantius Firmianus, (ex cujus libro Inſtitutionum Divinarum nonnulla Ennii fragmenta ſuperius attulimus,) ſuperſtitioſas Græcorum fabulas, utpote impias Idololatriæ genitrices carpens irridensque, Cretici Jovis genus & facinora expoſuit, geſtis ipſius turpiſſimis oſtendens *quemdam colorem* a Poetis additum fuiſſe, quo decepti homines coluerunt, quod neſciebant. Ex laudatiſſimi hujus ſcriptoris relatione etiam addiſcimus, Euhemerum jam ſuperius enuntiatum antiquiſſimum ſcriptorem, *qui fuit ex civitate Meſſana, res geſtas Jovis, & cæterorum, qui Dii putantur*, collegiſſe, *hiſtoriamque* contexuiſſe *ex titulis, & inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſſimis templis habebantur, maximeque in fano Jovis Tripbylii, ubi auream columnam poſitam eſſe ab ipſo Jove, titulus indicabat: in qua columna geſta ſua præſcripſit, ut monimentum eſſet poſteris rerum ſuarum; quam* Euhemeri *hiſtoriam interpretatus eſt* (ſæpe alibi citatus) *Ennius & ſecutus. Tempora* autem, *per quæ fuerunt* Saturnus, Jupiter, aliique *quorum memoria colitur* ab inſana Ethnicorum

rum religione, colligit laudatus Lactantius lib. I. cap. XXIII. ex Theophili *lib. de temporibus ad Autolycum ſcripto*, in quo aſſeritur: *in hiſtoria ſua Thalum* dixiſſe, *quod Belus quem Babylonii & Aſſirii coluns, antiquior Troiano bello fuiſſe inveniſur* 322. *annis : Belum autem Saturno æqualem fuiſſe, & utrumque uno tempore adoleviſſe*. Quum igitur bellum Troianum, capta Troiæ civitate, abſolutum fuerit, (ut notat ex Eratoſthene, & Dionyſio Halicarnaſſeo Petavius in Rationario temporum) anno Periodi Julianæ 3530. mundi ſcilicet 2800. ante æram Chriſtianam 1184. conſequens eſt, ut tempora Saturni ad annum periodi Julianæ 3208. a creatione mundi ſcilicet 2478. circiter alligentur, ideoque Saturni ætas Chriſtianam æram præceſſit annis 1506. Quod ſi juxta marmora Arundelliana excidium Troiæ contigiſſe dicatur anno Periodi Julianæ circiter 3505. orbis creati ſcilicet 2775. tunc Saturni pariter & Beli regna alliganda erunt ad annum periodi Julianæ 3183. qui eſt orbis conditi annus 2453. & vulgarem æram præcedet annis 1531.

Plura de Saturno, Jove, & aliis obcœcatæ Gentilitatis Numinibus affert tum ſuperius laudatus eloquentiſſimus Lactantius, tum Arnobius in libris Diſputationum adverſus Gentes, aliique tam eccleſiaſtici, quam prophani ſcriptores, quæ ſi levi quamvis calamo attingere velimus, nimis ab inſtituto brevitatis propoſito diſceſſiſſe argueremur. Hæc itaque de primis Cretenſium prolatis Regibus dicta ſufficiant, quæ eruditorum mentes vexant potius, quam illuſtrent.

Jovi in Cretæ Regno ſucceſſores enuntiat ex Græcis authoribus Meurſius libri citati cap. II. Cecropem, Cydonem, Apterum, Lapetem, Teutamum, Aſterium, & Minoam hujus nominis primum, quem Jovis ex Europa filium eſſe Poetæ fabulantur. Quoniam vero Europæ non ſemel mentio facta eſt, libet hic afferre, quæ de Europa Tauri Regis Cretæ uxore, Minoisque Regis genitrice refert Author Chronici Paſchalis edit. Pariſient.

„ Taurus deinde Cretæ Rex in urbem Tyrum irruptionem

„ fecit, commiſſoque navali prælio hanc ſub veſperum expu-
„ gnavit, eaque caſtigata magnam captivorum copiam abdu-
„ xit, quos inter extitit Europa Regis Agenoris filia. Age-
„ nor vero cum filiis in regni limitibus bellum gerebat: quod
„ ubi Taurus accepit, repentino incurſu per mare regionem
„ invaſit, cujus quidem veſperi memoriam Tyrii hodieque ce-
„ lebrant dicentes: Et ibi ſero ſapit.

„ Taurus Europam in patriam abduxit, eamque ſibi con-
„ jugio ſociavit, cum virgo eſſet, & admodum formoſa, vo-
„ cavitque regiones illas de illius nomine Europæas. Ex hac
„ ſuſcepit Minoem, quemadmodum ſcripſit doctiſſimus Poeta
„ Euripides, cum ait: Jupiter in Taurum transformatus Eu-
„ ropam rapuit.

„ Condidit vero in ipſa Inſula urbem magnam, quam de
„ matris Pici Jovis neptis nomine Gortynam nuncupavit. Ur-
„ bis vero fortunam Callinicen appellavit, de virginis a ſe hic
„ immolatæ nomine.

Minois hujuſce, juxta Meurſii authoritatem, filius & ſucceſſor fuit Licaſto ex Itana Lyctii filia ſuſceptus, qui poſt obitum patris *regnum adeptus*, ut ex Diodori l. IV. habemus, *ducta uxore Corybantis filia Ida ex ea ſuſtulit Minoem ſecundum: quem nonnulli Jovis filium eſſe tradunt*. Ab hoc Rege Lycaſto ædificatam fuiſſe Lycaſtum civitatem in Creta innuit Stephanus Byz. lib. de Urbibus: *Lycaſtus urbs Cretæ a Lycaſto indigena*. Apertius tamen Euſtathius ad Iliadem. *Lycaſtus autem a Lycaſto, ut ajunt, indigena, aut Minois filio dicta*.

Poſt Lycaſti igitur obitum Regnum capeſſivit ejus filius Minoes hujus nominis ſecundus, de cujus genitoribus tanta, ut ſuperius vidimus, diſſenſio eſt apud antiquos ſcriptores; qui cum bella feliciter adverſus Athenienſes primum, mox contra Megarenſes egiſſet, maris Imperium obtinuit; quum vero pro inſequendo Dedalo arma contra Cocalum Siciliæ Regem vertiſſet, ab ipſius Cocali filiabus nimio caloris æſtu in balneis interficitur.

Mi-

Minoem hunc ſecundum appoſuit in ſucceſſione Regum Cretenſium etiam Petavius Tom. III. Rationarii Temporum, ubi alium ex alio enuntiat Minoem, Lycaſtum, Minoem II. Deucalionem, & Idomeneum, cæterosque prætermittit, cum eorum *non explorata* eſſe *tempora* aſſerat.

Minois hujus inter heroes celeberrimi prudentiam in legibus ferendis, bella quoque & obitum recenſuit Diodorus Siculus lib. V. cap. LXXIX. additque deinde in fabulis perhiberi *Inferorum judicem deſignatum eſſe, quod ſancte regnarit, & juſtitiæ in primis curam geſſerit*, cujus proinde viri juſtitiæ ſtudium, laudatamque vitam effert, ut ipſum a graviſſima impietate tentati in Britomartim Virginem ſtupri defendat. Ex Diodoro igitur, aliisque & hiſtoricis & poetis, Minois hujuſce nominis ſecundi Cretenſium Regis bella, geſta & ædificia, tum illatam ei in Sicilia a Cocali Regis filiabus mortem, delatumque ipſi ob egregiam juſtitiam in vita functos judicii poteſtatem erudite collegit, fuſeque retulit in ſuo de Creta tractatu ſæpelaudatus Meurſius, qui Deucalionem & Catreum fratres ejusdem Minois II. ex Paſiphae uxore filios deinceps in paterno Regno ſucceſſiſſe ſcribit, Diodori Siculi authoritate fultus, in cujus Hiſtoriarum libro hæc habentur: *Deucalion, qui cæteros Minois filios ætate ſuperabat, Cretæ Principatum tenens devinctis ſocietatis fœdere Athenienſibus Phœdram ſororem germanam Theſeo nuptum dedit*. Quum autem Athenas poſt hæc ſe contuliſſet Deucalion, ibidem ſupremum diem obiit, & non longe a Templo Jovis Olympii, quod ipſe extruxerat, ſepultus fuit. Ita refert Pauſanias, in Atticis: *Olympii vero Jovis Templum vetus Deucalionem ſtruxiſſe ferunt; ſignum oſtendentes, habitaſſe olim Athenis Deucalionem, ſepulcrum ejus non longe a Templo, quod nunc extat*. Ad antiquiorem autem Deucalionem Pirrhæ maritum referendam eſſe veteris Templi ædificationem docet Strabo lib. IX. *Cyni vero, habitaſſe Deucalionem ferunt, & Pirrhæ ibidem ſepulcrum oſtenditur, ſed Deucalionis Athenis*. Diverſa omnino de morte & loco mortis hujuſce

Deu-

Digitized by Google

Deucalionis Cretenſium Regis tradit Plutarchus in Theſeo; ſcribit enim quod Theſeus *Cnoſſum accedens, & in porta Labyrinthi conſerta manu, Deucalionem & Satellites interficis*. Utcumque res ſe habuerit; Deucalioni ſucceſſit Catreus ejus frater, juxta Diodorum, qui Hiſtor. lib. V. refert Catreum ab Althamene filio ipſum ignorante occiſum fuiſſe.

Nullam antiquis hiſce ſcriptoribus fidem adhibens Joannes Malala Antiochenus, diſſona omnino, & quidem Hiſtorico calamo digniora de Minois Regis ortu, & geſtis, deque ipſius in regno ſucceſſoribus ſcripſit, atque a vaniſſimis poetarum fabulis abhorrens res ipſas, ut *a vetuſtiſſimis & ſapientiſſimis Chronologis* Theophilo, Cephalione, & aliis hauſit, in ſua Chronographia vulgavit. Hæc itaque affert lib. IV. citatæ Chronographiæ in Tomo XXIII. Hiſtoriæ Byzantinæ editionis Venetæ pag. 35. " Supradictis autem temporibus (*Sampſonis videlicet Judicis in Iſrael*) ad Cretam primus regnavit Minos Europæ filius, qui cum mari dominatus eſſet, Athenienſibus bellum intulit, legesque illis impoſuit. Hujus vero ſapientiſſimus Plato meminit in libris ejus de Legibus. Circa eadem tempora celebres fuerunt Dædalus & Icarus ob Paſiphaen Minois Regis uxorem, Taurumque ſcribam ejus, quocum rem habuit Paſiphae, filiumque ex eo Minotaurum peperit, adulterii conſciis, atque illud etiam promoventibus Dædalo & Icaro. Rex vero Minos uxorem ſuam in cubiculo una cum duabus ancillis victu neceſſario adhibito includi juſſit .... & ſic vitam finivit. Dædalus autem & Icarus deinde perierunt, hic quidem rupto carcere inter navigandum, mari demerſus eſt, Dædalus vero gladio occiſus ..... & paulo poſt Temporibus (*Heli ſacerdotis & Judicis Hebræorum*) mortuus eſt Androgeus Minois Cretæ Regis ex Paſiphae filius; mortuus eſt etiam Minoes ipſe, qui moriturus ſucceſſorem ſibi in regno conſtituit Minotaurum. Poſt Minoem itaque mortuum Cretæ regnum tenuit Minotaurus Paſiphaes

„ phaes ex Tauro Notario ſuo filius. Verum regni primo-
„ res probro ſibi ducentes, ſi ex adulterio natum regem
„ haberent, in eum conſpirarunt, Theſeumque Ægei Theſ-
„ ſaliæ Regis filium virum ſtrenuum adhortati ſunt pro-
„ mittentes ſe Minotaurum regionemque totam prodituros,
„ & Ariadnam ſororem ejus Minois Regis ex Paſiphae fi-
„ liam in uxorem illi daturos. Suſceperat enim ex Paſiphae
„ Rex Minos Androgeum & Ariadnam. Statim itaque The-
„ ſeus in Cretam adverſus Minotaurum proficiſcitur. Pro-
„ ceres autem cum exercitu toto ſimulata fuga Minotau-
„ rum, urbemque Gortynam deſeruerunt. Minotaurus ve-
„ ro proditionem ſentiens, & ipſe fugit in Labyrinthum
„ regionem, ubi cum ad montem perveniſſet, ſpeluncam
„ quamdam ſubintrans delituit. Theſeus autem eum in-
„ ſecutus, & a quodam edoctus ubi latitavit, e latebris
„ extractum ſtatim interfecit. Victor itaque in urbem Gor-
„ tynam reverſus triumphum de Minotauro egit". Hæc ex Græco Hiſtorico proferimus, qui deinde narrare pergit, Theſeum ſibi delatum Cretæ Regnum deſpexiſſe, ut Theſſaliæ ſceptrum poſt Ægei patris obitum caperet.

Minoi Rhadamantum fratrem ſucceſſiſſe tradunt aliqui, alii vero Taurum ſeu Minotaurum, ut dictum eſt, poſt Minois necem regnaſſe volunt: at Diodorus, qui (ut ſuperius ex Meurſio retulimus) res Creticas præ cæteris ſcriptoribus fuſiori calamo proſequutus Deucalionem, refert, Minois Regis natu maximum Cretenſis Inſulæ imperium ſuſcepiſſe. Athenas deinde *relicto regno*, *proximoque fratri* (ſuit is Crateus Minois natu minor filius) *tradito* ſe ſe contuliſſe, atque ſedem illic fixiſſe ſcribit Meurſius eo argumento potiſſimum ductus, quod Athenis Olympii Jovis templum vetus condidiſſe memoretur. Pauſaniæ fragmentum a Meurſio allatum de Jovis Templo a Deucalione Athenis ædificato, deque ipſius Deucalionis ſepulcro non longe a Templi Muris poſito ſuperius dedimus pag. 197. Plutarchus vero,

vero, ut notat idem Meurſius, Theſeum afferit in urbe Cnoſſo & in porta Labyrinthi Deucalioni & ſatellitibus ejus necem intuliſſe. Regnum Cretæ deinde, quamvis ex Deucalione nati eſſent filii Idomeneus & Creta, ſuſcepit Catreus ejus frater, qui Catream urbem ex ſuo nomine in Creta ædificari mandavit. *Catreo vero*, ita Apollodorus lib. III. *oraculum percontanti qualem ipſe finem vitæ habiturus eſſet reſponſum fuit, ab uno filiorum interfectum iri. Quod cum ſtudio celaret, & Althæmenes (ejus filius) reſciſceret, veritus, ne parricida ipſe fieret, Cretam linquens cum ſorore Apemoſyna, locum quemdam Rhodi appellit, quo poſitus hunc Creteniam nominavit.* Catreus vero cum ſenio gravatus Regni curas in Althæmenem filium deducere optaret, Rhodum profectus, & in deſerto quodam loco cum navi appulſus, ab incolis Duce Althæmene occiſus fuit. Apollodorus & Diodorus fuſe rem narrant, compendioſe autem Stephanus Byz. his verbis. *Cretenia locus Rhodi, in quo habitabat Althæmenes, qui oraculo accepto patrem ſe interfecturum, ultro in exilium ivit, inde noctu navi in Inſula Rhodo occurrens, & prædones arbitratus, patrem occidit.* Regnum poſt Catrei necem, (Althæmene quoque, ut ait Apollodorus, terræ hiatu abſorpto) ad Idomeneum Deucalionis filium devenit, cui conſortem in Regno addunt Dictys aliique Scriptores Merionem Minois ex Molo ſpurio filio nepotem virum, ut teſtatur Themiſtius, ſagittandi arte peritiſſimum. Hos Cretæ Reges Agamemnoni ad bellum Trojanum profecto ſuppetias cum octoginta navibus tuliſſe, refert Homerus, idque concordes aſſerunt Diodorus lib. V. aliique a Meurſio citati. Diverſas deinde exponit idem Meurſius Græcorum Scriptorum circa obitum Idomenei ſententias, alii enim, ſcilicet Strabo & Diodorus, teſtimonium Homeri adducentes Idomeneum & Merionem, ajunt, expugnata Troja in Cretam incolumes rediiſſe, atque illic defunctos *illuſtrem ſepulturam & Divinos quoque honores conſecutos. Quin eorum monumentum* (ita Diodorus lib. V.) *Cnoſſi oſtendunt cum inſcriptione tali.*

Cnoſii

Cnoſii Idomenei ſepulcrum vide: ſed & ego
Prope jaceo Meriones Moli filius.

His velut heroibus illuſtribus, ſequitur Diodorus, *a Cretenſibus honores eximii habentur, nam & ſacra illis faciunt, & in bellis, in periculis conſtituti opem eorum implorant.*

At contra plerique Idomeneum e patrio Regno pulſum ſcribunt, atque in Italia Salentum urbem condidiſſe. Expulſionis hujus mentionem agit Virgilius Æneid. III. his carminibus:

„ Fama volat, pulſum regnis ceſſiſſe paternis
„ Idomenea Ducem, deſertaque litora Cretæ
„ Hoſte vacare domos, ſedesque adſtare relictas.

Porro Virgilii carmina exponens Servius expulſi Idomenei hiſtoriam ſic enarrat: *Idomeneus de ſemine Deucalionis natus, Cretenſium Rex cum poſt everſam Trojam reverteretur, in tempeſtate devovit Diis*, (Neptuno aſſerunt alii ſcriptores) *ſacrificaturum ſe de re, quæ ei primo occurriſſet. Contigit autem ut filius ejus primus occurreret, quem cum, ut alii dicunt, immolaſſet, ut alii, immolare voluiſſet, & poſt orta eſſet peſtilentia, a civibus pulſus Regno, Salentinum Calabriæ promontorium tenuit, juxta quod condidit civitatem, unde eſt: Et Sallentinos obſedit milite campos, Lyctius Idomeneus.* Temerarium Idomenei votum, (cujus meminit Ludovicus Arioſtus lib. XX. Poematis Orlandi Fur.) Salentumque urbem in finibus Calabriæ ædificatam diſerte deſcribit lib. V. aurei ſui Telemaci Franciſcus de Salignac Clariſs. Archiepiſcopus Cameracenſis, ubi & leges exponit ad naſcentis urbis poetice, ſed ad communem Regnorum utilitatem politice utiles & opportunas.

Aliam tamen hujusmodi expulſionis cauſam affert ex Joanne Tzetze aliisque antiquis ſcriptoribus ſupralaudatus Meurſius, ex quorum authoritate addiſcimus Idomeneum ad Trojanum bellum proficiſcentem Leuco Tali Cretenſis filio Regni adminiſtrationem demandaſſe, promiſſa, ſimul ac reverſus foret, ei in uxorem filia Cliſithera. Verum perfidus ho-

mo Nauplii ſollicitatione impulſus, ut Regnum Idomenei occuparet, benemeriti Regis uxorem Medam filiamque Cliſitheram in templo jugulavit, Iphictum vero & Leucum filios occidit, eoque ſcelere Inſulæ imperium occupavit. Scribit quidem Scholiaſtes, Idomeneum Troja reverſum ſupplicium de Leuco perduelle erutis ei oculis ſumpſiſſe; verum Dydimus Euſtathius & alii a Meurſio citati Idomeneum Creta pulſum decem prius Inſulæ urbes (ut alibi dictum eſt) diruiſſe, quas tamen non ab Idomeneo, ſed a Leuco everſas ſcribit Strabo. *Vide hic* (exclamat Meurſius,) *diſſenſum autorum, quem componere non eſt facile.* Criticam hanc admirationem, quam eruditiſſimus ſcriptor ad varie relatam urbium everſionem apponit, ad univerſa de priſcis Cretæ Regibus nunc usque allata, quorum plurima inter ſe varia & diſſona apparent, extendi poſſe non dubito.

Utcumque autem de obitu, vel fuga Idomenei res ſe ſe habuerit, cum in ipſo atque in Merione regia Minois progenies defeciſſet, Cretenſes Reipublicæ formam in Inſula conſtitutam optimis adeo legibus firmiſſime ſtatuerunt, ut præſtantiſſimos Græcorum, & in primis Spartanos ad ſui exemplum excitarent. Ita Strabo lib. X. *De Creta in confeſſo hoc eſt, priſcis eam temporibus legibus optimis fuiſſe compoſitam, ideoque ad ſui imitationem pertraxiſſe Græcorum præſtantiſſimos, inque primis Lacedæmonios, quod & Plato in Legibus docet, & Ephorus in deſcriptione Rerumpublicarum Europæ. Poſtea temporis in deterius abiit admodum poſt tyrannos,* (corrigit corruptum Strabonis locum Meurſius ponens poſt *Thirrenos*) *etenim, qui maxime infeſtum noſtrum mare habuerunt, Cretenſes in latrocinia ſucceſſerunt. Eos deinde Cilices oppreſſerunt, Romani autem univerſos deleverunt, bello captis cum Creta etiam Cilicum Caſtellis piraticis.* Quomodo autem has leges diſcerent viri Cretenſes docet Cl. Ælianus Sophiſta in Varia Hiſtoria Lib. II. cap. XXXIX. ubi, *Cretenſes*, ait, *juſſerunt liberos ſuos cum quodam concentu leges perdiſcere, ut ex muſica oblectarentur, & ita facilius eas memoria complecterentur,*

rentur, & ne, ſi quid vetiti admiſiſſent, per ignorantiam ſe feciſſe poſſent excuſare. Secundum quod eis diſcendum proponebant, erat ut hymnos Deorum diſcerent. Tertium, fortium virorum encomia. Quod autem Lacedæmoniorum leges ex Cretenſium Republica potiſſimum ſumptæ fuerint, non ſolum ſupracitati a Strabone, Plato & Ephorus, ſed etiam Pauſanias in Laconicis, & Ariſtoteles in Politic. cujus hæc ſunt verba: *Videtur enim & dicitur Laconica in plerisque imitata Cretenſium Rempublicam.* Nec leges ſolum, ſed & ſuperſtitiones conſuetudinesque Cretenſium adoptarunt Lacones, qui, ut erudite notat Jacobus Perizonius in notis ad variam hiſt. Æliani, *eorum, pene dixerim, diſcipuli ſolebant ante pugnam ſacra facere Amori;* quod *ex ſententia Cretenſium* eſſe, docet Ælianus citatæ hiſtor. lib. III. cap. IX. *Amoris vero Myſtæ pugnantes & Martis impetu, & Amoris ardore duplicem ſuſtinentes cultum non mirum, ex ſententia Cretenſium, ſi dupliciter quoque bene rem gerant.* Idem & Athenæus lib. III. refert citatus a Perizonio: *Lacedæmonii antequam acies inſtruant, Amori prius ſacra faciunt, quippe quum in mutua eorum, qui juxta ſe invicem locantur, benevolentia ſita ſit ſalus & victoria. Sed & Cretenſes in acie ordinanda pulcherrimos civium ornant, ac per eos ſacra faciant Amori, ut tradit Soſicrates. Quin tota,* addit deinde Perizonius, *Reſpublica Cretenſium, ac puerorum educatio apud eos, bellum ſpectabat & arma. Eam in rem Cretenſes invenerunt primi Pæanas, & vehementiſſimos Rythmos, qui inde Cretici dicuntur.* Sed de his jam ſatis. Pergit deinde Strabo Cnoſſi & Gortynæ civitatum potentiam enarrare, *quæ utique civitates, dum conſentirent, reliquas urbes omnes ſub ſe habuerunt; diſcordantes diſſenſionibus totam exagitaverunt Inſulam, utri autem parti Cydonia accederet, maximum adferebat momentum.* Cnoſſios Gortyniosque *inito inter ſe fœdere omnem Inſulam ſubjugaſſe* narrat Polybius Hiſtor. lib. IV. ubi Cretenſis Inſulæ, quæ *tota in motu erat*, ſtatum & civilia bella accurate deſcribit. *Præcipua* autem Reipublicæ Cretenſium, *quam Ephorus deſcripſit*, percurrit Strabo loco ci-

tato, ubi ſapientiſſime notat *diſcordiam* in Republica *aut ob avaritiam*, *aut ob luxum* oriri, *nam ſi ſobrie omnes ac frugaliter vivant*, *neque invidentia*, *neque odium*, *neque injuria & contumelia inter æquales oritur*. *Dignam* itaque *deſcriptione Cretenſium Rempublicam* duxiſſe ſe fatetur Strabo, *cum quia ſingularis eſt*, *tum ob gloriam*. Laudes a Strabone in Cretenſium Rempublicam collatas evertit omnino, & deſtruit Polybius lib. VI. qui *Cretenſem Rempublicam nec laude commendabilem*, *nec æmulandam eſſe* judicavit, cum enim (arguit Politicus Hiſtoricus) *cujusvis Reipublicæ duo* ſint *principia*, *propter quæ tam potentiam*, *quam ſtatum illius aut optabilem*, *aut deteſtabilem fieri contingat*, *mores* videlicet, *ac leges*, *optabilis & ſelectus Reipublicæ ſtatus eſt*, *quo & privata mortalium vita ſancta & integra*, *& publici civitatis mores placidi ac juſti redduntur*; *deteſtabilis vero ac fugiendus*, *quo contrarium perficitur*; propterea (concludit deinde Polybius) cum *non inveniat quisquam magis ſubdolos privatos mores*, *neque injuſtiora*, *pro portione*, *ſtudia*, *quam ſint Cretenſium demptis plane paucis*, eapropter *Rempublicam illorum nec ſimilem Lacedæmonicæ nec alias ſelectam aut æmulandam eſſe* cenſuit, ut ex *præmiſſa collatione* probaverat antea contra Ephorum, Xenophontem, Calliſtenem, & Platonem unanimiter pronuntiantes laudabilem Cretenſium eſſe Rempublicam, quæ ſimilis eſt, & eadem cum Lacedæmoniorum Republica. Utriusque ſcriptoris Strabonis videlicet, & Polybii citata loca profecto digna ſunt, ut a viro Reipublicæ adminiſtratore conſulantur attentius.

Quæcumque itaque fuerint Cretenſis Reipublicæ inſtituta, *haud multa* (ait Strabo) *iſtorum permanſerunt* poſt redactam in Romanorum poteſtatem univerſam Inſulam, in qua deinde (*ut in reliquis fit provinciis*) *pleraque Romanis conſtitutionibus* gubernari cœperunt. Optimis inſtitutam legibus usque ad Conſtantini Copronymi Imperatoris tempora ſcribit Simeon Metaphraſtes in actis Sancti Martyris Andreæ Cretenſis, dum enim ipſius patriam enuntiat, ita loquitur:

Ipſum

Ipſum quidem tulit, quæ omnium optimis regebatur legibus, Creta. Itaque autem ab ineunte ætate patriam imitatus pietatem, beatos quoque in ipſa oſtendit labores.

Quod autem Romanis armis devicti Principatum & libertatem amiſerint Cretenſes, potiſſimum in cauſa fuit civilis ipſorum diſcordia, qua furentes dum proprias urbes invicem oppugnant evertuntque, occaſionem Romanis præbuerunt, ut opimam Inſulam primum immiſſis copiis affligerent, mox captis civitatibus profligatisque exercitibus ſub imperio Latino ſubjugarent. Primum, quod Romani adverſus Cretenſes bellum geſſerunt, enarrat Livius l. 27. c. 60. his verbis: " Eodem fere tempore (*anno ſcilicet ab urbe condita* 564.) & Cn. Manlius Conſul in Aſiam, & Q. „ Fabius Labeo Prætor ad claſſem venit. Cæterum Conſu„ li non deerat cum Gallis belli materia, mare pacatum „ erat devicto Antiocho. Cogitanti itaque Fabio, cui rei „ potiſſimum inſiſteret, ne otioſam provinciam habuiſſe vi„ deri poſſet: optimum viſum eſt, in Cretam Inſulam tra„ jicere. Cydoniatæ bellum adverſus Gortynios, Gnoſſiosque „ gerebant, & captivorum Romanorum, atque Italici ge„ neris magnus numerus in ſervitute eſſe per totam Inſu„ lam dicebatur. Claſſe ab Epheſo profectus quum primum „ Cretæ litus attigit, nuncios circa civitates miſit, ut ar„ mis abſtinerent, captivosque in ſuis quæque urbibus agris„ que conquiſitos reducerent, & legatos mitterent ad ſe, „ cum quibus de rebus ad Cretenſes pariter Romanosque „ pertinentibus ageret. Nihil magnopere ea Cretenſes mo„ verunt, captivos, præter Gortynios, nulli reddiderunt. „ Valerius Antias ad quatuor millia captivorum quia bel„ li minas timuerunt, ex tota Inſula reddita ſcripſit, eam„ que cauſam Fabio, quum rem nullam aliam geſſiſſet, „ navalis triumphi impetrandi ab Senatu fuiſſe". Decus hoc triumphi ob res adeo tenues facilem conceſſiſſe Senatum notavit Cn. Manlius in oratione, quam pro honore triumphi ſibi elargiendo habuit ad P. C. cujus hæc ſunt verba apud

Li-

Livium lib. XXXVIII. cap. XLVIII. *Nullius equidem invideo honori, Patres Conſcripti. Vos tribunos plebis nuper viros fortes ac ſtrenuos impedientes Q. Fabii Labeonis triumphum auctoritate veſtra deterruiſtis, triumphavit, quem non bellum injuſtum geſſiſſe, ſed hoſtem omnino non vidiſſe, inimici jactabant.*

Quamvis autem primum hoc bellum (ſi tamen belli nomen meretur inopina & brevis invaſio) nullum Cretenſi dignitati libertatique præjudicium intulerit, attamen cum ſe ſe mutuo Cretenſes ex inteſtinis odiis de Principatu Inſulæ decertantes affligere non deſiſterent, Romani, qui Imperium ſuum victricibus armis terra marique extenderant, eam occaſionem nacti Cretenſes bello aggrediuntur, præſeferentes quidem, ut fatetur Florus lib. III. Hiſtor. fœdus cum Rege Mitridate a Cretenſibus initum, aut collata hoſti auxilia, revera autem, ut nobilem uberemque Inſulam ſuæ ditioni ſubigerent. Hoc iis temporibus fuiſſe Romani populi victoriis elati conſilium, ut eas Nationes amicas quamvis & fœderatas ferro vincendas ſpoliandasque duceret, quæ divitiis affluerent, ex ipſomet citato Floro addiſcimus lib. III. cap. IX. ubi miſerandam Ptolomæi Regis Cypri mortem enarrat: *Inſulam Cyprum veteribus divitiis abundantem, & ob hoc Veneri ſacram Ptolomæus regebat. Sed divitiarum tanta erat fama, nec falſo, ut victor gentium populus, & donare Regna conſuetus, Publio Clodio Tribuno Duce, ſocii, vivique Regis confiſcationem mandaverit. Et ille quidem ad rei famam veneno fata præcepit* (ut etiam referunt Plutarchus in Catone Uticenſ. Dion & Valer. Maximus) *ceterum Porcius Cato Cyprias opes liburnis per Tiberinum oſtium invexit, quæ res latius erarium populi Romani, quam ullus triumphus implevit.* Cypri fatum jam Cretica clades præceperat, cujus originem ingenue refert Florus lib. citati cap. VII. *Creticum bellum, ſi vera volumus noſcere, nos fecimus; ſola vincendi nobilem Inſulam cupiditate. Faviſſe Mitridati videbatur, hoc placuit armis vindicare.* Notat hoc loco Freinshemius ex Cicer. Verr. 2. 31. potentes quosdam homines jamdudum Romæ laboraſſe,

ſe, ut decerneretur Cretenſibus bellum. *Primus invaſit Inſulam Marcus Antonius cum ingenti quidem victoriæ ſpe atque fiducia, adeo ut plures catenas in navibus, quam arma portaret. Dedit itaque pœnas vecordiæ; nam plerasque naves intercepere hoſtes: captivaque corpora religata velis ac funibus pependere, ac ſic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus ſuis admigaverunt.* Hanc Cretenſium victoriam Romani tamquam bellicæ ſuæ virtuti injuriam ægre tulerunt, confectoque haud multo poſt Macedonico bello Q. Hortenſium Conſulem delegerunt, ut cum ſummo Imperio Cretenſibus bellum inferret. Quum autem Hortenſius foro aſſuetus urbem ægre deſereret, Q. Metello collegæ ſuo provinciam exercitumque, ut ſcribit Dion, facilis conceſſit, qui multis prœliis proſpere actis, præcipuisque urbibus expugnatis Inſulam totam triennii labore ſubegit, legesque Minois (ut ait Paulus Diaconus lib. VI.) Romanis legibus permutavit.

Bellicum Cretenſis populi robur, & egregiam animi conſtantiam memorant cum laude Vellejus Paterculus lib. II. & Valerius Maximus lib. I. ex quorum ſcriptis addiſcimus Cretenſes juvenes Ducibus Panare & Laſthene Romanos exercitus per triennium fatigaſſe, & in obſidione Metelli ad ultimas usque anguſtias compulſos ſuo jumentorumque lotio ſitim affixiſſe potius quam extinxiſſe.

Nec tamen graviſſimo licet agitati bello Cretenſes armorum laborumque patientiſſimi ceſſiſſent, niſi in oppugnatione Eleutheræ urbis Metellus ex proditorum perfidia turrim expugnatu difficillimam obtinuiſſet. Eleuthera autem ſub imperium reddacta, *Lappam* deinde, (ut ſcribit Dion Caſſius Hiſtor. lib. XXXVI.) *mox totam Inſulam* Metellus *ſubegit. Eo modo Cretenſibus, qui ante id tempus in perpetua libertate vixerant, neque unquam alienigenæ Domino paruerant* (Strabo autem teſtatur a Cilicibus primum oppreſſos fuiſſe,) ſervitutis jugum *impoſitum eſt, cognomentumque Cretici Metellus ab eo ſumſit.* Porro adverſus Cretenſes bello devictos adeo ſæve & inhumaniter ſe geſſit Metellus, ut pleri-

plerique ex captivis voluntariam necem veneno ſibi propinare delegerint, ne duriſſimum ſervitutis jugum ſubire cogerentur. Ita Florus loco citato: *Metellus deinde totam Inſulam igni ferroque populatus intra caſtella, & urbes redegit, & Cnoſſum, & Erythræam, &, ut Græci dicere ſolent, urbium matrem Cydonam*, (corrigit hoc loco Salmaſius Cydoniam, vel ut legit in vetuſtiſſimo libro Cydoneam) *adeoque ſæve in captivos conſulebatur, ut veneno ſe plerique conficerent, alii deditionem ſuam ad Pompejum abſentem mitterent, & cum ille res in Aſia gerens, eo quoque præfectum miſiſſet Antonium* (Octavium vocat Dion lib. 36.) *in aliena provincia inclitus*, ſeu ut legunt alii, *irritus fuit* eoque *infeſtior Metellus in hoſtes jus victoriæ exercuit, victisque Laſthene & Panare Cydonæ* (repone Cydoniæ aut Cydoneæ ex Salmaſio) *Ducibus victor rediit, nec quicquam amplius de tam famoſa victoria quam cognomen Creticum reportavit*. Idem fere enuntiat ipſe Lucius Annæus Florus in epitome 98. & ſequentibus Hiſtor. Roman. *Quintus Metellus Proconſul bello ſibi adverſus Cretenſes mandato Cydonam urbem obſedit ..... Gnoſſon, & Lyctum & Cydoniam & alias plurimas civitates expugnavit*. Commemorat deinde *res geſtas a Metello adverſus Cretenſes, & epiſtolas Metelli, & Gn. Pompeii invicem miſſas*, in quibus *conqueritur Metellus gloriam rerum a ſe geſtarum a Pompejo ſublatam præteriri, qui in Creta miſerit legatum ſuum ad accipiendas urbium deditiones. Pompejus rationem reddit, hoc ſe facere debuiſſe*. Quum autem bellum Mithridaticum Pompejo mandatum eſſet, *Quintus Metellus* (ita Florus) *perdomitis Cretenſibus, liberæ in id tempus Inſulæ leges dedit*. Ita igitur, ut notat Vellejus Paterculus lib. II. cap. 38. *Creta Metelli ductu longiſſimæ libertatis fine multata* fuit. Aliquam itaque, (ut ſuperius ex Floro innuimus) *victoriæ* hujus *partem* ſibi conatus eſt vindicare Gn. Pompejus, cujus tamen æmulatio celebriorem effecit ipſius Metelli triumphum. Id notavit lib. II. Hiſtor. Rom. cap. XXIV. Paterculus: *Per id tempus a Quinto Metello Creta Inſula*

in

Digitized by Google

in populi R. poteſtatem redacta eſt, quæ Ducibus Panare & Laſthene XXIV. millibus juvenum coactis, velocitate pernicibus, armorum laborumque patientiſſimis ſagittarum uſu celeberrimis per triennium Romanos exercitus fatigaverat. Ne ab hujus quidem uſura gloriæ temperavit animum Gn. Pompejus, quin victoriæ partem conaretur vindicare. Sed & Luculli, & Metelli triumphum cum ipſorum ſingularis virtus, tum etiam invidia Pompeii apud optimum quemque fecit favorabilem. Rem ſuſius exponit Dion lib. ſuperius citato.

Subactam Inſulam Senatus Romanus, deducta Cnoſſum Regni Metropolim colonia, cum Cyrenaica regione, quæ nuper in poteſtatem venerat, conjunxit, & in Provinciam, Prætore ad eam adminiſtrandam miſſo, redegit. *Nunc vero Cnoſſus*, ait Strabo lib. X. *etiam Romanorum coloniam habet*, & deinde libro XVII. *Regnum aliquando habuere Cyrenei, inde in Romanorum poteſtatem devenere, & nunc Provincia eſt Cyrenaica cum Creta conjuncta.* Cyrenaicam hanc regionem, quæ & Libya Pentapoleos dicitur ob illuſtres ejus quinque civitates Ptolemæus Ptolemæi Soteris Ægypti Regis frater Romano populo ex teſtamento dimiſerat, unde provincia facta eſt, Reipublicæ quidem Romanorum vectigalis, ſed ſuis ſubjecta legibus & magiſtratibus, quæ deinde vel imperante Sylla, vel poſt domitos Cretenſes, ut notat Sigonius lib. I. de antiquo jure Provinc. cap. XVII. in unicam ſimul cum Creta Provinciam redacta fuit. Quod autem Creta & Cyrenaica ſimul conjunctæ unicam Provinciam efficerent, confirmatur ex vetuſtiſſima inſcriptione, quæ inter *Marmora Piſaurienſia* typis edita legitur pag. 16. Inſcript. XXXVI. & a Smetio inter antiquas inſcriptiones affertur pag. 76.

C. LVXILIO . C. F. POMP.
SABINO EGNATIO
PROCVLO . C. V. CVR. RER.
PVBLIC. PISAUR. ET. FANEST.
LEG. LEG. X. GEM. GORDIAN.
JVR. REG. TRANSPAD. CVR.
VIAR. ET . PRAET. ALIMENT.
CLODIAE . ET . COHERENT.
LEG. PROV. ACHAIAE . PRAET.
AEDILI . CERIALI . QVAEST.
PR. PR. PROV. CRETAE . CYR.
TRIB. LATIC. LEG. IIII. FLAV.
PATRONO COLONIARVM
PISAUR. ET . FANEST.

Idipſum affert alia antiqua epigraphe a Clariſs. Viro Scipione Maffeio viſa in Galliis, & ab ipſo vulgata Muſei Veronenſis pag. CCCCXVI. eſt autem.

- - - - - C. ALFIDIO
GALLO PACC.....
PROVINC MACEDONIAE...
... RIVIAE . TIBVRTIN. VALER...
LEG. LEG. PROVINCIAE CRETAE ET CYRENA
RVM . LEG. AQVITANIC. VII. VIRO . EPVLON
SODALI H..... CIVITAS
LEMOVIC.

Quum autem poſt necem Julii Cæſaris Provincia Cretæ Decio Bruto, qui ipſum Cæſarem ob oppreſſam Rempublicam trucidaverat, obtigiſſet, isque (quod eam Provinciam, ut refert Dion lib. XLVII. ſibi in bellis civilibus diſtento non magnopere profuturam judicaret) Græciam Macedoniamque occupaſſet, Marco Antonio ſenioris Marci Antonii, qui primus Cretenſes bello invaſerat, filio, Cretæ Inſu-

læ

læ libertatem reſtituere poſt Bruti Præfecturam placuit, quod ei a Marco Tullio Cicerone exprobratum fuiſſe in publica concione teſtatur citatus Dion libro XLV. *quemadmodum hoc quoque, ut Cretenſes poſt Bruti Præfecturam liberi forent, quibus ut imperaret poſt Cæſaris mortem nos decrevimus.* Provinciam hanc inter Prætorias, quas Cæſar Auguſtus Populo Romano dimiſerat, recenſet octavo loco Strabo l. XVII. ubi hæc leguntur: *Prætorias autem X. conſtituit*, & deinde *Octava Creta cum Cyrenaica*. Proconſularem deinde effectam fuiſſe arguimus ex Senecæ Rethor. lib. IV. Controv. XXVII. qui Oppium Flaminem Cretæ Proconſulem memorat, atque ex Taciti Annal. lib. III. ubi enuntiatur Cæſius Cordus Cretæ Proconſul. Aulum Julium Quadratum Conſulem II. ad annum urbis conditæ 857. æræ ſcilicet vulgaris 105. olim Cretæ Proconſulem fuiſſe addiſcimus ex antiquo documento per Clariſs. Muratorium allato inter veteres Inſcriptiones Tom. I. pag. 317. ubi hæc habentur.

ΓΑΙΟΝ ΑΝΤΙΟΝ ΑΤΛΟΝ ΙΟΥΛΙΟΝ ΑΤΛΟΥ
ΤΙΟΝ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΝ ΔΙΣ ΤΠΑΤΟΝ ΑΝΘΥ
ΠΑΤΟΝ ΑΣΙΑΣ ΣΕΠΤΕΜΟΥΙΡΟΝ
ΕΠΟΥΑΩΝΩΝ ΦΡΑΤΡΕΜ ΑΡΟΥΑΛΕΝ
ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΚΑΙ ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΝ
ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΑΣΙΑΣ
ΠΡΕΒΥΤΙΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΕΠΑΡΧΙΑΣ
ΚΑΠΠΑΔΟΚΙΑΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ ΚΡΗΤΗΣ
ΚΑΙ ΚΥΠΡΟΥ ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΚΑΙ ΣΤΡΑΤΗΓΟΝ ΛΥΚΙΑΣ ΚΑΙ ΠΑΜΦΙΛΙΑΣ
ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΚΑΙ ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΝ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΝΕΡΟΥΑΣ ΤΡΑΙΑΝΟΥ
ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ
ΔΑΚΙΚΟΥ ΕΠΑΡΧΙΑΣ ΣΥΡΙΑΣ Η ΒΟΥΛΗ
ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΤΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ
ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΤΟΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ
ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΩΝ ΤΗΣ ΑΝΑΣΤΑΣΕΩΣ
ΤΩΝ ΣΤΡΑΤΙΩΤΩΝ.

Ideſt (*ita Muratorius*).

„ Gajum Antium Aulum Julium Auli Filium Quadra-
„ tum, bis Conſulem, Proconſulem Aſiæ, Septemvirum E-
„ pulorum, Fratrem Arvalem, Legatum Prætorem By-
„ thiniæ, Legatum Aſiæ, Legatum Auguſtalem Provinciæ
„ Cappadociæ, Proconſulem Cretæ & Cypri, Legatum Au-
„ guſtalem, & Prætorem Lyciæ & Pamphiliæ, Legatum &
„ Proprætorem Imperatoris Nervæ Trajani Cæſaris Augu-
„ ſti Germanici, Dacici, Provinciæ Syriæ Senatus & Popu-
„ lus Primorum Neocororum Pergamenorum Beneſactorem
„ (*ſuum*) (*ſupple*, *Statua donat*) Ejus erectionem Curanti-
„ bus Militibus.

Ex citato itaque Scriptorum teſtimonio, atque ex ſuperius allatis inſcriptionibus certum compertumque eſt Cretam Inſulam a Cæſare Auguſto inter Prætorias Provincias enumeratam, Proconſulari paulo poſt Præfectura decoratam fuiſſe; ad quam proinde adminiſtrandam deligebantur aliquando viri illuſtres Conſulari jam dignitate inſigniti, quales fuerunt nuper enuntiatus Aulus Julius, Quadratus, atque Lucius Fabius Septimianus Cilo bis Conſul anno primum æræ vulgaris 193. mox anno 204. cujus monumentum Cretenſem Quæſturam inter cæteras dignitates exhibens protulit laudatus Muratorius citati operis pag. 345. & Smetius in collectione antiquarum Inſcriptionum Lugduni edita anno 1588. fol. 66. num. 8. & 9. ubi duo monumenta aſſert, in quorum primo Quæſtor Prov. Cretæ & Cyren. dicitur, in altero vero Quæſtor Provinc. Cretæ nuncupatur. Cretenſem aliam Epigraphen inter marmora Arundelliana publicavit Joannes Seldenus pag. 44. edit. Londinenſis.

Porro in acerrimo bello quod Octavianus Auguſtus, & Marcus Antonius ſibi adverſantes ſuſceperunt, cum Cydonienſes & Lampæi Auguſto ſuppetias tuliſſent, ab ipſo poſt Actiacam victoriam libertate donati fuerunt, qui & Lampæorum civitatem, *quæ everſa fuerat*, reſtauravit. Roma-

nis

nis itaque Imperatoribus ſub Proconſule paruerunt Creta & Cyrene in unicam compoſitæ provinciam usque ad Conſtantini Magni tempora, qui, Imperii ſede Byzantium deducta, novaque Provinciarum partitione ſtatuta, Cretam & Cyrenem ſeparavit, creatisque, ut refert Zoſimus lib. II. quatuor Prætorii Præfectis Cretam ſecundo, Cyrenem vero tertio aſſignavit. Quum autem Imperii Provincias inter filios ſuos diviſiſſet Conſtantinus, Creta Inſula cum Africa & Illyrico Conſtanti obtigit, a quo in ſucceſſores Conſtantinopolitanos Imperatores tranſiit deinceps, qui eam per Præfectos adminiſtratam ſub ditione tenuerunt. Illud autem ad priſcorum Cretenſium laudem hoc loco minime prætereundum eſt, quod ſub multis Imperatoribus vel Ariana, vel alia quacumque hæreſi infectis Cretenſes incolæ adeo in orthodoxæ fidei puritate conſtantes ſteterunt, ut nullum eos unquam læſerit hæreticæ pravitatis impietas, quod X. Sanctorum Martyrum patrocinio referendum eſſe, ſuperius dixi ex teſtimonio Patrum Synodi Cretenſis ſæculo ſalutis humanæ V. ſub Leone hujus nominis I. Imperatoris Conſtantinopolitani coactæ. Sed & ipſos concives ſuos inſequentibus etiam duobus ſæculis ab hæreſum labe tutati ſunt gloriosi Martyres, ſiquidem cum Leo Iſauricus hujus nominis III. Imperator Conſtantinopolitanus neſariam Iconoclaſtarum hæreſim, qua a Saracenis imbutus fuerat, per Orientem univerſum diffundere conaretur, Divina Providentia ad Cretenſis populi ſubſidium Andream Damaſcenum Hieroſolymitani Monachum Cœnobii deſtinavit, qui Cretenſis Metropolita electus *claro facundus eloquio* (ut teſtatur Odis ſtropha in Menæis Græcorum inſerta) *impios refutavit, Venerandarum ſiquidem imaginum, Myſta ſacer, veraciſſime adorationem explanavit*, unde ipſe Andreas in oratione de Circumciſione Domini a Franciſco Conbefiſio inter cætera ejusdem Andreæ Cretenſis opera tamquam genuinum ipſius ſcriptum vulgata: *Inſulæ*, ait, *redemptionem ſuſceperint, Inſulæ, inquam, illæ Eccleſiæ, ablatis, abolitisque per peſtes quas-*

dam

dam Imaginibus deturpatæ.

Post hæc quum sæculi noni anno 20. post Leonis Armeni necem Orient. Imperium susceptisset Michael Balbus, contra eum arma vertit, specie quidem, ut trucidati Imperatoris Leonis cædem ulciscereturr, revera autem, ut Imperium tyrannide occuparet Thomas quidam Orientalium copiarum Præfectus; ejusque rebellionis fama vulgata Agareni Occidentalem Hispaniæ oram habitantes valida instructa classe ad Insulas Orientis prædatum accesserunt, cumque obstantem neminem invenissent, ingentem prædam ex omnibus retulerunt. In Cretam deinde descendentes, cum soli ubertatem, & amœnitatem admirati essent, spoliis exinde onerati domum redierunt. Insequenti autem vere anni 832. Agarenorum Princeps (Amermumnem ipsi vocant) cum quadraginta naves strenuis militibus instruxisset ad Cretam appulit, & classe ante ipsorum militum oculos combusta, ut de regressu desperarent, castra vallo communita fixit in loco, qui propterea Carax, idest Vallum nominari cœpit. Nuntio subitæ irruptionis accepto Michael Imperator Damianum quemdam Comitem multis cum copiis, & forti apparatu in Cretam misit, ut Photinum Protospatharium Cretæ Præfectum adversus Saracenorum conatus adjuvaret. Verum conflictu inito, cum Damianus vix incepta pugna lethali vulnere accepto periisset, reliqui eam fugæ causam habuerunt, & Photinus ipse ægre e prœlio elapsus triste cladis nuntium Imperatori detulit: Agareni hac victoria elati novam urbem ex proditoris cujusdam Monachi consilio in loco munitissimo ædificarunt, quam Chandacem appellaverunt, totiusque Insulæ Metropolim post eversam Gortynam constituerunt. Ex ea itaque erumpentes *in totam Insulam*, ut scripsit Cedrenus in compendio Histor. *incursiones fecerunt, ac vicinas etiam, actis in servitutem incolis, urbibusque Cretæ, una dempta, captis omnibus.* Barbaros Chandace profectos universæ Insulæ *indigenas*, & *urbes omnes, una excepta*, subegisse testatur quoque Joannes Curopalates; at Georgius Phranzes Protovestiarius in

Chro-

Chronico, Agarenos urbes Cretæ universas præter Gortynem, & Cydoniam ad deditionem compulisse affirmat. Hanc Phranzes assertionem de Gortynæ præservata evertunt alii Græci Historici, qui Gortynæ etiam Episcopum nomine Cyrillum tradunt eo tempore fuisse a Barbaris ob fidei constantiam martyrio coronatum. *Tunc temporis*, ita Cedrenus, *etiam Cyrillus Gortynis Episcopus martyrii coronam supplicio est consecutus, quod Christum diffiteri noluisset.* Zonaras quoque Annal. lib. III. *Quo tempore*, ait, *Cyrillus Gortynæ Episcopus pro Christo certans martyrii coronam accepit*, & Curopalates in compend. *Tunc etiam Cyrillus Gortynæ Præses martyrii corona donatur, quod Christum negare noluisset.*

Eversionis excidiique hujus infortunium Insulanos sibi suis sceleribus corruptisque moribus, quibus justam Numinis iram provocarunt, omnino promeritos fuisse, scripsit Græcus Monachus Studita, qui acta Sancti Nicolai Cydoniensis, Acæmetorum Studitarum Archimandritæ anno circiter Christi 930. aut 940. eo scilicet tempore concinnavit, quo Cretense Regnum sævissimo Agarenorum jugo opprimebatur. Hæc sunt ipsius verba, quibus Sanctissimi Abbatis vitam post prologum exorditur. " Vir iste (ut parum quid moremur in " patria, quæ educavit,) fuit quidem oriundus Creta nobilis- " sima Insula, Christique tunc libertate fulta viribusque de- " inceps ac ædificiorum magnitudine gloriante: quamquam " in ea nunc execranda olim Agaris abortio, Ismaelisque an- " cillæ filii genus pessimum, in Christi figuram ex Isaac " ortum novæ electionis gregem, servus, inquam flagrio- " nis proles, nostrorum scelerum in nos armis utens, in " captivitatem redegit. Dei siquidem mandatorum violatio- " ne, cœleste a nobis auxilium repellentes, voluptatumque " mixtione animi ingenuitatem immutantes traditi fumus, " ut Scripturæ verbis utar, in gentem insipientem mutua " sanguinum effusione fracti ac subacti.

Hoc itaque *modo* (sequitur Protovestiarius) *Creta una ex septem nobilioribus Insulis ab Hispanis Saracenis occupata fuit.*

Post

Poſt annum Michael Imperator denuo claſſem adverſus eosdem miſit, quæ etiam nihil memorabile geſſit. De cætero Agareni curis longum valedicentes jamque totius Inſulæ potentes vivebant. At multi Chriſtiani tunc pro ſincera ac ſana fide noſtra martyrium obierunt. Militarem hanc Imperatoris Michaelis expeditionem fuſius deſcribit Cedrenus, ex quo addiſcimus Craterum Cibyreotarum præfectum cum plurimis *biremibus* Cretam applicuiſſe, atque Agarenos primo prœlio devictos viriliter profligaſſe. At ingruente nocte cum Romani victoria ſuperbientes *potationibus & luxuriæ* neglectis excubiis ſe ſe dediſſent, Cretenſes Agareni *Romana caſtra vino ſomnoque capta deprehendentes, media nocte magno cum ſtrepitu irruerunt, inque ebrios incidentes univerſos interfecerunt.* Dux autem Craterus cum fuga elapſus ſe in Cors Inſulam recepiſſet, ab Agarenis ibidem deprehenſus, Crucis ſupplicio interficitur.

Poſt hæc Barbari pyraticæ rapinæ diu aſſueti Inſulas Ægei maris excurrentes primum ab Orypha Græcorum Duce repreſſi, mox a Niceta Patritio, ut ſuſe refert Phranzes lib. I. cap. XXXVI. navibus eorum igne Græco ſuccenſis deleti profligatique atque gladio, & aliis diverſis ſuppliciis conſumpti fuerunt. *Quo comperto Agareni Cretenſes de cætero quietiora conſilia quamquam ad tempus cæperunt, & tributa Imperatori Baſilio,* (cujus Dux erat Nicetas) *ſolvere decreverunt. Elapſis autem annis prope decem, Barbari a conſuetudine ſua non diſcedentes* ad pyraticam redierunt, promiſſumque Imperatori C. P. tributum ſolvere detrectarunt. Audacem Agarenorum feritatem reprimere quidem voluit Conſtantinus Porphyrogenitus Imperator, verum cum ad Cretenſes bellicoſiſſimos expugnandos maximum exercitum validamque claſſem miſiſſet ſub Imperio Conſtantini Gongillæ patritii mollis enervatique hominis belloque nihil aſſueti, Agareni ſocordia Ducis & imperitia deprehenſa Romanos ſubito adorti nullo negotio ſuderunt, eorumque caſtra ſummo cum Romani nominis dedecore cæperunt. Hoc Græci exercitus infor-

Digitized by Google

fortunium ſcriptis commendavit Leo Diaconus, cujus hiſtoriam ab obitu Conſtantini Porphyrogeniti ad mortem usque Joannis Tzimiſcis Imperatoris deductam ſe vidiſſe, & quoad præcipua capita deſcripſiſſe teſtatur Clariſs. Antonius Pagius in Critica Hiſtorico-Chron. ad annum 961. *Conſtantinus Imperator* (hæc ſunt Leonis Diaconi verba a Pagio allata) *cum Cretenſium injuriam occultasque graſſationes ferre non poſſet, juſto conſcripto exercitu, multoque longe navium incendiariarum conſtructa claſſe adverſus Cretam miſit, quaſi primo ſtatim aſſultu, prœliique incœptantis clamore ea potiturus: Ducis tamen Prætoris ignavia, imperitiaque, (viri ſcilicet exfecti, Cubiculariique in umbra educati, Paphlagonum regione oriundi; Conſtantinus ei nomen, Gonzylas cognomen erat, tametſi Patritiorum illuſtri dignitate fulgebat,) omnis hic exercitus, paucis dumtaxat exceptis, a Barbaris conciſus, internecioneque deletus eſt.* Romanus autem hujus nominis ſecundus Orientis Imperator, qui Conſtantino patri ſucceſſerat illatas a Saracenorum ferocia clades & injurias ulciſcendi cupidus Nicephorum Phocam magiſtrum & Scholarum Orientalium Domeſticum virum ſtrenuum, & victoriis adverſus Barbaros aſſuetum *cum delecto militum exercitu, & probe adornata claſſe contra Saracenos Cretenſes emiſit.* Victorias Nicephori, & redactam ſub Imperio C. P. Inſulam refert Cedrenus his verbis: *Phocas claſſe in Cretam trajecta, cum primum navibus ſuos educeret, Agarenos prohibere agreſſos prœlio fundit, & cum ipſe tuto Inſulam egrediretur, tum ſuos absque periculo in eam exportat. Inde caſtris poſitis iisque alta foſſa, vallo, ac palis defixis communitis, naves tutiſſimis in ſtationibus continens omnibus probe conſtitutis Inſulæ urbes omni vi oppugnat, ac ſeptem integros per menſes omnibus machinis ad eam rem facientibus uſus, muros proſternit, urbesque & caſtella vi capit. Septima die Martii menſis Indictione decimaquarta* (correctione eget Chronica hæc Indictionis nota) *Chandacem ab inſularibus vocatam omnium Cretæ urbium munitiſſimam expugnat: Curupem Inſulæ Ameram, & Ariemam, cujus ſecundum*

Curupam ſumma erat poteſtas, vivos in ſuam poteſtatem redigit: totamque Inſulam ſubegit. Acta ſunt hæc Romani Imperatoris anno ſecundo, qui Imperium defuncto Patre capeſſivit anno æræ vulgaris 960. quapropter in Veneta Cedreni editione loco XIV. ſuperius enuntiatæ reponenda eſt Indictio IV. quæ alligatur ad annum Chriſti 961. Romani Imperatoris ſecundum. Corrigendus etiam eſt (ut optime notat Pagius ad annum 960.) Incertus Continuator Theophanis, qui *ubi fuſe de expeditione Cretenſi agit, ait, eſſe inchoatam menſe Julio Indictione V. cujus loco legendum eſt Indictione III.* urbs enim Chandacis ſeu Candiæ anno inſequenti Indictione, ut diximus, IV. menſe Martio expugnata fuit a Niceforo. Illuſtrem Cretenſis Inſulæ receptionem fuſiori ſermone exaravit Leo Diaconus ſuperius citatus, ex quo *ſummarie* accipiens Pagius Creticam expeditionem, expugnationemque Chandacis urbis expoſuit in Critica ad Annal. Baronii ann. 960. & 961. ibique docet, Curopalatem, Cedrenum & Zonaram ex ipſius Leonis hiſtoria plurimum hauſiſſe. Illuſtrem Nicephori victoriam, redditamque Imperio C. P. nobiliſſimam Inſulam metro celebraſſe Theodoſium Græcum Diaconum ſuperius diximus, ubi inter Archiepiſcopos Græci ritus receptæ Inſulæ memoriam attigimus. Agarenis Cretæ Inſulam annis centum viginti quatuor paruiſſe aſſerit Protoveſtiarius, cujus tamen authoritati adhærere minime poſſumus ex ipſo annorum calculo, ſiquidem ab aſſumptione Michaelis Balbi Imperatoris, usque ad reſtitutam ſub Imperio Romano Cretæ inſulam, anni intercedunt centum & quadraginta; ita plane, ut ſi Cretenſi Regno potiti eſſent Agareni extremis Balbi Imperatoris temporibus, ab ipſius obitu usque ad annum ſecundum Romani Imperatoris adhuc anni numerentur centum & triginta tres.

Pacifice deinde Cretenſem Inſulam tenuerunt Imperatores C. P. usque ad Alexium Angelum, qui fratre Iſaaco e ſede dejecto & luminibus privato Imperium tyrannice invaſit. *Deinde*, ut ſcribit lib. I. cap. XXXVII. Phranzes, *cum*

Latini

Latini monarchiam in principatus varios diviſiſſent, & Balduinus Flandriæ Comes Imperator ſalutatus eſſet, Henricus Dandulus Venetorum Dux, qui præſens aderat, non modicam ex toto parſem eſt adeptus, & Deſpotæ dignitatem ab Imperatore accepit. Democratia autem Ligurum (Genuenſes) *Euripi Inſulam & alia loca ſortita eſt.* Euripi nomine Nigropontem intelligit Dandulus in Chronico, quam Inſulam a Ravano de Carceribus Veronenſi, Henrici Ducis Venetorum Nuntio occupatam fuiſſe aſſerit lib. X. cap. IV. par. V. *Ravanus quoque de Carceribus Veronenſis, & Nepos ejus Euripum ſive Nigropontem accipiunt.* Diverſimode legit Meurſius *Curupi Inſulam*, aſſerens Cretam ſic a Phranze vocatam fuiſſe ex nomine Curupis Principis Agarenorum. Euripi ſeu Curupi inſulam poſtea ad Venetos deveniſſe, notat paulo poſt ipſe Phranzes: *Genuenſes Euripi Inſulam aliaque loca ſortiti poſtea adverſariis eam dederunt.* Sive ergo Cretam, ſive Nigropontem Januenſes occupaverint, de utroque Regno certum eſt, ad Venetorum ditionem acceſſiſſe. Quod autem aliquando Januenſes per injuſtam occupationem Cretam habuerint, ex Niceta Choniate accipimus, qui ad Imperium Balduini hæc ſcribit a Meurſio etiam relata: *Et piratæ quidam Genuenſes quinque rotundis navibus, & vigintiquatuor triremibus comparatis per mercaturæ ſpeciem in Cretam tranſieruntdeinde hoſtiliter aggreſſi facillime totius Inſulæ ſunt potiti;* in cujus tamen poſſeſſione non diu perſtiterunt. *Et quoniam*, ſequitur loco citato Phranzes, Bonifacius *Marchio Montisferrati manum non modicam ad auxilium contulerat, totiusque terreſtris exercitus ſummus Dux delectus fuerat, eum Balduinus Imperator Regem Theſſalonicæ eſſe juſſit: cui inſuper Creta cum aliis locis obvenit, quam poſtea Venetorum Senatui vendidit.* Quomodo autem Creta Inſula in poteſtatem & jura Bonifacii Marchionis Montisferrati non ex Balduini, ſed potius ex Iſaaci Angeli Imperatoris donatione obvenerit, & deinde Venetis tradita fuerit, res eſt paulo altius, breviter tamen & ſummatim repetenda.

Adverſus Turcas, qui tota fere Aſia domita Syriam & Hieroſolymam cum tota Judæa ejectis inde Gallis occupaverant, Chriſtiani Principes ex univerſa ferme Europa fœdus inierunt ſæculo XII. ad finem vergente, quibus & Veneti, ut Chriſtianam rem pro antiquo Reipublicæ inſtituto juvarent, ſeſe belli comites parata cc. ac XL. navium claſſe adjunxerunt. Inter hos graviſſimi belli apparatus, novus rerum eventus fœderatorum Principum arma ad ipſam Orientis Metropolim evocavit. Iſachum Imperatorem, quem ſibi addictiſſimum Veneti & Galli experti fuerant, Alexius minor natu frater per inſidias excœcatum in vincula conjecerat, & Alexium nepotem ad necem quærebat, qui fuga dilapſus ad Henricum Venetorum Ducem, & ad Gallos Principes, qui tunc temporis Jadræ in Dalmatia morabantur, acceſſit, ut ipſorum animos in patris auxilium, & in ſceleſtiſſimi Tyranni perditionem excitaret. Ut autem facilius audiretur, precibus lacrymisque ingentes addidit promiſſiones, & Græcanicam Eccleſiam & religionem Romanæ Eccleſiæ, & catholico ritui ſubdere ſpopondit. Imperatoris Latino nomini addictiſſimi deploranda calamitas, & immanis flagitii atrocitas adeo omnium animos perturbavit, ut novo inito belli conſilio ad Byzantii oppugnationem claſſem dirigere, urbemque Orientalis Imperii caput validiſſima obſidione circumvallare decreverint. Ad eam itaque cum appropinquaſſent, *dum tantus ibi* (ita Blondus Flavius Decadis II. Lib. VI.) *hæret exercitus, Cretenſes duabus vecti triremibus publico conſilio Inſulam Alexio puero dediderunt, qua ille Bonifacium Montisferrati Marchionem paterna ſibi avitaque affinitate conjunctum donavit.* Poſt hæc autem cum Veneti ſcalis innixi muros Byzantii occupaſſent, Alexius Tyrannus fuga ſibi conſuluit, cujus diſceſſionis fama per urbem vulgata Iſachus cœcus e carcere eductus, & puer Alexius furentis populi impetu apertis portis in civitatem, & regiam reductus fuit. Non diu tamen in recuperatæ dignitatis poſſeſſione infelices Principes perdurarunt, ſiquidem Iſachus vix degu-

ſtata

ſtata proſperæ fortunæ voluptate, ærumnis mage quam annis attritus extremum diem obiit, juvenis autem Alexius, cum Imperium Patris accepiſſet, ipſumque vix per annum prudentiſſime adminiſtraſſet, a Murtillo, ſeu (ut vocant alii) Murtulpho, quem Iſachus Imp. ab infima plebe ad ſupremum Aulicorum Imperialium munus (Patritium Protoveſtiarium appellant) ſublimaverat, per inſidias concitato populi tumultu e throno dejectus fuit. Quum autem inter univerſi populi acclamationes Murtillus Imperium occupaſſet, juvenem Alexium ad ſe adduci jubet, & quem prius bis propinato veneno occidere nequiverat, eliſo gutture propria manu nequiſſime interfecit. Nefariam Alexii cædem acerbe tulerunt fœderati Principes, utque de ea adverſus proditorem debitam ſceleri ultionem ſumerent, fœdus de Conſtantinopolitano Imperio evertendo, & inter belli conſortes dividendo inierunt.

Novæ igitur oppugnationis impetu perculſa Imperialis Bizantii urbs in Latinorum Principum poteſtatem devenit, qui, iniquiſſimo Tyranno ad ſupplicium damnato, civitatem Regiam ſubjectumque ei Imperium ita partiti ſunt, ut quarta pars & dimidia Imperii Romaniæ Venetorum Reipublicæ aſſignaretur, cujus propterea Duces ex eo tempore Domini quartæ partis & dimidiæ Imperii Romaniæ nuncupari cœperunt. Acceſſit etiam tunc temporis ad Venetam ditionem Regnum Cretæ: Bonifacius enim Montisferrati Marchio in adeptione Theſſalici regni, quod ſibi obvenerat in diviſione occupatus, univerſam Inſulam Duci ac Reipublicæ Venetiarum ſtatuto pro ipſius Inſulæ compenſatione ingenti auri pondere libere ac perpetuo ceſſit. Ita Dandulus lib. X. cap. III. par. XLII. *Decimotertio Ducis anno* Chriſti videlicet 1204. Bonifacius Montisferrati *Marchio, cui Alexius Iſachi Imperatoris genitus Inſulam Cretæ donaverat, nunc Andrinopolim obſidens Ravano de Carceribus, & Marco Sanuto Ducis Venetiarum Nuntiis, cui illa in diviſione Imperii contigerat, totum jus, quod in eadem habebat, firmatis hinc inde conventioni-*

tionibus, pleniſſime ceſſit. Quæ autem fuerint initæ conventiones, aperte patet ex ſequenti documento.

In Nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti Amen. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Ducenteſimo quarto.

„ Tempore Innocentii Papæ. Romanorum Imperatore non „ exiſtente, die duodecimo, intrante menſe Auguſti. Indi„ ctione Septima. Actum in Suburbio Andriopolitane Ci„ vitatis. Manifeſtum facio Ego quidem Dominus Bonifa„ cius Montisferrati Marchio, quod amodo in antea, cum „ meis hæredibus reſutationem & finem facio Vobis nam„ que Domino Marco Sanuto, & Domino Ravano de Ve„ rona, recipientibus procuratorio nomine, pro Dom. Hen„ rico Dandulo Dei gratia Venetiarum, Dalmatiæ, atque „ Croatiæ Duce, & pro ſuis ſucceſſoribus, nec non & pro „ omnibus hominibus Venetis de toto hoc, unde ipſos re„ quiſivi, & requirere potui per quodvis ingenium, juſte „ quoque vel injuſte, videlicet de Inſula Cretæ, quæ mi„ hi data, vel promiſſa, ſive conceſſa fuit per Alexium Im„ peratorem filium Iſacii quondam defuncti Imperatoris, „ & de centum millibus yperperorum, qui mihi fuerunt „ promiſſi per præſcriptum Imperatorem, & de toto feu„ do, quod & Emanuel quondam defunctus Imperator de„ dit Patri meo, & de toto quod ad dicendum habui, vel „ habeo per me, vel per aliam perſonam hominum Theſ„ ſalica civitate, & ejus pertinentiis intus, & foris, nec „ non etiam de omnibus poſſeſſionibus ſpiritualibus, & tem„ poralibus, quas ipſi habent, vel habituri ſunt de cætero „ in Imperio Conſtantinopolitano, tam a parte Orientis, „ quam a parte Occidentis, & per omnia, & in omnibus „ de ſupraſcriptis omnibus, me foris facio cum omni juris„ dictione, & in veſtra pleniſſima poteſtate relinquo ad fa„ ciendum inde quicquid veſtræ fuerit voluntatis. Promit„ tens nunquam per me nec per aliam perſonam hominum

contra

„ contra omnia ſupradicta iturum. Verum, quia, ut præ-
„ ſcriptum eſt de omnibus ſupraſcriptis, vobis refutatio-
„ nem, & finem feci. Vos ad præſens mihi dare debetis
„ mille Marchas argenti, & tantas poſſeſſiones a parte Oc-
„ cidentis, quarum redditus ſint decem millia yperperorum
„ aureorum juxta extimationem unius mei amici, & alte-
„ rius veſtri annuatim. Quas ſiquidem poſſeſſiones per præ-
„ dictum Dominum Ducem, & ſucceſſores ſuos, & homi-
„ nes Venetiæ tenere & habere debeo in perpetuum. Ser-
„ vitia tamen Imperatoris facere debeo, & Imperio, quæ
„ fuerint aſſignata, ſecundum quod in pacto Communi con-
„ tinetur. Quas vero poſſeſſiones, ut dictum eſt, per præ-
„ dictum Dominum Ducem & ſucceſſores ſuos, & homines
„ Venetiarum habuero, libere, & abſolute poſſidere debeo
„ in perpetuum de hærede in hæredem, tam in maſculo,
„ quam in fœmina, ad faciendum inde quicquid meæ fue-
„ rit voluntatis, ſalvo tamen jure & ſervitio Imperatoris,
„ & Imperii. Sciendum quoque eſt, quod juramento teneor
„ aſtrictus præfacto Domino Duci, & hominibus Venetiarum
„ in perpetuum per me, & meos homines ad omnes poſſeſ-
„ ſiones, & honorificentias manutenendas, & defendendas,
„ quas ipſi habent, vel antea habituri ſunt in toto Imperio
„ Romaniæ, tam ab una parte, quam ab alia, ad hono-
„ rem & utilitatem hominum Venetiæ auxilium parare con-
„ tra omnes homines, qui ipſos ex parte vel ex toto de ſu-
„ praſcriptis omnibus poſſeſſionibus, & honorificentiis mole-
„ ſtare aut expellere voluerint, ſalva tamen Imperatoris fi-
„ delitate. Et quod poſtquam ſupraſcriptas poſſeſſiones, &
„ argentum habuero, inſtrumentum per manum publicam
„ confectum fieri, & dari vobis faciam, in quo contineatur,
„ quod dictas poſſeſſiones, & argentum habuero, juxta or-
„ dinem ſuperius dictum, & omnes homines, qui ipſas poſ-
„ ſeſſiones per me habebunt, ſimile faciam juramentum præ-
„ ſtare. Si igitur contra hanc promiſſionis, & manifeſtatio-
„ nis cartulam Ego vel alii qui ſupraſcriptum ordinem di-

ctas

„ ctas poſſeſſiones habebunt, ire temptaverimus, compone-
„ re debeamus cum noſtris hæredibus, vobis & ſucceſſori-
„ bus veſtris præfatas mille Marchas argenti, & inſuper
„ dictas poſſeſſiones ſine omni omnium contradictione, in vo-
„ bis debeant devenire. Et inſuper prædictus Dom. Boni-
„ facius Marchio Montisferrati juravit ad ſacra Dei Evan-
„ gelia, omnia, quæ hic ſuperius leguntur firma habere,
„ & tenere in perpetuum, ut legitur ſuperius. Prædictus
„ Dominus Bonifacius Marchio ſcribere præcepit omnia,
„ quæ ſuperius leguntur.

„ Teſtes ad hæc rogati fuerunt Dominus Bonacurſus de
„ Frignano. Dominus Henricus de Ficido. Dominus Pego-
„ rarius de Verona. Dominus Gilbertus de Verona. Jaco-
„ bus Gregorii.

„ Et Ego Bonamicus Sacri Palatii & de Curia Notarius,
„ omnia quæ ſuperius leguntur manu mea ſcripſi.
„ Ego Petrus Conſtantinopolitanus Presb. & Not. vidi
„ in Matre & ſubſcriptus ſum in filia.

Novum Venetæ Reipublicæ decus, auctamque ex acceſſione nobiliſſimæ Inſulæ potentiam ægre tulerunt Januenſes, quippe qui tum ob antiquam commercii æmulationem, tum ob recens Leonis Vetrani Januenſis pyratæ ſupplicium captasque triremes Veneto nomini erant infenſi. Eapropter elatam Henrici Piſcatoris Comitis Malthæ cupiditatem inflammarunt, ut Cretæ Inſulam in Venetorum fide nutantem repente invaderet, quam etiam ſubſidiariis ipſorum Januenſium copiis adiutus obtinuit. Præerant tunc temporis Venetæ triremium claſſi Raynerius Dandulo, & Rogerius Premarino ii nempe, qui Ligurum pyratarum naves paulo ante profligaverant, captumque Vetranum prædonum Ducem Corcyræ ſuſpendio necari mandaverant. Hi igitur cum ex nuntiis municipum, qui (ut ait Dandulus) Venetis ſubeſſe præelegerant, inopinatam Comitis Henrici irruptionem accepiſſent, in Cretam cum univerſa claſſe celerrime tendunt Petri Ziani Ducis Venetiarum anno tertio Chriſti ſcilicet

licet 1207. expoſitoque terreſtri exercitu Candiam Cretæ Metropolim cæterasque urbes & arces in Reipublicæ poteſtatem reſtituunt, ejectoque tandem poſt varias armorum vices Henrico uſurpatore, univerſam Inſulam in tranquillo rerum ſtatu relinquunt.

Interea cum Veneti Cretam accedere decreviſſent, Conſilium agitur, (ut in Chronico Danduli legimus lib. X. c. IV. par. IX.) *quid de conquiſitis Urbibus facturi eſſent, quas cum proſternere elegiſſent, Raynerius Dandulo unus ex Capitaneis, ut ejus ſumptibus cuſtodiret, obtinuit, & Petro Polano, & Lelio Veglo eas ſuo proprio nomine cuſtodiendas tradit.*

Nec tamen licet externi invaſores fuga receſſiſſent, diuturna Provinciæ quies reſtituitur; nonnulli enim ex incolis non magis a Dominatione, quam a Dogmate, rituque Latinorum abhorrentes rebellionem excitarunt, cui compeſcendæ dum ferventius inſtat Raynerius Dandulus ſagittæ jactu confoſſus glorioſe occumbit, & in Eccleſia Sancti Georgii tumulatur. Hanc porro Sancti Georgii Eccleſiam eamdem eſſe puto, quam Sanctimoniales coluere, de qua ſuperius documenta protulimus, ubi Candiæ urbis Eccleſias enuntiavimus.

Delato Venetias nuntio de præſtantiſſimi Ducis nece, Senatus, ut proclives ad rebellionem Cretenſium animos coërceret, ad eam Inſulam Jacobum Longum, & Leonardum Navagerium proficiſci juſſit cum ſex triremibus totidemque bellicis navibus; inſuper Præſidem Regni cum Ducis ſeu (ut Veneti paſſim vocant) Duchæ titulo, cujus virtute inconſtantes Græci in fide & officio continerentur, inſtituit, primumque eo in munere præfecit Jacobum Theu- I polum virum magni nominis, militiæque non ignarum, qui paulo ante cum Prætoris pro Rep. Veneta munus Conſtantinopoli ageret, inducias cum Græcorum Imperatore Adrianopoli ſedente in quinquennium inivit. A Jacopo Theupolo igitur, qui patriæ principatum poſtea obtinuit, ſeries Duchum Cretenſium incipit per alios deinde illuſtres viros us-

que ad deplorabilem urbis Candiæ deditionem continuata. Porro administrationem demandatæ sibi Provinciæ susceptit Theupulus anno Petri Ziani Ducis Venetiarum IV. qui cum anno convenit æræ vulgaris 1208. quæ circa tempora Jacobus Longo superius memoratus, dum maritimam ageret Regni Cretensis custodiam tres Januensium naves non procul ab insula cœpit, pluresque alias ad fugam coegit.

Post hæc, ut feroces Insulani, qui Venetorum jugum pervicaciter abnuebant, facilius obedientiæ assuescerent, censuit Senatus, antiqua Romanorum instituta æmulatus, civium Venetorum coloniam Cretam mittere, quæ juxta diversæ conditionis statum bifariam divideretur, nobilesque equitum titulo, plebeii vero peditum vocabulo nuncuparentur. Ita Dand. lib. & cap. cit. par. XVIII. *Anno Ducis septimo* (qui Christi fuit 1211.) *Nobiles Cives equites, & plebeios pedites decretum est Cretam transmittere.* Omnibus autem seu nobilibus, seu plebeiis Venetis, quos Cretam deducendos esse statuerat Senatus, assignata fuerunt prædia & rura (Casalia Græci vocant) legesque impositæ, ut semper ad arma parati jurejurando tenerentur Insulam Cretæ custodire, & defendere contra quoscumque pro solo Veneto Dominio. Publicæ liberalitatis munera, equitum peditumque nomina, & injuncta istis officia in uno Petri Ziani diplomate, quod offerimus, continentur dato mense Septembris anno 1211.

In Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi. Anno Domini 1211. *mense Septembris Indictione XV. Rivoalti.*

„ Nos Petrus Ziani Dei gratia Venetiarum Dalmatie atque Croatie Dux Dominus quarte partis & dimidie totius Imperii Romanie cum nostris Judicibus & sapientibus consilii collaudatione populi Venetiarum cum nostris successoribus damus, & concedimus nostram totam Insulam Cretensem vobis dilectis fidelibus nostris viris Venetis, quorum nomina scripta habentur inferius, & illis, quos

„ quos Dux cum majori parte ſui Conſilii, qui per nos ibi
„ erit, per ſue conceſſionis cartam vobis duxerit ſociandos, qui
„ cum eis ſimul eſſe debetis, Milites centum triginta duo,
„ & pedites quadraginta octo, & eorum heredibus, ac pro
„ heredibus in perpetuum excepto a Tartaro usque ad Fra-
„ ſcheam ſecundum quod extenditur juxta mare ex hac par-
„ te, & hoc eſt unum caput, & aliud caput eſt Toma-
„ lum, & ab ipſo Tomalo de foris verſus Orientem uno
„ milliario, & ab alia parte ipſius Tomali verſus Occiden-
„ tem milliario uno, & a Tartaro usque ad ſupraſcriptum
„ milliare verſus Orientem recto tramite & ultra Tomalum
„ Orientem & Auſtrum, atque verſus Occidentem circum-
„ quaque milliario cum Civitate Candida, & jamdicto Ca-
„ ſtello Tomalo cum omnibus que continentur infra deſi-
„ gnationem hanc, que in nobis & in noſtro Communi re-
„ manent, & excepto ſi argentera (*ideſt fodina argenti*)
„ in Inſula ſupradicta inventa fuerit, & fluvius qui aurum
„ ducat, que omnia ſimiliter eſſe debent de noſtro Com-
„ muni. reliquum vero totius Inſule ſit veſtri juris, ita ta-
„ men quod unusquisque miles ex vobis ſex partes poſſi-
„ deat, & quilibet peditum habeat unam partem tantum.
„ debetis habere Inſulam ſupraſcriptam preter illa que ex-
„ ceptata ſunt cum omni longitudine & latitudine ſua, po-
„ teſtate plena habendi, tenendi, vendendi, donandi, com-
„ mutandi & in perpetuum poſſidendi, & quidquid inde vo-
„ bis placuerit faciendi nullo vobis homine contradicente.
„ Preterea etiam in civitate Candida terras, vel caſas ha-
„ bere debetis convenientes, quas unicuique veſtrum ſicut
„ vos decet, Dux qui erit ibi cum ſuo conſilio deſignare
„ & dare debet ſecundum providentiam ſuam, ſimiliter de-
„ betis habere prata pauca vel multa pro equis paſcendis
„ & pro aliis animalibus ſecundum providentiam Ducis &
„ conſilii ſui. ſciendum tamen eſt, quod poſſeſſiones veſtras
„ nec vendere nec alienare debetis niſi Venetis, & eis etiam
„ non ſine conſenſu Ducis, & majoris partis conſilii, & in

„ locum veſtrum alium dimittere ibi, vel inſtituere non
„ debetis ſine conſenſu Ducis, & majoris partis conſilii. Vos
„ autem nobis eſtis vinculo fidelitatis aſtricti, & ſalvare
„ cuſtodire manutenere, & defendere Inſulam ſupraſcriptam
„ contra omnem hominem ad honorem noſtrum, & ſuc-
„ ceſſorum noſtrorum, & Venetorum, & ſic ſe debebunt
„ aſtringere filii veſtri, vel ſucceſſores poſt deceſſum ve-
„ ſtrum infra unum annum ſi etatem habuerint, & ſi non
„ habuerint etatem debebunt dimmittere hominem loco ſuo,
„ usque dum pervenerint ad etatem in providentia Ducis,
„ & majoris partis conſilii, illi videlicet veſtri heredes vel
„ ſucceſſores, qui illas veſtras poſſeſſiones habebunt, & illi
„ in quibus erunt alienate, nobis & ſucceſſoribus noſtris.
„ Debetis autem vos milites videlicet unusquisque ex vo-
„ bis, & illi qui poſſeſſiones veſtras habebunt (ut ſupra
„ legitur) equum unum de armis, & alias duas æquitatu-
„ ras & ſcutiferos duos, ſimiliter habere debet unusquisque
„ miles obergum, aut panſeriam vel tapironem & alia ar-
„ ma, ſicut decet. Peditum vero quilibet armatus eſſe de-
„ bet, ſicut convenit. Eccleſias autem omnes ſupraſcripte
„ Inſule debetis habere liberas, & miniſtros earum ſcilicet
„ de poſſeſſionibus earum ſic eſſe debet, ſicut ſtatuerit Dux,
„ qui erit ibi cum ſuo Conſilio. De facto Laycorum gre-
„ corum tam in perſonis, quam in mobilibus ſit in provi-
„ dentia Ducis & ſui Conſilii. Homines vero Venetiarum
„ debetis in tota Inſula ſalvos & ſecuros habere in perſo-
„ nis & rebus, & ſine ulla exactione & datione ſimiliter
„ & Servitores eorum eundo & redeundo. Et ſi continge-
„ rit alicui Venetorum damnum fieri in ipſa Inſula, dabi-
„ tis operam ad recuperandum ſua bona, bona fide ſine
„ fraude: & debent homines de Venetiis habere liberam
„ poteſtatem extrahendi omnia mercimonia quecunque vo-
„ luerint de inſula ipſa ſine ulla contrarietate. Et vos mi-
„ lites & pedites ibi conſtituti habeatis poteſtatem libere
„ mercationem facere ſecundum uſum mercatorum. Verum-

tamen

„ tamen de victualibus extrahendis remaneat in poteſtate
„ Ducis. Vos autem nullam inſtitutionem facere debetis in
„ facto mercimoniorum que damnum vel detrimentum ge-
„ neretur hominibus Venetis: Amicos Venetiarum debetis
„ habere amicos, & inimicos Venetiarum debetis habere
„ ſicut nos, inimicos habere, & cum illis nullam treguam
„ nullamque pacem facere ſine noſtro, & noſtrorum ſucceſ-
„ ſorum conſenſu, vel ſine conſenſu Ducis: qui in illo lo-
„ co erit cum ſuo Conſilio. Laudes nobis & ſucceſſoribus
„ noſtris in Archiepiſcopatu & Epiſcopatibus decantari fa-
„ cietis quater in anno: In Nativitate Domini. In Paſca
„ Reſurrectionis. In feſto S. Marci; & in feſto majoris Ec-
„ cleſie Cretenſis. Contra interdictum noſtrum, & ſucceſ-
„ ſorum noſtrorum alicui paſſagium non concedetis: & eis
„ paſſagium non contradicetis quibus illud voluerimus da-
„ re, & quoties nos exercitum fecerimus & ſucceſſores no-
„ ſtri, debetis facere ſicut homines de Venetiis a Modone
„ ſuperius: Unusquisque veſtrum quandocunque fueritis re-
„ quiſiti, faciet ſecundum quod cuilibet noſtrum evenerit fa-
„ ciendum. Poſtquam vos intraveritis in civitate Candida
„ usque ad quatuor annos completos nihil noſtro communi
„ debetis perſolvere, ſed inde in antea menſe Septembris pro
„ unoquoque Sexterio de ſex Sexteriis debetis hic in Ve-
„ netiis ſolvere ſupraſcripto Communi yperperos quingen-
„ tos ſalvos in terra, tali quidem ordine quod unusquisque
„ miles vel pedes teneatur pro ſua portione ſicut ſibi eve-
„ nerit. Debetis etiam dare fortiam & virtutem Duci qui
„ pro nobis & ſucceſſoribus noſtris erit in civitate Candi-
„ da ad juſtitias & rationes tam de predicto redituum quam
„ de cauſis aliis poſtquam inde notitia vobis data fuerit
„ per Ducem aut ſuum nuntium: Et ſi contingerit quod
„ illuc veniremus nos vel ſucceſſores noſtri recipietis Nos
„ cum Clero Cruce precedente & debetis nos ſecundo &
„ tertio procurare ſi voluerimus. Hec omnia eſtis jure ju-
„ rando aſtricti ſervare bona fide ſine fraude & hec Sacra-

men-

„ menta omni quinto anno ſine conditione aliqua renova-
„ bitis ſi inde a Duce vel a ſuo nuntio fueritis requiſiti.
„ Et ſi ex vobis aliquis vel aliqui, qui ea non omnia ob-
„ ſervaverit que ſupradicta ſunt, tota poſſeſſio quam habe-
„ bit in Inſula debet venire in noſtro Communi. Verum-
„ tamen quod Commune Venetiarum debeat inſtruere mi-
„ lites, & pedites in locum ſuum ſicut ipſi fuerunt. Hii
„ ſunt milites de Sexterio Caſtellano Andrea Pantaleo Ni-
„ colaus Mudacio. Marinus Bonci. Marinus Venerio Joan-
„ nes de Canali filius qu. Henrici de Canali Petrus de Ca-
„ nali olim filius Joannis de Canali Petrus Mauro Leonar-
„ dus Faletro Marinus Fuſculo Jacobus Nani Marcus Ca-
„ votorta. Laurentius Signolo. Pasqualis de Puteo. Henri-
„ cus Segredo Andreas de Sacco Joannes Viviano. Et hii
„ ſunt pedites ejusdem Sexterii Joannes Treſo Pelegrinus
„ Marao. Hii ſunt milites de Sexterio S. Marci Marinus
„ Zane Marcus Vido. Michael Zancharolo Simeon de Zen-
„ tiliana. Marinus Dandulo Petrus Caucho Marcus Vilio-
„ ne Thomas Viadro Bonusfilius Dandulo Thomas Grado-
„ nico Dominicus Mauroceno Leonardus Bello Dominicus
„ Paulo Jacobus Bethani Pangratius de Canale. Et hii ſunt
„ pedites ejusdem Sexterii Joannes Conſtantinus & Michael
„ ejus filius Marinus Fuſcari Olricus Fabro Rainaldus Pe-
„ lazarius Henricus Triviſanus Marcus Rampani & Andreas
„ Vido. Marinus autem Juſto eſt miles. Hii ſunt milites
„ de Sexterio Sanctorum Apoſtolorum Leonardus Faletro
„ Benedictus Faletro Joannes Baduario Andreas Alberto
„ Marinus Foſcari Petrus Dedo Joannes Dedo Joannes Cal-
„ bo Petrus de Vanſago Rogerius Grimani Marinus Longo
„ Deodamus in Doſo Marinus Marino Juhanus Anno & hi
„ ſunt pedites ejusdem Sexterii Marcus Steno Nicolaus Hie-
„ remia Petrus Cavallaro & Leonardus Barbo.

„ Hi ſunt milites de Sexterio Dorſiduri Joannes Signo-
„ lo Pancratius Faletro Marcus Juſtinianus, Mattheus Gri-
„ mani Marcus Manoleſſo Leonardus Julio Thomas Pran-

do

„ do Joannes Barbadico Marinus Caravello Jacobus Cara-
„ vello, Joannes Habraam Marcus Grimani Leonardus Ca-
„ vallero Petrus Avolvario Marcus Dodo Marcus Minio,
„ Julianus Baraſtro Thomas Natali Petrus Rappani Petrus
„ Girardo. Et hi ſunt pedites ejusdem ſexterii Agapitus
„ Abrahamo Jacobus Grimani & Andreas Semiteculo.

„ Hi ſunt milites de Sexterio S. Pauli Petrus Toniſto
„ Marinus Contareno Benedictus Contareno Pancratius Ba-
„ roccio Joannes Aurio Nicolaus Circopo Trintinus de Va-
„ lerio Nicolaus Roſſo Marinus Vitali Stephanus Macono
„ Fuſcarus Boniolo Angelus Boniolo Marinus Petro, & hi
„ ſunt ejusdem ſexterii pedites Venerandus Vitalis Julianus
„ Alaiſtro & Petrus Donatus Sanctus Bocaſſus.

„ Hi ſunt milites de Sexterio Sanctæ Crucis Nicolaus de
„ Molino Petrus de Molino filius qu. Stephani Jacobus Ca-
„ pello, Petrus de Molino Benedictus de Molino Leonar-
„ dus Fuſculo Joannes Fuſculo Thomas Lollini Thomas
„ Bocco Jacobus Tagliapetra Nicolaus Beligno Nicolaus
„ Marano Thomas Signolo Thomas Petri Bicontolo Joan-
„ nes Ramaldo & hi ſunt pedites ejusdem ſexterii Jacobus
„ Bicontolo Jacobus Piccolo Andreas Vallero Dominicus
„ Veneno & Thomas Vallero.

„ Ego Petrus Ziani Dei Gratia Dux Venetiarum mm. ſs.
„ Ego Ottavianus Quirinus Judex mm. ſs.
„ Ego Joannes Martinatio Judex ſs.
„ Ego Rainerius Delphinus Conſiliator mm. ſs.
„ Ego Stephanus Sanudo Conſiliator mm. ſs.
„ Ego Marcus Mauroceno Conſiliator mm. ſs.
„ Ego Andreas Marignoni mm. ſs.
„ Ego Joannes Baraſtro Advocator mm. ſs.
„ Ego Philippus Juſto Camerarius mm. ſs.
„ Ego Joannes Baraſtro mm. ſs.
„ Ego Pancratius Dauro mm. ſs.
„ Ego Dominicus Delphino mm. ſs.
„ Ego Jacobus Marignoni mm. ſs.

Ego

Digitized by Google

„ Ego Benedictus Navajerio ſs.
„ Ego Thomas Fentrimio mm. ſs.
„ Ego Marcus Contareno mm. ſs.
„ Ego Daniel Theupulo ſs.
„ Ego Nicolaus Faletro ſs.
„ Ego Marinus Michaelis ſs.
„ Ego Marinus Premareno ſs.
„ Ego Nicolaus Girardo Presbyter & Notarius Ducalisque
„ Aulæ Cancellarius complevi & roboravi.

Accepto donationis diplomate Cives Veneti ad inſtituendam Coloniam deſtinati antequam in Cretam ſolverent, ſolemni inſtrumento, cui omnes inſequenti menſe Octobris ſubſcripſerunt, ea omnia ſe ſervaturos fore promiſerunt, quæ publica authoritas in conceſſionis tabula ipſi obſervanda, & peragenda mandaverat. Patent autem hæc ex ſequenti documento.

In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Anno Domini MCCXI. Menſis Octobris Indict. XV. Rivoalti.

„ Poſt conceſſionis cartam factam infraſcriptis ann. & In-
„ diction. menſe vero Septembris nuper tranſacto de tota In-
„ ſula veſtra Cretenſe quam vos Domine noſter Petre Ziani
„ Inclyte Dux Venetiarum Dalmatiæ atque Croatiæ quarte-
„ que partis & dimidie totius Romaniæ Imperii Dominator
„ cum veſtris judicibus & Sapientibus Conſilii collaudatione po-
„ puli Venetiarum cum noſtris ſucceſſoribus nobis inde feciſtis
„ veſtris fidelibus militibus de ſexterio Sanctæ Crucis Nicolao
„ de Molino Petro de Molino filio qu. Stephani de Molino
„ Jacobo Capello Petro de Molino Benedicto de Molino Leo-
„ nardo Fuſculo. Joanni Fuſculo Thomæ Lollino Thomæ
„ Bocco Jacobo Tajapetra Nicolao Beligno Nicolao Mai-
„ rano Thomæ Signolo Petro Bencontolo & Joanni Rai-
„ naldo: Nobisque ejusdem Sexterii peditibus Jacobo Be-
„ contolo Joanni Becontolo Jacobo Picollo Andreæ Valero
„ Dominico Venero Thomæ Valero & his omnibus de aliis

Sexte-

„ Sexteriis quorum nomina cum nominibus noſtris inſimul
„ ſcripta habentur inferius in conceſſione ipſa & illis quos
„ Dux cum majori parte Conſilii, qui per vos erit ibi per
„ ſuæ conceſſionis cartam nobis duxerit ſociandos qui om-
„ nes ſimul eſſe debemus milites centum & triginta duo,
„ & pedites quadrigenti octo noſtrisque & eorum hæredi-
„ bus, ac pro hæredibus in perpetuum excepto a Tartaro
„ usque ad Fraſcheam ſecundum quod extenditur juxta mare
„ ex hac parte, & hoc eſt unum caput, Aliud caput eſt
„ Themalum, & ab ipſo Themalo de foris verſus Orien-
„ tem recto tramite uno miliario ab aliis parte ipſius The-
„ mali verſus Occidentem recto tramite & a Fraſchea, usque
„ ad ſupraſcriptum unum miliarium verſus Orientem & Au-
„ ſtrum, atque Occidentem circumquaque miliario uno cum
„ Civitate Candida, in ſupraſcripto Caſtello Themalo, &
„ cum omnibus quæ continentur infra deſignatum. Hanc-
„ que in nobis Communique benedictione remanent, & ex-
„ cepto ſi argentera in Inſula ſupradicta inventa fuerit: &
„ fluvius qui aurum ducat, quæ omnia ſimiliter eſſe debent
„ de Communi Venetiarum manifeſti exiſtimus infraſcripti
„ milites & pedites de iſto Sexterio S. Crucis cum noſtris
„ hæredibus ac pro hæredibus in perpetuum quia ſicut con-
„ tinetur in ſupraſcripta conceſſione cartis quod reliquum ſu-
„ praſcriptæ totius Inſulæ cum cæteris militibus & pediti-
„ bus de ſupraſcriptis Sexteriis ut dictum eſt noſtri juris
„ eſſe debet: Ita tamen quod unusquisque noſtrum miles
„ de ſupraſcriptis militibus ſex partes poſſideat, & quilibet
„ pedes unam partem tantum. Debemus Inſulam ſupradi-
„ ctam cum aliis ſexteriis habere ſupraſcriptis præter illa
„ quæ exceptata ſunt omni longitudine & latitudine ſua, po-
„ teſtate plena habendi, tenendi, vendendi, donandi, com-
„ mutandi & in perpetuum poſſidendi, & quidquid inde no-
„ bis placuerit faciendi nullo nobis homine contradicente.
„ Preterea etiam in civitate Candida terras, vel caſas ha-
„ bere debemus convenientes, quas unicuique noſtrum ſicut

„ decebit, Dux qui erit ibi cum ſuo conſilio deſignare
„ & dare debet ſecundum providentiam ſuam, ſimiliter de-
„ bemus habere prata pauca vel multa per herbam ac fe-
„ num pro equis paſcendis & pro aliis animalibus ſecun-
„ dum providentiam Ducis & conſilii ſui. Sciendum tamen
„ eſt, quod poſſeſſiones noſtras nec vendere nec alienare de-
„ bemus niſi Venetis, & eis etiam non ſine conſenſu Ducis
„ & majoris partis Conſilii. Sumus autem vobis vinculo fi-
„ delitatis aſtricti, & ſalvare Inſulam ſupraſcriptam & eam
„ cuſtodire manutenere & defendere contra omnem homi-
„ nem ad honorem veſtrum & ſucceſſorum veſtrorum, &
„ Venetorum, & ſic ſe debebunt aſtringere filii noſtri vel
„ ſucceſſores poſt deceſſum noſtrum infra unum annum ſi
„ ætatem habuerint, & ſi ætatem non habuerint debebunt
„ dimittere hominem in loco ſuo usque dum pervenerint
„ ad ætatem in providentia Ducis, & majoris partis Con-
„ ſilii; Alii videlicet noſtri hæredes vel ſucceſſores, qui il-
„ las noſtras poſſeſſiones habebunt, & illi in quibus erunt
„ alienate vobis & ſucceſſoribus veſtris. Debemus autem
„ Nos milites videlicet unusquisque ex nobis, & illi qui
„ poſſeſſiones habebunt, ut ſupra dicitur, equum unum de
„ armis, & alias duas equitaturas & ſcutiferos duos. Simi-
„ liter debemus habere unusquisque de nobis militibus os-
„ bergum, aut panceriam cum capirone & aliis, arma ſicut
„ decet pedititibus armatus eſſe debet, ſicut convenit. Ec-
„ cleſias autem omnes ſupradictæ Inſulæ habere liberas, &
„ miniſtros earum ſed de poſſeſſionibus ipſarum ſic eſſe de-
„ bet ſicut Dux ſtatuerit cum ſuo Conſilio. De facto Lay-
„ corum Græcorum tam in perſonis, quam in mobilibus eſ-
„ ſe debet in providentia Ducis & ſui Conſilii. Homines
„ vero Venetiarum debemus in ipſa tota Inſula ſalvos &
„ ſecuros habere in perſonis & rebus, & ſine ulla exactio-
„ ne & datione ſimiliter & Servitores eorum eundo & re-
„ deundo. Et ſi contingerit alicui Venetorum damnum fie-
„ ri in ipſa Inſula dabimus operam ut recuperet ſua bona

bona

„ bona fide & ſine fraude, debent homines de Venetiis habere liberam poteſtatem extrahendi omnia mercimonia quecunque voluerint de Inſula ipſa ſine ulla contrarietate. Et nos milites & pedites ibi conſtituti habere debemus poteſtatem libere mercationem facere ſecundum uſum mercatorum. Verumtamen de victualibus extrahendis remaneat in poteſtate Ducis. Nullam autem inſtitutionem facere debemus in facto mercimoniorum quæ damnum vel detrimentum generet hominibus Venetis: Amicos Venetorum habere debemus amicos, & inimicos Venetorum debemus nos habere per inimicos, & cum eis nullam treguam nullamque pacem facere debemus ſine veſtro & veſtrorum ſucceſſorum conſenſu, vel ſine conſenſu Ducis, qui in illo loco erit cum ſuo Conſilio. Laudes vobis & veſtris ſucceſſoribus in Archiepiſcopatu & Epiſcopatibus decantari faciemus quater in anno. In Nativ. Domini. In Paſca Reſurr. In feſto S. Marci, & in feſto majoris Eccleſiæ Cretenſis. Contra interdictum veſtrum, & ſucceſſorum veſtrorum alicui paſſagium non concedemus, & eis paſſagium non contradicemus quibus illud volueritis dare & quotiens vos exercitum feceritis & ſucceſſores veſtri faciemus ſicut homines de Venetiarum a Modone ſuperius: Unusquisque noſtrum quandocunque fuerimus requiſiti ſecundum quod cuilibet noſtrum evenerit faciendum. Sciendum quidem eſt quia poſtquam intraverimus in civitate Candida usque ad quatuor annos completos nihil communi Venetiarum debemus perſolvere, ſed inde in antea menſe Septembris pro noſtro Sexterio debemus hic in Venetiis ſolvere ſupraſcripto Communi yperperos quingentos in terra ſalvos tali quidem ordine quod unusquisque miles & pedes de noſtro Sexterio teneatur pro ſua portione ſicut ſibi evenerit, debemus etiam dare fortiam & virtutem Duci, qui pro nobis & ſucceſſoribus noſtris erit in civitate Candida ad juſtitias & rationes complendas tam de prædicto reditu pro noſtro Sexterio quam de redditibus quos commu-

„ ni Veneciarum debent alii Sexterii quam de cauſis aliis
„ poſtquam inde nobis notitia data fuerit per Ducem aut
„ per ſuum nuntium, & ſi contingerit quod illuc venire-
„ tis vel ſucceſſores veſtri recipiemus vos cum Clero Cru-
„ ce precedente & debemus vos ſecundo & tertio ſi vo-
„ lueritis procurare. Hæc omnia ſumus jurejurando aſtri-
„ cti ſervare bona fide ſine fraude & hæc Sacramenta om-
„ ni quinto anno ſine conditione renovabimus ſi inde a Du-
„ ce vel a ſuo nuntio fuerimus requiſiti. Et ſi ex vobis ali-
„ quis vel aliqui ea omnia non obſervaverint, quæ ſupra-
„ ſcripta ſunt, tota poſſeſſio quam habebit in ipſa Inſula
„ debet venire in noſtro Communi Veneciarum. Verumta-
„ men quod Commune Veneciarum debeat inſtruere milites,
„ & pedites in locum ſuum ſicut ipſi fuerunt. Signum ſu-
„ praſcripti Thomæ Limini qui hæc rogatus fieri.

„ ✠ Ego Nicolaus de Molino mm. ſs.
„ ✠ Ego Leonardus Fuſculo mm. ſs.
„ ✠ Ego Jacobus Rapello mm. ſs.
„ ✠ Ego Nicolaus Mayrano mm. ſs.
„ ✠ Ego ſignum ſupraſcripti Joannis Rainaldo mili-
„ litis qui hæc rogatus fieri.
„ ✠ Ego Benedictus de Molino mm. ſs.
„ ✠ Ego Joannes Fuſculo mm. ſs.
„ ✠ Ego Petrus Becontolo mm. ſs.
„ ✠ Ego Petrus de Molino mm. ſs.
„ ✠ Ego Petrus Tajapetra mm. ſs.
„ ✠ Ego Thomas Bocco mm. ſs.
„ ✠ Ego Nicolaus Bilongo mm. ſs.
„ ✠ Ego Thomas Signorello mm. ſs.
„ ✠ Ego Petrus de Molino mm. ſs.
„ ✠ Ego Daniel Theupulo tt. ſs.
„ ✠ Ego Joannes Natalis tt. ſs.

„ Signum ſupraſcripti Joannis Becontolo qui hæc roga-
„ tus fieri.

„ Signum ſupraſcripti Dominici Venero peditis qui hæc
„ rogatus fieri. Ego

„ Ego ſignum ſupraſcripti Jacobi Picollo peditis qui hæc „ rogatus fieri.
„ Ego Thomas Valero mm. ſs.
„ Ego Joannes Becontolo mm. ſs.
„ Ego Nicolaus Girardus Presbyter & Notarius Ducalis „ Aulæ Cancellarius complevi & roboravi.

His in urbe Venetiarum ex publica diſpoſitione firmatis, inſtitutæ Coloniæ viri Cretam appulſi a Jacobo Theupulo Ducha excepti fuerunt, qui eis deinde oppida & prædia ita partitus eſt, ut uniuscujusque regionis, ſeu ſexterii Venetiarum cives certa, & ſeparata loca obtinerent. Tum ſingulis ſexteriis virum nobilem, & prudentem, quem Capitaneum appellavit, ſui muneris authoritate præfecit, ut loca ſingulis ſexteriis aſſignata in militias XXXIII. & unam tertiam partem dividerent, quæ deinde militiarum partes ducta ſorte in privatorum jura tranſirent. Qui autem fuerint hi ſexteriis præfecti Capitanei, quæve loca ſingulis ſexteriis obtigerint, ex alibi memorato Andreæ Cornelii Chronico ms. addiſcimus, in quo hæc habentur Italico idiomate exarata.

Canaregio, o S. Apoſtolo.

Settia Gerapetra Mirabello & Laſiti con tutte le ſue habentie e pertinentie de Militie ſive Cavallarie XXXIII. e uno terzo è del Seſtier de Canaregio ſive S. Apoſtolo. Fu capo e partitor il Nob. Homo ſ. Lunardo Falier per divider e dar a cadauno del detto Seſtier la ſua parte.

S. Mar-

Canalis Regius ſive Sanctorum Apoſtolorum.

Sethia Jerapetra Mirabellum & Laſitis cum omnibus ad ipſa loca pertinentibus Militiarum ſeu Equitatuum XXXIII. & unius tertiæ partis ſpectant ad Sexterium Canalis Regii ſeu SS. Apoſtolorum. Caput & diviſor fuit Nobilis vir Dominus Leonardus Faletro, ut loca divideret, & ſuam cuique debitam partem dicto Sexterio aſſignaret.

S. Mar-

Digitized by Google

S. Marco.

Caſtel Belvedere con tutte &c. & Pediata & Peſocunava de Militie ſive Cavallarie 33. e un terzo e del Seſtier de San Marco capo & partidor il N. H. ſ. Marin Zuſto per divider &c.

S. Marcus.

Caſtrum Belveder nuncupatum cum omnibus &c. Pediata & Peſocunava Militiarum ſeu Equitatuum XXXIII. & unius tertiæ partis ſpectant ad Seſterium S. Marci, cujus caput & diviſor eſt Nob. Vir D. Marinus Zuſto, ut &c.

S. Croſe.

Caſtel Boniſatio con tutte &c. Caſtel Novo e Priotiſſa de Militie ſive Cavallarie 33. e un terzo vien al Seſtier de S. Croſe, capo & partidor il N. H. ſ. Lunardo Foſcolo per divider &c.

S. Crux.

Caſtrum Boniſatii cum omnibus &c. Caſtrum Novum & Priotiſſa Militiarum ſeu Equitatum XXXIII. & unius tertiæ partis attinent ad Sexterium S. Crucis, cujus caput & diviſor eſt Nob. Vir D. Leonardus Fuſculo, ut &c.

Caſtello.

Caſtel Milopotamo Ario e Sicarito con tutte &c. de Militie ſive Cavallarie 33. e un terzo al Seſtier de Caſtello, capo e partidor il N. H. ſ. Andrea Pantalon per divider &c.

Caſtellum.

Caſtrum Milopotamum, Arium, & Apanoſiurite cum omnibus &c. Militiarum ſeu Equitatuum XXXIII. & unius tertiæ partis obtingunt Sexterio Caſtelli, cujus caput & diviſor eſt Nob. Vir D. Andreas Pantaleo, ut &c.

S. Po.

S. Pau-

Digitized by Google

S. Polo.

Calamona Caſtel Siurito & Pſiro con tutte &c. de Militie ſive Cavallarie 33. e un terzo del Seſtier de S. Polo capo e partidor il N. H. ſ. Piero Querini per divider &c.

S. Paulus.

Calamona Caſtrum Catoſiuriten & Pſichium cum omnibus &c. Militiarum ſive Equitatuum XXXIII. & unius tertiæ partis attinent ad Sexterium S. Pauli, cujus caput & diviſor eſt Nob. Vir Dom. Paulus Quirinus, ut &c.

Dorſoduro.

Cuffo Cama Chiſſamo Orna con tutte &c. de Militie ſive Cavallarie 33. & un terzo vien al Seſtier de Dorſoduro capo e partidor il N. H. ſ. Pangratio Falier per divider &c.

Dorſumdurum.

Cuffo, Cama, Chiſſamus, & Unicornum cum omnibus &c. Militiarum ſive Equitatuum XXXIII. & unius tertiæ partis ſpectant ad Sexterium Dorſiduri, cujus caput & diviſor eſt Nob. Vir Dom. Pancratius Phaledro, ut &c.

Quod autem hi Sexteriis Præfecti Capitanei vocarentur ex alio documento antiquo addiſcimus, in quo hæc notata leguntur:

„ Hæc eſt diviſio prima quæ facta fuit de tota Inſula „ Cretæ tempore diſcreti viri Dom. Jacobi Theupoli Du„ chæ Cretenſis, qui ex præcepto Illuſtris Petri Ziani Du„ cis Venetiarum ad Cretam miſſus fuit. Concurrente an„ no Domini MCCXII. Indict. I. (*Indictio incœperat a Kal. Septembris*).

„ Sithea Jerapetra & Laſithi cum omnibus ſuis haben„ tiis & pertinentiis Militiæ XXXIII. & tertia pars. hic „ eſt ſexterium unum venit ad Sanctorum Apoſtolorum, fuit

„ fuit Capitaneus Vir Nobilis Dominus Leonardus Faletro
„ major.

„ Caſtellum Belveder cum omnibus ſuis pertinentiis cum
„ Pediada & Peſſocunaya Militiæ XXXIII. & tertia venit
„ ad S. Marcum. Capitaneus vir Nobilis Marinus Juſto.

„ Bonifatio cum omnibus ſuis pertinentiis ſexterium unum
„ Militiæ XXXIII. & tertia cum Caſtello novo & Meſſarea
„ venit ad S. Crucem. Capitaneus vir Nobilis Dom. Leo-
„ nardus Fuſculo.

„ Millopotamum Ario & Panoſiurito cum omnibus ſuis
„ pertinentiis Militiæ XXXIII. & tertia ſexterium unum
„ venit ad Caſtellum. Capitaneus vir Nobilis Dom. An-
„ dreas Panthaleo.

„ Calamona Catoſiurito & pyſchro cum omnibus ſuis per-
„ tinentiis Militiæ XXXIII. & tertia venit ad S. Paulum.
„ Capitaneus Nob. Vir D. Petrus Quirino.

„ Cuſſo Cama Kiſſamo Orna cum omnibus ſuis pertinen-
„ tiis Militiæ XXXIII. & tertia venit ad Dorſoduro. Capi-
„ taneus Nob. Vir Dom. Pancratius Faletro de S. Pantaleone.

Nec prædia ſolum & caſalia, ſed & ruſtici quoque agrorum cultores ita inter inſtitutæ coloniæ viros partiti fuerunt, ut unicuique ex equitibus vigintiquinque ruſtici (eo tempore tamquam captivi habiti) obtingerent, quorum labore conceſſi agri excolerentur. Qui autem fuerint hi ruſtici, & infelicis eorum conditionis originem non abs re erit indicare. Quo tempore bellica Nicephori Phocæ virtus Imperio C. P. Cretenſem Inſulam a Barbaris occupatam recuperavit, Agareni ſeu ex conflictu ſuperſtites, ſeu in variis Inſulæ locis degentes a Græcis remiſſa mortis pœna in captivitatem redacti fuerunt hac lege, ut ipſi & exinde nati natorum in perpetuum tamquam mancipia terras in Græcorum utilitatem exercerent.

Dum itaque in ſumma (ad ſpeciem) rerum tranquillitate Equites Veneti ad conceſſa ſibi Caſalia deſcendunt, ruſticisque ſubditis terras colendas partiuntur, quidam Græ-

ci

ci urgente eos in primis nobili ac præpotenti viro ex familia Ageoſtephanite, tumultuaria ſeditione excitata, irruerunt intempeſta nocte ſuper Venetos, qui apud Laſſitim caſtrum agros acceperant, pluribusque eorum trucidatis reliquos carceri addixerunt. Creſcente deinde in dies ex feroci nationis ingenio rebellium turba Sithiam & Mirabellum caſtra invadunt, plurimisque Inſulæ viris imperium Venetorum pervicaciter abnuentibus in ſceleris conſortium pertractis apertum bellum Duci Theupulo & Venetis inferunt. Rei novitate & ingenti rebellium turba perterrefactus Theupolus ad frænandam facilius Græcorum audaciam Marcum Sanutum, qui Nixiam & Parium aliasque Ægeipelagi Inſulas in diviſione Imperii C. P. occupaverat, in præſens belli auxilium per nuncios evocat. Ille ſeu patriæ ſtudio, ſeu concepta ex rerum vicibus magni facinoris ſpe, plurimis ſtipatus militibus in Cretam deſcendit, ſociatisque Theupolo viribus non ſine pluribus difficillimis conflictibus rebelles compreſſit, & profligavit. Atque iis quidem motibus repreſſis, ad quietem univerſa Cretæ Inſula redacta videbatur, cum novo eoque graviore periculo Veneti Dominii authoritas in Regno nutare cœpit ex Sanuti ambitione, qui victoria elatus, ſuisque fretus copiis de Inſulæ Dominatione ſibi avocanda ſpem cœpit.

Diſcordia itaque adverſus Ducem excitata, & inanem præſeferens deficientis annonæ cauſſam, milites primum turmatim ſummiſit, ut pane, quem emerent, non invento prima ſeditionis ſemina jacerent: mox aperte, & larva detracta, Cretenſibus Græcis ultro opem ferentibus, Civitatem Candiam, ſeu, ut alii ſcribunt, Cydonem occupavit. Theupulus improviſo tumultu perterritus fuga ſibi conſuluit, & Themenum in oppidum munitiſſimum ſe recepit, unde nuntios de audaci Sanuti facinore, deque ſubita Inſulæ defectione Venetias miſit. Iis auditis Senatus coactas conſeſtim terreſtres maritimasque copias, Dominico Quirino & Sebaſtiano Bethanico earum regimini præfectis, in Cretam miſit una

cum Petro Quirino deſignato Theupuli ſucceſſore. Claſſe igitur ad Cretæ oras proſpero itinere appulſa Theupulus animo erectus Themeno oppido prodiit, & caſtrum Apanoſicuritem primo impetu oppugnavit, mox Sanuto ad Ægeipelagi Inſulas ex metu reverſo Inſulam ſub imperio recepit. Rem breviter complexus eſt Dandulus in Chron. l. X. c. IV. par. XVIII. *Dum caſalia aſſignantur Græcus quidam nomine Agioſtephaniti cum complicibus ſuis rebelles effecti Suchiam & Mirabellum arripiunt. Duchas tunc Marcum Sanuto Ægeipelagi coadjutorem poſtulat, & XXX. militias illis depreſſis rebellibus, dare promiſit, cum quo applicato fugatis Græcis dimiſſa fortalitia recuperavit, promiſſaque Coadjutori perficere renuens de Palatio ſub cuſtodia ejicitur, ſed poſtea clam evadens Themanum introivit & cum ſuſcepto ſubſidio Marcum Sanutum promiſſis renuntiare, & Inſulam exire coegit.* Ex his Danduli verbis culpam rebellionis a Marco Sanuto depellere nonnulli ſcriptores conantur, exortosque civilis belli motus aſſerunt ob denegatam a Theupulo pactam mercedem, quam militari labore, & ſuarum copiarum ſanguine Sanutus promeruerat.

Nec leve quidem ad hujus aſſerti veritatem argumentum videri poteſt, quod Reſpublica Veneta nullam de Sanuto pœnam, cum cæteroquin id facillime poſſet, ſumere voluit, immo in aliquibus mss. chronicis extat inſtrumentum, quo pax inter Theupulum, & Sanutum ſancita fuit, perinde ac ſi de privatis inter ipſos controverſiis actum ſolummodo eſſet.

Revera tamen Sanutum criminis expertem non fuiſſe eruimus ex Laurentio de Monachis in ſuo rerum Venetarum ms. Chron. qui, ut optime notat Clar. Vir Marcus Fuſcarenus Proc. in libro cui titulus *Della Letteratura Veneziana*, in rebus Cretenſibus exarandis & diligentia & ſinceritate plurimum valuit. Sic ille rem totam accuratiſſime exponit.

„ Ea tempeſtate quidam Greci cognominati Agioſtefan-
„ ti ex inſita animi levitate rebelles facti Mirabellum Si-
„ thiamque occupant. Contra hos Jacobus Theupulus Ducha

„ cha vocat in auxilium Marcum Sanutum Venetum Do-
„ minatorem Inſularum Egeopelagi, prehabitisque ad invi-
„ cem certis conventionibus compulerunt rebelles egredi in-
„ ſulam. Mox ſuborta inter victores quadam ſcintilla di-
„ ſcordie, & inflammata graviter per quemdam Sevaſto
„ Scordilli obſervatur opportunitas temporis ad ſubverten-
„ dum Inſule ſtatum. Die ergo quadam de menſe Junii,
„ dum platea careret pane venali propter gentes Marci Sa-
„ nuti fingentes ſe hac neceſſitate moveri, conclamatum eſt
„ ad arma; moxque auxiliantibus Grecis capitur civitas,
„ & invaſo palatio, Ducha qui de domo Marci Toniſto ubi
„ erat, in veſtitu muliebri ſe demittens de muris civitatis
„ intravit in Themenum fortiſſimum oppidum, & ſe ibi
„ munivit. Marcus Sanutus, qui ſi in jure fuiſſet querel-
„ lam ad Ducem Venetiarum debito fidelitatis deferre de-
„ bebat, & ſtare judicio patrie ſue, & non concitare Cre-
„ tenſes ad rebellionem, oblitus beneficiorum Venetorum, &
„ quod ſtatus ſuus in Egeopelago ſub umbra Venete po-
„ tentie firmabatur, dimiſſis ad cuſtodiam Candide Stefano
„ Sanuto, & Deuteſalvet de Bononia cum multis Grecis
„ & Latinis equitavit hoſtiliter ad occupandas civitates &
„ caſtra Inſule. Jacobus Ducha factus fortis in Themeno,
„ dum in ejus auxilium multi fideles concurriſſent, ſtre-
„ nue ſe geſſit contra emulum, montemque fortem, & La-
„ ſithi recuperavit. Interea ad portum Chalilimiones appli-
„ cuerunt D. Quirino, & S. Bethani Legati Ducis Venetia-
„ rum, & cum illis P. Toniſto, & D. Davanzago in auxi-
„ lium Duchæ cum copia equitum, peditum, baliſtrario-
„ rum equorum armorum & pecunia, quo ſultus Ducha
„ movit a Themeno, & quemdam fortiſſimum, & muni-
„ tiſſimum locum vocatum Apanoſiurite occupavit, ibique
„ cum exercitu ſe firmavit, & caſtrum quoddam edifica-
„ vit. Marcus autem prope locum occupatum per Ducham
„ quoddam ſpecu cujusdam arduiſſimi montis conſcendit,
„ & ibidem ſuis collectis gentibus trepide morabatur. Ten-

„ tavit Duchas inſtructa acie congredi cum ipſo Marco, qui „ utpote viribus inferior recuſabat, ſperans quia magiſtra- „ les tenebat civitates & municipia quamplurima, & ab „ Inſulis ſuis quotidianum ſuſcipiebat auxilium, cunctando, „ & morando conterere vires Duche, & tandem ipſum fa- „ me expellere de Inſula. Ducha, ut ipſe ſcripſit, Duci „ Venetiarum advertens quod propter difficiles valles, & „ impervia loca interjacentia ipſum non poterat agredi, „ neque perſequi, munito caſtro per eum edificato rever- „ titur Themenum, ibique conſilio habito, noctu cum exer- „ citu venit ad civitatem, & illam diluculo ſcalis muris ap- „ poſitis nulla humani ſanguinis effuſione recuperavit, po- „ ſuitque in vinculis Stefanum Sanuto, & Deuſteſalvet, & „ quamplures alios de Grecis Latinisque rebellibus; caſtrum „ tamen Belvideris, & que ſunt a caſtro Milopotami usque „ ad punctam ſpade adhuc erant in poteſtate rebellium. „ Tandem dictus Marcus Sanutus diffiſus viribus ſuis inito „ concordio & habito paſſagio a Ducha unius ligni unius „ galee, & unius uſſerii, & arbitrio navilicandi alia navi- „ gia, reſignatis Duche omnibus civitatibus & caſtris, que „ occupaverat, regreditur ad Inſulas ſuas, & Creta in quie- „ te permanſit.

Manifeſtum itaque eſt ex tanto ſcriptore, Marcum Sanutum in hiſce Cretenſis Provinciæ perturbationibus culpa rebellionis & gravi quidem haud vacaſſe, quod ſi ad liberam diſcedendi facultatem ei conceſſam, & alias inter ipſum & Theupulum Ducham initas conventiones deventum eſt, id locorum temporumque circumſtantiis, & reſtituendæ quietis deſiderio, potius quam aſſertæ Sanuti innocentiæ tribuendum omnino videtur. Firmatas utrinque conventiones licet nulla chronica nota ſignatas exhibemus ex antiquo codice ms. in quo multa hujuſce generis documenta ab indocto tamen amanuenſi exarata continentur.

Hoc

Digitized by Google

Hoc eſt pactum quod fecit Dominus Jacobus Theupulo Duca Crete cum Domino Marco Sanuto ut exiret de Inſula Crete.

„ In Nomine Domini Dei Eterni Amen hec pax que Do-
„ mino concedente debet fieri inter Dominum Ducam, &
„ illos de ſua parte, & Dominum Marcum Sanuto & illos
„ de ſua parte. In primis enim omnes milites & ſergentes
„ de parte Domini Ducis qui habent partem in Inſula Cre-
„ tenſi debent jurare pacem & finem Domino Marco Sa-
„ nudo & illis de ſua parte de omni offenſione & malefi-
„ ciis que acciderunt in Inſula Cretenſi in diebus iſtis vi-
„ delicet & qui ad preſens ſunt in hac Inſula & ſi aliquis
„ militum vel Sergentum qui in Inſula ſunt noluiſſet face-
„ re hoc Sacramentum Dominus Duca debet ei percipere
„ diſtricte per Sacramentum cum majore parte ſui Conſilii
„ ubi hoc Sacramentum facere debeat: Et Dominus Mar-
„ cus Sanudo cum omnibus de ſua parte qui ſunt in hac
„ Inſula quos Dom. Duca vel miſſus inquiſierit debent facere
„ ſimile Sacramentum quod factum eſt de jurare pacem,
„ & finem Domino Duci, & illis de ſua parte, & ſi ali-
„ quis ex parte Domini Ducis fuiſſet rebellis facere hoc Sa-
„ cramentum Dominus Marcus cum ſuis non debet eis te-
„ neri de hac pace, & Dominus Marcus Sanuto debet eli-
„ gere ſeptem nobiles & legales homines de illis Dom. Du-
„ cis in poteſtate quorum debet dare & reſignare ſeptem
„ Caſtella que per ipſum Marcum tenentur & totam ter-
„ ram cum omnibus pertinentiis eorum; qui Caſtellani de-
„ bent facere juramentum aſtricti cuſtodire varentare ſalva-
„ re predicta Caſtella ad honorem Domini Ducis Venetia-
„ rum usque ad annum unum proximum venientem & inde in
„ antea usque ad annum unum vel plures prout ex pre-
„ cepto Domini Ducis & dicti Caſtellani eſſe ſimiliter aſtri-
„ cti bona fide debent habere & invenire illos homines &
„ tantos & quantos bene poſſint cuſtodire & conſervare ad
„ honorem Domini Ducis quia ſimiliter debent eſſe aſtricti

ſal-

„ ſalvare cuſtodire & manutenere dicta Caſtella ad honore
„ rem Domini Ducis Venetiarum & ſimiliter debent eſſe
„ aſtricti obedire omnino mandatis Domini Ducis Venetia-
„ rum usque ad dictum terminum ſuperius deſignatum, qui
„ Caſtellani debent eſſe aſtricti recoligere omnes redditus
„ & fructus, atque eos dividere per medietatem unam par-
„ tem debent in ſe retinere, & munire Caſtella & pro obe-
„ dire iisdem preceptis Domini Ducis, & aliam vero me-
„ dietatem debent dare Domino Duci, & militibus, & om-
„ nes milites, & Sergentes tam Latini quam alii de parte
„ Domini Marci debent habere ſuum Dominicatum ſemi-
„ natum clare factum per ſacramentum, & Sabbato ventu-
„ ro Marinus Cornarius debet hic in civitate tenere fidem
„ per ſacramentum de Caſtello Milopotami vel Bonreparii
„ usque ad tertiam feriam per totum diem, ipſa vero die
„ Dominus Marcus Sanuto debet dare & liberare dictum
„ Caſtellum in poteſtate Domini Ducis, & Dominus Uber-
„ tinus Mauroceno debet eſſe obſes, quousque Caſtellanus
„ fuerit in poſſeſſione collocatus & intraverit. Debet habe-
„ re in ipſo Caſtello de equis Communis Dominus Marcus
„ quales voluerit eligere de comuni cum ſella & frenis eo-
„ rum, & dicti Caſtellani deliberare & dare Dom. Marco
„ dictos preſonerios quando de Inſula exierit; & ille Ca-
„ ſtellanus cum omnibus qui erunt in ipſo Caſtello debent
„ eſſe adſtricti, & ſi Dominus Marcus voluerit obſervare
„ hoc pactum ſuperius & inferius deſignatum, debet ip-
„ ſe Caſtellanus reddere ipſi equos & preſonerios qui ſunt
„ in poteſtate Domini Ducis, & ſi Dominus Ducha volue-
„ rit ſimiliter hoc pactum, debet Dominus Duca galeam
„ contiare & preparare convenienter cum ſartio toto de com-
„ muni & velas & coredos & aliam galeam parvam debet
„ Dominus Ducha dare cum ſartio ejus, & Dominus Mar-
„ cus debet illas preparare, & Dominus Duchas debet da-
„ re Domino Marco Sytiam (*forteſſe eſt genus parvæ na-*
„ *vis*) de Dom. Stephano Adaraldo, & Cochilateam (*aliud*

for-

Digitized by Google

„ *forteſſe genus ratis*) que fuit Coradi cum ſartio & core-
„ do eorum & platida de guido Danielis, & aliam plati-
„ dam (*tertium forteſſe genus navis*) de communi ſi inven-
„ te fuerint, & Dominus Marcus debet habere poteſtatem
„ comperandi, vel naulicare navilium ſine aliqua contrarie-
„ tate. Item debet dare Dominus Ducha Domino Marco
„ mille quingentos yperperos, & alios mille yperperos in
„ aureos vel in alia cauſa quos Dom. Marcus debet tollere
„ a Grecis qui in partibus, que per ipſum tenentur, ſunt
„ & diſtricti per iſtum Sacramentum & XX. Arcondes de
„ Inſula Cretenſi debeant habere poteſtatem exire de Inſu-
„ lis cum ſuis bonis cum voluntate ipſorum, & non vio-
„ lenter & debet extrahere unusquisque eorum unum equum
„ ſi habent etiam de illis, & de omnibus aliis animalibus
„ poteſtatem habere debeant vendere ad grecos & non ad
„ latinos & ſuas cauſas recommendare debet cui voluerit
„ ad latinos & grecos & Dominus Marcus debet habere tria
„ millia miſuras frumenti, & duo milia menſuras ordei quod
„ frumentum & ordeum debet habere de partibus, que te-
„ nentur per Dominum Marcum & illa non debebit tolle-
„ re de bonis grecorum fraudulenter nec ſtando nec exeun-
„ do de inſula nec ipſe nec ſua gens exceptis cauſis omni-
„ bus que ſcripta videntur in hoc ſcripto & Dom. Marcus
„ debet manere in Inſulis de terra cum ſua gente compe-
„ tente usque ad feſtum Sancti Petri proximum venturum
„ & ſi Dominus Marcus non potuerit expedire usque ad
„ feſtum ipſius Sancti Petri debet ſtare ipſe Dominus Mar-
„ cus poſt ipſum terminum quindecim dies cum voluntate
„ Domini Ducis & ſui Conſilii pro expedire eum cum
„ ordine ſupraſcripto, & ſimiliter vivere de terra ipſa &
„ dictum navilium debet recipere Dominum Marcum ad
„ Civitatem vel ad Fraſcheam excepta galea parva de
„ Deuteſalvet & platida de Guido Danielis, & pro Mi-
„ lopotamo vel Bonriparo debet dare Dominus Duca ad
„ Dominus Marcum IIII. preſonerios de illis, qui remanent

in

„ in Civitate & ccc. yperperos & per Sanctum Nicolaum
„ debet dare Dom. Ducha IIII. preſonerios & ccc. yper-
„ peros & per Sanctum Georgium IIII. preſonarios & ccc.
„ yperp. & alii preſonarii de parte Domini Ducis qui ſunt
„ in poteſtate Dom. Marci debent dari cum ordine tali quales
„ ſunt quindecim de parte Dom. Marci niſi forte tempus an-
„ te veniſſet, & termino quo redentur de parte Dom. Marci
„ debent reddere illi de parte Domini Ducis.

„ Sciendum eſt ante quod Dom. Albertinus Maurocenus &
„ Vivianus Foſcharenus qui ſunt obſides quando Dom. Mar-
„ cus debet reddere Caſtella Domino Duci & illa conſignare,
„ & ſi ſupradicta non obſervaverint predicti Caſtellani te-
„ nentur facere notitiam ad Dom. Ducam, & ſi Dom. Duca
„ adhuc noluerit obſervare ſupradicta, tunc tenentur reſuta-
„ re predicta Caſtella in manu Domini Marci & ſi infra con-
„ ſtitutum pro hoc terminum Sancti Michaelis & inde antea
„ usque ad unum annum ſupradicta non obſervaverint predi-
„ cti Caſtellani tenentur reddere dicta Caſtella in poteſtate
„ ipſius vel ejus nuntio, reddendo Domino Marco omniaque a
„ Domino Duca habuerint. Inſuper debet habere poteſtatem
„ Dominus Marcus revertere in inſula Cretenſi, ſi contra
„ Ducham fortiam voluerint facere Caſtellani, & omnes de
„ Caſtellis Dominus Ducha & illi de ejus parte & Dom. Mar-
„ cus & illi de ſua parte debent eſſe aſtricti dare fortiam &
„ vigorem. Ubi nulla fortia ſit, & Dom. Marcus non debet re-
„ vertere in Inſula Cretenſi, niſi per datam parabolam Dom.
„ Duci Venetiarum, neque ſua gens fraudulenter, niſi tantum
„ per ordinem ſuperius deſignatum. & Domino Duca cum
„ omnibus militibus & ſergentibus qui habent partem in
„ Inſula Crete, qui ad preſens & in jamdicta Inſula ſunt,
„ debent eſſe aſtricti in omnibus obedire preceptis, quos Do-
„ minus Duca Venetiarum miſerit. Debet Dominus Marcus
„ cum ſuis legatis mittere ſuccurſum & ſi aliquis de parte
„ Domini Ducis miles vel ſerviens noluiſſet facere hoc Sa-
„ cramentum de obedire preceptis Domini Ducis cum ſuo

Con-

„ Conſilio tenetur tollere partem quia ipſi habent in Inſu-
„ la Cretenſi quod de omnibus ſupradictis ſi per voluntа-
„ tem eorum amborum partium voluerint, creſcere vel mi-
„ nuere facere, habent poteſtatem.

„ Juro ſupra ſancta Dei Evangelia quod omnia Capitu-
„ la quæ continentur in iſto pacto de quanto mihi perti-
„ net faciendo pro mea parte bona fide ſine fraude obſer-
„ vabo & hoc de hac Inſula & de hac debent ipſi facere
„ cartulam manifeſtam continentem in eo quod nullum ſcri-
„ ptum factum eſſe debeat niſi obedire preceptis D. Ducis
„ & cum ligna vel cum lignis cum Dominus Duca miſerit
„ Venetias.

Compoſitis itaque in Cretenſi Regno rebus licet ad breve tempus, Jacobus Theupulus in patriam evocatur, Inſulæque regimen anno Petri Ziani Ducis Venetiarum XII. Chriſti videlicet 1216. ſuſcepit Paulus Quirinus, qui in ipſo ſui 2
regiminis exordio Alemannum quemdam Comitem natione Januenſem Venetisque infenſiſſimum pyratam ad portum Fraſcheæ appulſum fregit ipſiusque claſſem profligavit. Id ex ſupralaudato Monachi Chronico habemus. *Dum quidam comes Alamanus Januenſis, qui circa Cretam piraticam exercebat, infeſtaret penes Fraſchiam navigia Venetorum, Paulus Quirinus novus Ducha, & Jacobus Theupulus preceſſor per terram, Marcus Zorzano, qui in illis diebus de Coſtantinopoli applicuerant Candidam per mare Fraſchiam properantes dictum Comitem victum & captivum cum ſuis galeis, & nave una trecentisque captivis Candidam conduxerunt, Captivi cum navibus cum quibus repatriavit Jacobus Theupulo mittuntur Venetias, qui tandem cum Guifredo de Pirovano Poteſtate Januе renovato concordio reſarcitisque damnis dimiſſi ſunt.* Inſeſtiores deinde expertus eſt anno inſequenti Cretenſium turbas Quirinus Duca, quæ leviſſima ex cauſa exortæ in apertam ſubito ſeditionem eruperunt. Petrus Filacanevo Oppidi Bonreparis nuncupati Præfectus furtim auferri juſſit nonnullos equos aliaque jumenta Joannis Scordilli viri inter Græcos opibus & autho-

ritate præcipui. Illatæ violentiæ querelas ad Duchæ tribunal detulerunt Conſtantinus dictus Sevaſto Scordilli, aliique Græci de Pſicro, ſtatimque Petro mandatum fuit, ut ablata omnia ex integro reſtitueret. Quum autem Duchæ mandatis obtemperare diſtuliſſet Petrus, Græci moræ impatientes Joannis Scordilli hortatu è partibus Bonrepari ingentem equorum aliorumque animalium prædam abſtulerunt; locaque Veneto nomini addicta crebris incurſionibus vaſtare cœperunt. Ut autem gliſcentis rebellionis malum in ipſis exordiis tolleretur, Paulus Ducha collecto, ut per anguſtias temporis licuit, militum agmine, Legatos miſit Petrum Toniſtum, & Joannem Grittum, ut rebellium audaciæ obſiſterent, locaque ab eis afflicta tutarentur. Cum autem per ignotos montium tramites errarent, potiusquam procederent, irruit in eos repente ſeditioſorum multitudo, quæ Ducibus Conſtantino Sevaſto, & Theodoro Milliſino Venetos in tortuoſis montium anfractibus inordinatos ad pugnam provocavit, brevique certamine devictos profligavit, quo in conflictu cum periiſſent Joannes Grittus Legatus, multique alii ex Militiæ Ducibus, cæteri omnes ad civitatem Metropolim acceptæ cladis nuntii redierunt.

Rem leviter attingit Dandulus in Chronico: *Decimotertio Ducis* anno, æræ videlicet vulgaris 1217. *Conſtantinus Sevaſto, & Theodorus Milliſino cum Græcorum ſequela Paulo Quirino Duchæ Cretæ rebellantes loca Venetis obedientia crebris incurſionibus moleſtare non deſinunt. Dux poſtea probos viros, ut reſiſterent, Cretam miſit & novos Feudatarios per ſuam conceſſionem illos conſtituit.*

Non tamen a primo rebellionis hujusmodi exordio, nova colonia, ſeu potius veteris Coloniæ incrementum Cretam deductum ſtatim fuit, inſtrumentum enim conceſſionis, quo inter deſtinatos Cretæ colonos militiæ & poſſeſſiones diviſæ fuerunt, datum legitur in Rivoalto ſub Petro Ziano Duce Venetiarum anno Domini 1222. menſe Junio Indictione X.

Eodem funeſtæ cladis anno 1217. Paulus Quirinus cum jam

jam ſui regiminis periodum expleſſet, e Creta diſceſſit, ſuccedente ſibi Guido Michaele, qui bellum adverſus rebeles conſtanter ſuſtinuit. Huic deinde ſuffectus fuit anno 1220. Dominicus Delphinus, qui anno ſuæ adminiſtrationis ſecundo Chriſti ſcilicet 1222. novam Venetorum Coloniam excepit, quæ ad coercendam Græcorum violentiam inſtituta fuit eo, quod afferimus, Ducali diplomate. 3 4

In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Anno Domini MCCXXII. Menſis Junii Indict. X. Rivoalti.

„ Poſt conceſſionis cartam quam cum judicibus & Sapien„ tibus Conſilii Populique Venetiarum collaudacione de In„ ſula Cretenſi militibus & ſergentibus qui in ea ſcripti ſunt „ feciſſe dignoſcimus. Currente Anno Domini milleſimo du„ centeſimo undecimo menſis Septembris Indictione XV. „ Rivoalti. Dividentes inter ipſos milites qui debebant eſ„ ſe centum & triginta duo, & dicti pedites qui eſſe de„ bebant quadringenti & octo in Inſulam eamdem in mi„ litias ducentas iis ex ipſa Inſula, exceptatis, que in noſtro „ Communi retinuimus ſicut plenius in conceſſione legitur „ memorata. Nos Petrus Ziani Dei gratia Venetiarum Dal„ matie atque Croatie Dux & quarte partis ac dimidie totius „ Imperii Romanie dominator una cum judicibus & Sapien„ tibus Conſilii populique Venetiarum collaudacione intel„ lecta voluntate Ducis & militum & Sergentium de Creta „ per nobis preces effuſas ab eorum miſſis viris Nobilibus, „ videlicet Marino Contareno & Petro Quirino & etiam ab „ Andrea Pantaleo & Pangratio Faletro per eos ad noſtram „ preſentiam deſtinatis quatenus dictarum militiarum ducen„ tarum deberemus numerum augmentare ex his videlicet „ que paulo inferius ſpecificabimus, qui antedicti miſſi pro „ dictis militibus & ſervientibus rogaverunt propter ip„ ſam augumentationem a nobis pro noſtro libito ordi„ nandam, ut per ipſam numerus militum & peditum

„ augumentaretur in Inſula eadem ut magis eſſet ſecura.
„ Concedentes concedimus cum noſtris ſucceſſoribus ac da-
„ mus & tranſactamus vobis viris militibus & peditibus quo-
„ rum nomina inferius ſcripta ſunt, & veſtris, & eorum
„ heredibus inperpetuum prout inferius dilucidabitur a par-
„ te Caſtrum Milopotami cum ſuis pertinentiis omnibus:
„ Caſtrum Bonireparii cum omnibus ſuis pertinentiis cum
„ quinque turmis, quarum una eſt Milopotamio: alia eſt ri-
„ vus: tertia eſt Calemona de qua greci habent duas mi-
„ litias que in hoc eſſe, nec computari debent. quarta ve-
„ ro turma eſt Catoſiurito, & quinta eſt Apanoſiurito his
„ videlicet computatis in ſexaginta militiis inter militias &
„ ſergentarias computatis ſergentariis ſex pro una militia:
„ de quibus militiis ſexaginta tu Theodore Grilione de confinio
„ S. Heuſtadii habere debes duas militias & habes de ha-
„ vere Communis noſtri pro eis libris Venetiarum octingen-
„ tis & tu Petre Centucori de confinio S. Trinitatis habere
„ debes duas militias, & tres ſergentarias ſuper una qua-
„ rum balliſtarius unus debet reſidere & habes per easdem
„ de havere noſtri Communis libras Venet. mille. Tu ve-
„ ro Michael Superantio de confinio S. Angeli habere de-
„ bes militias duas & tres Sergentarias. In quarum una ba-
„ liſtarius unus debet ſtare, & habes de havere noſtri Com-
„ munis pro eisdem libris Veneti m. Tu vero Bartholomee
„ Bono de confinio S. Marie Formoſe habere debes militias
„ duas & Sergentarias tres in quarum una ſtabit unus ba-
„ liſtarius & habes pro eisdem de havere noſtri Communis
„ libras Venet. mille: & tu Damiane Mudazo de confinio
„ S. Joannis Decollati habere debes duas militias & Ser-
„ gentarias tres in quarum una ſtabit balliſtarius unus, &
„ habes pro eisdem de havere Communis Venetiarum li-
„ bras mille. Nam volumus clarius dilucidare quantas mi-
„ litias, & quot denarios proinde tam vos milites ſupradi-
„ cti, quam vos milites & pedites inferius ſpecificati rece-
„ peritis pro quolibet ut nulla temporum mutatione quod

actum

„ actum eſt in iis, oblivioni tradatur, quoniam que ſcripta
„ non annotantur de facili ab humana mente, ut certius
„ dignoſcitur, ſolent multotiens labi, & tu Bartholomee Gra-
„ donico de confinio Sancti Bartholomei habere debes unam
„ militiam, & Sergentarias tres. In quarum una ſtare de-
„ bet balliſtarius unus & habes pro eisdem de havere no-
„ ſtri Communis libras Venetas ſexcentas: Et Tu Pangrati
„ Talonigo de confinio S. Juſtine habere debes unam mili-
„ tiam, & ſergentarias tres. In quarum ſtabunt duabus in
„ eodem modo duo balliſtarii. Et habes pro eisdem de ha-
„ vere communis Venetiarum libras ſexcentas & tu Aurie
„ Paſqualigo de confinio S. Juliani habere debes unam mi-
„ litiam & Sergentarias tres: in quarum una ſtabit unus
„ balliſtarius & habes de Communi havere libras Venetas
„ ſexcentas. Tu vero Joannes Paradiſo de confinio S. Hie-
„ remie habere debes militias duas, & Sergentarias tres:
„ In quarum una tenere debes unum baliſtarium, & habes
„ de Communi havere libras Venetas mille. Tu vero Ja-
„ cobe Zancarole de confinio S. Juliani habere debes mili-
„ tias duas & habes pro eis de havere communis libras Ve-
„ netorum octingentas. Et tu Baſilione Baſilio de confinio
„ S. Joannis Chriſoſtomi habere debes de havere Commu-
„ nis pro eis libras Venetas octingentas. Et tu Juliane Zan-
„ charole de confinio S. Marine habere debes militiam unam
„ & Sergentarias tres. In quarum una ſtare debet unus ba-
„ liſtarius, & habes pro eisdem libras Venetas ſexcentas.
„ Et tu Marine de Equilio de confinio S. Marie Jubanico
„ habere debes militiam unam & Sergentarias tres in una
„ quarum ſtare debent duo Baliſtarii & habes de havere
„ Communis pro eisdem libras Venetas ſexcentas. Et tu
„ Joannes Venerio de confinio S. Caſſiani habere debes mi-
„ litiam unam, & habes de habere communis pro eisdem
„ libras Venetas ſexcentas & ſeptuagintaquinque. Et tu Mar-
„ ce Daurofino de confinio S. Caſſiani habere debes mili-
„ tiam unam & habes de havere communis libras Venetas

tre-

„ trecentas & ſeptuaginta quinque. Preterea tu Jacobe Fuſca-
„ reno de confinio S. Pauli habere debes militiam unam,
„ & Sergentarias tres: In una quarum exiſtere debet unus
„ baliſtarius & habes de havere communis Veneciarum li-
„ bras Venetas DC. pro eisdem. Et tu Laurenti Natalis de
„ confinio S. Margarite habere debes militiam unam & ha-
„ bes de havere Communis Veneciarum libras Ven. CCCXXV.
„ Et tu Marce Manoleſſo de confinio S. Barnabe habere de-
„ bes militiam unam, & habes de havere communis Ve-
„ neciarum libras Venet. CCCL. pro eisdem. Et tu Jacobe
„ Nicola de confinio S. Simeonis Apoſt. habere debes mili-
„ tiam unam & habes de havere Communis Venec. libras
„ Venec. CCCL. pro eisdem. Tu vero Andree Iſtrigo de con-
„ finio Sancte Juſtine habere debes militiam unam & Ser-
„ gentarias tres. In quarum duabus exiſtere debent duo Ba-
„ liſtarii & habes pro eisdem de havere Communis Vene-
„ ciar. libras Veneciarum IDC. Et tu Marce Flaimba de
„ confinio Sancti Baſilii habere debes militiam unam & ha-
„ bes de Communi Veneciarum libras Veneciarum CCCL.
„ Tu Leonardus de Vinea de confinio S. Gervaſii habere
„ debes militiam unam & habes de Communi Veneciarum
„ libras Venec. CCCXXV. Et tu Marce Pino de confinio S.
„ Pantaleonis habere debes militiam unam & habes de ha-
„ vere Communis libras CCCXXV. pro eis. Et tu Marce Se-
„ miteculo de confinio Sancti Caſſiani habere debes militiam
„ unam & habes de havere Communis pro ea libras Ve-
„ neciar. CCCXXV. Et tu Joannes Triviſane de confinio S.
„ Barnabe habere debes militiam unam & habere de Com-
„ muni habere pro ea libras Veneciarum CCCXXV. Et Tu
„ Michael Gradonico de confinio Sancte Marine habere de-
„ bes militiam unam & habes de Communi habere libras
„ Venec. CCCXXV. pro ea. Et tu Angele Signolo de confi-
„ nio Sancti Raſaelis habere debes militiam unam & habes
„ de Communi havere libras Veneciarum CCCXXV. Et tu
„ Thoma de Tumba de Caprole habere debes militiam

unam

Digitized by Google

„ unam & habes de havere Communis libras Veneciarum
„ cccxxv. Et tu Leonarde Patavino de confinio S. Panta-
„ leonis habere debes militiam unam & habere debes de
„ Communi habere libras Venetiarum cccxxv. Et tu Mar-
„ garite Fuſcari de confinio S. Fuſce habere debes militiam
„ unam & habes de Communis habere libras Venetiarum
„ cccxxv. Et tu Michael Aquotanto de confinio S. Agne-
„ tis habere debes militiam unam & habes de communis ha-
„ bere pro ea libras Venetiarum ccc. Vos vero Joannes Ca-
„ tharine de confinio S. Geminiani & Vivianus Draperie de
„ confinio Sancti Silveſtri & Aldigerie Triviſano de confi-
„ nio Sancti Raphaelis & Bugeſator de confinio Santi Caſſiani
„ atque Ardizonus Zonus de Civitate Padue habere debetis
„ pro quolibet mediam militiam & habetis pro quolibet de
„ Communis habere libras Venetiarum cl. pro eisdem. Vos
„ vero pedites quorum nomina hec ſunt Pavionus Corizarius
„ de confinio Sancti Luce Andreas Becarius de confinio San-
„ ctorum Apoſtolorum Dominicus Entio de confinio Sanctæ
„ Fuſce Nicolaus Cuſcinus de confinio Sancti Marci Marinus
„ Sartor de confinio Sancti Benedicti Aliotus Faber S. Luce
„ Dominicus de Sacho de Pupilia Hermacoras Hungaro San-
„ cti Paterniani Prandus Sancti Pauli Boſius frater Viviani S.
„ Margarite Zilius Sancti Vitalis Angelus Sartor Sancti Bene-
„ dicti Dominicus de Cale de Clugia Zilbertus Chalegarius S.
„ Juliani Andreas Triviſano Sancti Gregorii Marcus Belli S.
„ Joannis Evangeliſte Laurentius Luganega Sancte Sophie
„ Albertinus Capelleto Sancte Sophie Martinus Mauro de eo-
„ dem confinio Joannes de Latina Sanctorum Apoſtolorum
„ Angelus Filacanevo Sancti Thome Michael bono Pellizario
„ de eodem confinio Chriſtophorus Buſſo de Clugia Majoris
„ Boſius campo de rame de confinio Sancti Benedicti Berre-
„ ta de confinio Sancte Marine Dimitrius Alicardo de confi-
„ nio Sancti Hieremie Armanus Scutarus Sancti Luce Ange-
„ lus Damiano S. Baſilii habere debetis pro quolibet unam
„ Sergentariam & habetis de havere Communis ſinguli ve-

ſtrum

„ ſtrum libras Venetiarum L. Tu vero Jacobe Baraſtro Pan-
„ cerani tenere debes duas Sergentarias & haberi pro eis
„ de Communis habere libras Venetiarum C. Tu vero hinc
„ ad Cretam ferre debes unum equum valoris a libras XXXV.
„ & ſupra & ibi tenere debes unum equum & unum Scu-
„ tiferum ſed non Grecum. Hos vero denarios omnes ſu-
„ praſcriptos quos (ut diximus) de habere Communis ſu-
„ ſcepiſtis & etiam de noſtra pecunia alia pro quolibet mi-
„ litia, quilibet miles ex vobis libras Venetas CC. & quilibet
„ pedes pro qualibet Sergentaria libras Venetiarum XXIII.
„ & etiam ſecundum quod cuilibet veſtrum advenerit ſe-
„ cundum rationem partis exhibite ſibi & ſupraſcriptis con-
„ ceſſionibus, ponere debetis, videlicet in equis armis, ac in
„ ceteris utilitatibus dictarum militiarum & Sergentarium ex
„ dictis militiis ſexaginta quas quidem militias ſexaginta &
„ iſta loca que diximus ſupra, ſunt vobis conceſſa, habere
„ debetis cum omni earum longitudine & latitudine ſalvis
„ in noſtro communi que in priori conceſſione iſta pro eo
„ ſunt exceptata & de argentaria de fluvio qui aurum du-
„ cit; pleniſſimam poteſtatem amodo in antea habendi tenen-
„ di vendendi dandi donandi commutandi in perpetuum
„ poſſidendi, vel quicquid inde vobis placuerit faciendi nul-
„ lo vobis homine contradicente. Preterea etiam in civita-
„ te Candida terras vobis caſas habere debetis convenien-
„ tes quas unicuique veſtrum ſicut vos decet Dux qui erit
„ ibi cum conſilio aſſignare & dare debet ſecundum provident-
„ tiam ſuam; ſimiliter debetis habere prata pauca vel mul-
„ ta pro equis paſcendis & pro aliis animalibus ſecundum
„ providentiam Ducis & ſui conſilii. Vos vero milites ſu-
„ praſcripti qui militias integras habetis pro qualibet mili-
„ tia veſtra vobis conferre debetis hic ad dictam Inſulam
„ equum unum de armis valentem, a libras Venet. 75. &
„ ſupra, & vos ſupraſcripti milites qui non habetis pro quo-
„ libet niſi mediam militiam hic ad Cretam ferre debetis
„ pro quolibet equum unum valentem a libr. Venet. L. &

ſupra

„ ſupra debetis quoque omnes tam milites quam pedites a
„ die quo junxeritis ad Cretam continue ibi ſtare usque ad
„ duos annos completos & ex tunc in antea in loco veſtro
„ non ibi alium dimittere vel inſtituere debetis ſine conſen-
„ ſu Ducis & majoris partis Conſilii vos autem nobis eſtis
„ vinculo fidelitatis aſtricti & ſalvare & cuſtodire manute-
„ nere & defendere Inſulam ſupraſcriptam contra omnem
„ hominem ad honorem noſtrum & ſucceſſorum noſtrorum
„ & Venetorum & ſucceſſorum; Debent aſtringere filii veſtri
„ vel ſucceſſores poſt deceſſum veſtrum infra unum annum
„ ſi etatem habuerint, & ſi etatem non habuerint homi-
„ nem dimittere in loco ſuo usque dum pervenerint ad eta-
„ tem in providentiam Ducis & majoris partis Conſilii, illi
„ videlicet veſtri heredes vel ſucceſſores qui illas veſtras
„ poſſeſſiones habebunt & illi in quibus erunt alienate vo-
„ bis & ſucceſſoribus veſtris. Debetis autem vos milites qui
„ integras militias habetis videlicet unusquisque ex vobis &
„ illi qui poſſeſſiones infraſcriptas habebunt ut ſupra legi-
„ tur habere equum unum de armis & alias duas equita-
„ turas & ſcutiferos duos ſed non grecos. Vos vero milites
„ mediam militiam habentes pro quolibet habere debetis &
„ qui ipſas poſſeſſiones veſtras ſunt habituri ut ſupra legi-
„ tur equum de armis convenientem & unam equitaturam
„ & ſcutiferum unum ſed non grecum, ſimiliter debet ha-
„ bere unusquisque ex vobis usbergum aut panceram cum
„ caperone & alia arma ſicut decet: Peditum vero & bale-
„ ſtariorum quilibet armatus eſſe debet ſicut convenerit. Ec-
„ cleſias autem omnes ſupraſcripte Inſule debetis habere li-
„ beras & miniſtros earum, ſed de poſſeſſionibus earum ſic
„ eſſe debet, ſicut ſtaret Dux, qui erit ibi cum ſuo conſilio.
„ De facto laicorum grecorum tam in perſonis & rebus ſint
„ in providentia Ducis & ſui Conſilii. Homines vero Vene-
„ ti debetis in tota Inſula ſalvos & ſecuros habere in per-
„ ſonis & rebus ſine ulla exactione & datione ſimiliter &
„ ſervitores eorum eundo, & redeundo, & ſi contigerit ali-

„ cui Venetorum damnum fieri in ipſa Inſula dabitis operam
„ ad recuperanda ſua bona, bona fide, & ſine fraude & de-
„ bent homines Venet. habere liberam poteſtatem extrahen-
„ di omnia mercimonia quecunque voluerint de Inſula ipſa
„ ſine ulla contrarietate, & vos milites, & vos pedites ibi
„ conſtituti habeatis poteſtatem liberam mercationem face-
„ re ſecundum uſum mercatorum. Verumtamen de victua-
„ libus extrahendis remaneat in poteſtate Ducis. Vos au-
„ tem nullam inſtitutionem facere debetis in facto merci-
„ moniorum que dampnum vel detrimentum generet homi-
„ nibus Venetorum. Amicos Venetos debetis habere amicos,
„ & inimicos Venetos debetis ſicut nos pro inimicis habe-
„ re & cum eis nullam treguam nullamque pacem facere
„ ſine noſtro & ſucceſſorum conſenſu, vel ſine conſenſu Ducis
„ qui in illo loco erit cum ſuo conſilio. Laudes nobis &
„ ſucceſſoribus noſtris in Archiepiſcopatu & Epiſcopatibus
„ decantari facietis quater in anno in Nativitate Domini,
„ in Paſca Reſurrectionis, in feſto Sancti Marci & in feſto
„ majoris Eccleſie Cretenſis. Contra interdictum noſtrum &
„ ſucceſſorum noſtrorum alicui paſſagium non concedetis &
„ eis paſſagium non dabitis, quibus illud noluerimus dari,
„ & quotiens nos exercitum fecerimus & ſucceſſores noſtri
„ debetis facere ſicut homines Venet. amodo ut ſuperius
„ unusquisque veſtrum quandocumque fueritis requiſiti ſe-
„ cundum quod cuilibet evenerit faciendum & poſtquam vos
„ intraveritis in civitate Candia usque ad quatuor annos
„ completos nihil noſtro Communi debetis perſolvere ſed in-
„ de in antea omni menſe Septembris debetis hic in Ve-
„ netia ſolvere ſupraſcripto communi de illis tribus milibus
„ yperperis quos annuatim intra ſalvos in tota Inſula ipſa
„ eidem communi ſolvere debebant ſecundum formam prime
„ conceſſionis. Debetis de ducentis militiis facere illud quod
„ vobis devenerit inde imperatum parati ad ſolvendum intra
„ ſalvum tali quidem ordine quo unusquisque miles ex vo-
„ bis teneatur pro ſua portione ut ſibi evenerit. Debetis

etiam

„ etiam dare ſortiam & virtutem Duche qui pro nobis &
„ ſucceſſoribus noſtris erit in civitate Candie ad juſtitias &
„ rationes tam de predicto reditu quam de cauſis aliis poſt-
„ quam inde notitia vobis data fuerit per Ducem aut per
„ ſuum nuntium, & ſi contigerit, quod illuc veniremus nos
„ vel ſucceſſores noſtri recipietis nos cum Cruce procedente,
„ & debetis nos pariter cum aliis ejusdem incolis ſecundo
„ & tertio ſi voluerimus procurare. Cum autem Domino
„ concedente ad Cretam junxeritis tranſactis duobus annis
„ quibus ut ſupra dicitur debetis ibi continue commorari
„ licitum vobis eſſe debet mutare milites ſervitores ipſos
„ quos hinc illuc tuleritis vel per tempora ibidem habueritis
„ pro Venetis vel forinſecis ſed non grecis, Videlicet militem pro milite peditem pro pedite cambiare tamen
„ cum voluntate Ducis quod in eadem inſula eſt vel
„ erit per nos noſtroque conſenſu; Terram concedimus vobis viris ſupranominatis hinc ad annos octo hoc eſt die
„ quo ad Cretam applicaveritis medietatem cum villanis
„ ſuis exceptis que in noſtro communi & ſecundum tenorem
„ prime conceſſionis & ejus facta retinuimus preter de civitate Candia cum burgis & cardinis ſuis & balneis excepto
„ Caſtello Temado ex quibus nil aliud habere debetis niſi
„ quod dictum eſt ſupra de predictis caſis vel terris que ut
„ dictum eſt debetis habere ſecundum providentiam Ducis & ſui
„ Conſilii tali quippe ordine ipſam medietatem ejusdem terre habere debetis quod illud totum quod ex ipſa medietate
„ inveneritis affictatum, in vobis veniat & veſtrum quoque
„ ſit illud quod inde non inveneritis affictatum & in vobis
„ habeatis usque ad annos octo ad affictandum laborandum
„ & inter vos dividendum & quicquid vobis exinde placuerit faciendum cum omnibus que pervenerint inde ſalvo
„ quod villanis ipſius medietatem ejusdem terre moleſtiam non
„ inferatis ſed eos ſecundum bonam conſuetudinem conferatis. hiis igitur octo annis tranſactis ipſa medietas terre
„ noſtri communis reverti debeat ipſo communi cum om-

„ nibus ſuis villanis & pertinentiis ejusdem in integrum, ſi-
„ cut erat prius, permanenda. Hec omnia eſtis jurejurando
„ aſtricti ſervare bona fide ſine fraude & hec ſacramenta
„ omni quinto anno ſine contradictione aliqua renovabitis
„ ſi inde a Duce vel a ſuo nuntio fueritis requiſiti & ſi ex vo-
„ bis aliquis vel aliqui hec omnia non obſervaverit que ſu-
„ praſcripta ſunt omnis poſſeſſio quam habebit in Creta &
„ pheudum debet venire in noſtro communi. Verumtamen
„ quod Commune Venetiarum debet inſtituere milites &
„ pedites in locum ſuum ſicut ipſi fuerit libitum & inſuper
„ ſi aliquis ex vobis continue ſecundum ordinem ſupraſcri-
„ ptum in Creta non ſteterit usque ad ſupraſcriptos duos an-
„ nos completos quod Dominii ſupraſcripti quos de commu-
„ ni ut ſupra dicitur habetis ſine contradictione in commu-
„ ne revertatur.

„ Ego Petrus Ziani Dei gratia Dux Venetiarum mm. ſs.
„ Ego Theophilus Geno Judex mm. ſs.
„ Ego Jacobus Acotanto Judex Communis mm. ſs.
„ Ego Propheta de Mulino Conſiliator mm. ſs.
„ Ego Joannes delo Boccaſſa Advocator Communis mm.ſs.
„ Ego Marcus da Mula Camerarius Communis.
„ Ego Michael Bonifatius Presbyter & Plebanus S. Marie
„ Jubanico & Not. Ducalisq. aule Cancellarius com-
„ plevi & roboravi.

Dum itaque Venetiis novum Coloniæ agmen Cretam deducendum inſtruitur, Dominicus Delphinus conſilii potius prudentia & ſagacitate, quam armorum vi, & impetu rebelles Græcos, ut notat Dandulus, *aſſignatis certis caſalibus ad fidelitatem reduxit*. Conceſſiones a Dominico Delphino extremis ſui regiminis menſibus pactas firmavit Paulus Quirinus, qui Inſulæ adminiſtrationem anno 1223. Senatus expeditione ſecundo ſuſcepit, easque in publicum inſtrumentum redigi mandavit, quod eſt:

In

In Nomine Domini Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti Anno Domini MCCXXIII. Menſe Januarii die octavo intrante Indictione XII. Candide Inſule Crete.

„ Nos Paulus Quirino de mandato Excellentiſſimi Domi-
„ ni Petri Ziani Dei gratia inclyti Ducis Venetiarum Duca
„ Crete cum noſtro minori & majori conſilio, pro eo quod
„ vos Theodorus & Michali Milliſino ambobus fratribus re-
„ verſi eſtis ad preceptum & fidelitatem Domini Noſtri Du-
„ cis Venetiarum ac noſtrorum & noſtri Conſilii ſecundum
„ tenorem reſcripti in littera greca facti a vobis & nobis
„ cujus tenor talis eſt Menſe Januarii die octavo die Lune
„ Indictione XII. Ego Theodorus Milliſino juro ſupra ſancta
„ Evangelia & per pretioſam & vivificam Crucem quam
„ Chriſtiani tenent maximum & terribile Sacramentum qui ab
„ hodie ideſt die octavo menſe Januarii de preſenti XII.
„ Indictione quod ero fidelis ſervus de Domino noſtro Du-
„ ci Venetiarum ſine fraude & ingenio & de tota Venetia
„ & ſubjacebo precepto & voluntati Domini Ducis Crete
„ qui erit pro tempore in Creta propter preceptum Dom.
„ noſtri Ducis Venetiarum ubicunque mihi preceperit & ero
„ amicus amicis Venetie & inimicus inimicis illius; habeo au-
„ tem de perſonis de militibus & Sergentibus & omnibus
„ qui ſunt in Inſula Crete maximam guardiam in ipſis,
„ & in rebus ſuis debeo reddere villanos de militibus &
„ ſergentibus qui a Dominis ſuis fugam fecerunt ſimiliter
„ illos de civitate & parte Candie qui inveniuntur in mea
„ poteſtate & de meis hominibus ad preceptum & volun-
„ tatem Domini Ducis Crete ſimiliter animalia que abla-
„ ta ſunt poſt concordiam & pacem factam in tempore Do-
„ mini Dominici Dulphini quondam Crete Ducis que ſunt
„ equos boves pecora & aſeni & ab hodie & antea inveniun-
„ tur debeo dare obſides cognatum meum Theodorum Ful-
„ larico & uxorem ejus, & filios ejus & ſororem meam
„ quondam defuncti Adonis: Iſtos obſides debeo conduce-

re

„ re usque per totam primam ebdomadam quadrageſime de
„ preſenti Indictione & iſtud Sacramentum debet jurare fra-
„ ter meus Michali & ſicut ego ſervabo iſtud Sacramentum
„ mundum ſine fraude & malo ingenio ſic adjuvare me Deus
„ in anima & corpore. Quapropter nos quidem ſupraſcriptus
„ Paulus Quirino Duca Crete cum noſtro minori & majo-
„ ri conſilio cum noſtris ſucceſſoribus concedimus vobis ſu-
„ praſcriptis Theodoro Milleſino & Michali & veſtris he-
„ redibus ex gratia duas militias una quarum poſita eſt in
„ Sexterio Dorſoduri que quondam fuit Leonardi Caveletro
„ defuncti cum omnibus ſuis habentiis & pertinentiis & vil-
„ lanis & domo in civitate, alia vero poſita eſt in Stim-
„ boli in partibus Calomone que fuit Egidii & ſociorum
„ ejus cum omnibus ſuis habentiis & pertinentiis de Cala-
„ mona atque cum omnibus villanis ubicumque ſunt per
„ totam Inſulam ad eamdem militiam pertinentibus. Hec
„ omnia concedimus & tranſactamus ſecundum tenorem con-
„ ceſſionis facte a Domino noſtro Duce Venetiarum militi-
„ bus & Sergentibus Inſule Crete & de varnitione militie &
„ caſtallis atque de aliis capitulis quibus aliis milites tenen-
„ tur aut tenebuntur ſic & vos aſtricti eſtis & eſſe debetis
„ & hec conceſſionis carta in ſua permaneat firmitate.

„ Ego Paulus Quirino ex precepto Domini Ducis Du-
„ ca Crete mm. ſs.
„ Ego Marinus Contareno Conſiliator mm. ſs.
„ Ego Petrus da Molino Conſiliator mm. ſs.
„ Ego Pancrati Phaletro Judex mm. ſs.
„ Ego Joannes Grerolo Advocator ut ſupra ſs.
„ Ego Petrus Greco Camerarius Communis ſs.
„ Ego Marinus Gradonico mm. ſs.
„ Ego Martinus Quirino rogatus ſs.
„ Ego Stephanus Juſtiniano ut ſupra.
„ Ego Marcus Baraſtro ut ſupra ſs.

„ Ego Petrus Nanni Presbiter & Notarius complevi &
„ roboravi.

Ego

„ Ego Bartholomeus Cavallero Presb. & Notarius ſicut vidi
„ in matre teſtis ſum in filia.
„ Ego Petrus Nani Presbit. & Notarius hoc exemplum
„ exemplavi hoc ſupraſcripto anno & menſe ac Indi-
„ ctione & in infraſcripta Candida nec minui nec am-
„ pliavi complevi & roboravi.
„ Ego Rogerius Grimani Judex ſicut vidi in matre te-
„ ſtis ſum in filia.

Succeſſerunt deinde in Provinciæ adminiſtratione alius ex alio Marinus Superantius anno 1226. & Joannes Michael 6 anno 1228. qui Provinciam pacifice rexerunt. Nec tamen 7 diu quiete hac frui licuit Joanni Storlado, qui gubernan- 8 dam Inſulam ſuſcepit anno 1230. Scordilli enim & Meliſſini ſceleſtiſſimæ vitæ homines rapinis & ſanguini aſſueti eodem anno Domini 1230. per agros & vias publicas multis ſtipati ſicariis, latronum in morem graſſari cœperunt, cumque plurima loca latrociniis, & cædibus afflixiſſent, brevi tempore totam fere Inſulam in rebellionem adduxerunt. Ducha autem cum ingentem perduellium turbam propriis viribus profligare diffideret, in publicæ rei auxilium Marcum Sanutum Naxi ſuperius memoratum Ducem evocat, & ad coercendos rebellium impetus Urbem Sudam in loco munitiſſimo ædificari jubet. Quum igitur validas Duchæ ſuppetias ex Ægeopelagi Inſulis adventaſſe agnoviſſent Græci, ne iterum inviſo Venetorum Dominio ſubdi cogerentur, imperium Inſulæ Joanni Vatacio Imperatori Trapezuntino per nuntios detulerunt, ut ipſos miſſis e Græcia copiis adjuvaret. Eapropter Imperator cum rebelles Græcos tutandos recepiſſet, tres ſupra triginta triremes valide inſtructas, (ut ſcribit Laurentius de Monacis in ſuo ms. Chronico, Dandulus vero eas ſolum viginti tres fuiſſe affirmat) ſub Mega Ducha ſuo in Cretam miſit, quæ ubi Inſulæ litus attigerunt, Marcus Sanutus vir malæ fidei, & patriæ beneficiis ingratiſſimus *corruptus pecunia, relicta civitate conſtructa ad ſuas revertitur Inſulas.* Rebelles ex ſuſcepto Græcorum ſubſidio

fidio audaciores facti cum Jo. Ducham, post turpem Sanuti discessum, viribus sibi imparem animadvertissent, dispositio exercitu ad occupandas Insulæ urbes progrediuntur. Castrum itaque Rethimi obsederunt, quod eis tradidit Marcus Quirinus, nec diu post Milopotamum sub Malgarito Foscaro (sic Dandulus, at Fuscarenum dicit Laurentius de Monachis) & Castrum novum sub Conrado de Milena ad deditionem compulerunt. His actis ad oppugnandum Bonifacii castrum procedunt, quod dum strenue a Cataldo Avonali Præfecto propugnatur, Joannes Ducha aucto Venetorum exercitu ad solvendam Bonifacii obsidionem properavit. Viri constantia perterritus Mega-Duca, cum jam de retinenda Insula penitus desperaret, re infecta, e Creta cum classe solvit; *Classis autem* (ita Laurentius de Monachis) *prædicta penes Insulam Cytheream exceptis tribus fustis tota periit naufragio, in quo perierunt Nicolaus Mudazo & Marinus Marino, qui vocati a quodam Archiepiscopo Græco pro tractatu pacis mittebantur in Romaniam.* Pertinaces Græcorum conatus refert paucis verbis Dandulus in Chronico lib. X. cap. V. par. I. ubi urbem Sudam a Joanne Tonisto Ducha fundatam fuisse asserit, cujus tamen ædificationem Marco Sanuto adscribit Laurentius de Monachis in suo Chronico ms. Hæc sunt Danduli verba: *Joannes Storlato Duca in Creta, ut Græcos sibi rebelles comprimeret, Marcum Sanuto potenter in Creta venire fecit, & in la Suda urbem fundavit*, seu ut diversimode legitur in ms. codice Venetæ Sanctorum Joannis & Pauli Bibliothecæ: *Et in Insula urbem Sudam fundavit.* Monachius autem sic notat: *Ducha igitur & milites Cretæ vocant in auxilium Marcum Sanuto, qui potenter in Cretam veniens fundavit urbem in la Suda.* Crediderim utrumque ad Sudam ædificandam operam contulisse: aut certe Storladum consilio & imperio, Sanutum vero suorum manu urbem hanc struxisse. Castrum itaque Bonifatium Joannis Storladi virtute a rebellium invasione præservatum fuit, *amissa vero oppida* (ut Dandulus loco citato) *Nicolaus Tonisto, & Bartholomæus*

Gra-

Digitized by Google

Gradonico immediate in regimine ſuccedentes recuperaverunt.
Nicolaus Toniſtus Inſulæ adminiſtrationem rerumque militarium curam ſuſcepit circa annum 1231. bellumque adverſus rebelles vario armorum eventu continuavit, quo cum adhuc detineretur, ſucceſſorem excepit anno 1234. Bartholomæum Gradonicum Angeli filium, virum prudentia & morum ſuavitate ſpectatiſſimum, cujus ſingulari dexteritate factum eſt, ut ſeditioſa rebellium turba ad officium & obedientiam redigeretur. Ne autem Græci ad Veneti nominis fidem recens reverſi a juratæ concordiæ & obedientiæ ſacramento, ob reddituum inopiam facilius deſciſcerent, antiqua eorum pheuda ob defectionis crimen fiſco pridem addicta, omnibus in Reipublicæ gratia reſtitutis de Veneti Dominii authoritate & aſſenſu reſtituit, ut patet ex ſequenti, quod exhibemus documento. 9 10

„ In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Ego
„ Nicolaus Sevaſtos de Monianis. Ego Sevaſtos Omoleſinos
„ Michali & toti alii qui ſunt habitatores a flumine Petree
„ usque ad locum qui dicitur actus ſumus confeſſi quod re-
„ cipimus a vobis altiſſimo & gentili Domino noſtro Bar-
„ tholomeo Gradonico de mandato altiſſimi noſtri Ducis Ve-
„ netiarum Duca Crete & a minori & majori noſtro con-
„ ſilio locum a flumine petree usque ad locum qui dicitur
„ actis per aram Domini noſtri Ducis Venetiarum in pheu-
„ dum ad nos, juravimus & jurare debent omnes illi qui
„ modo non fuerunt inventi ad jurandum preceptum Do-
„ mini noſtri Ducis, eſſe fideles & bonos ad honorem Do-
„ mini noſtri Ducis Venetiarum & ſuorum ſucceſſorum &
„ ſimili modo ad Dom. Ducem Crete & habebimus omnes
„ homines Venetiarum exeundi exiſtendi ſalvos & ſecuros
„ ſine aliqua datione & amicos Venetiarum pro amicis ha-
„ bere & inimicos pro inimicis habere & quod erimus ſtu-
„ dioſi veram facere obedientiam, & anatolicos pro noſtro
„ poſſe fugare, & ponere illos foris de terra, niſi remanſerit pro
„ veſtro precepto, & habebunt terras a petrea usque ad capud

„ Selmone ſi ipſi volunt tornare ad voluntatem & ad ve-
„ rum preceptum. Nos illi faciemus guerram ad noſtrum poſ-
„ ſe donec tornabunt ad preceptum veſtre altitudinis & le-
„ vabimus laudes Domino Duci Venetiarum & libras denario-
„ rum & hec quantum de cera complere debemus complen-
„ do pacem per menſe Septembris. villani de militiis quan-
„ ti reperti fuerunt ad veram Rethimi reddere debemus vi-
„ delicet illi qui tenent militias & ſimiliter illi, & illi de
„ communi debemus reddere & ſine hoc Sacramento ſcri-
„ pto illud quod faciemus in veniendo nos inſimul per vo-
„ luntatem & pretium illud quod faciemus ſic eſſe debet
„ eſſe firmum inperpetuum de herede in heredem.

„ Ego Nicolaus Sevaſto de Monianis. Ego Michaelis Se-
„ vaſtos Milliſino ſcriptum eſt iſtud Sacramentum & re-
„ ſcriptum pro firmitate de menſe Februarii Indictio-
„ ne ſexta Anno Domini MCCXXII.

His actis Clariſſimus vir de patria & publica tranquillitate optime meritus Candiæ extremum diem obiit in primario Templo ſepultus, cujus vices ſuſcipientes Joannes Ardizonus, & Marcus Molinus Conſiliarii ad conterendas rebellium reliquias caſtrum Sithiæ obſederunt, cujus oppugnationi dum acrius inſiſterent, repente ad Cretæ litora ſe ſe oſtendit Græca duodecim triremium claſſis, quam ad ferendas rebelli turbæ ſuppetias militibus inſtrui, & in Cretam dirigi juſſerat Joannes Vatacius Imperator. Soluta itaque obſidione Marcus Molinus in Candiam cum terreſtri exercitu revertitur, Joannes vero Ardizonus claſſem conſcendens adverſus Græcos procedit, eosque in Sudæ munitiſſimo portu collectos aggreditur. Quum autem Imperatoriæ triremes a rebellium turba in litore diſpoſita ſaxorum ſagittarumque ictibus juvarentur, ipſeque Ardizonus Venetorum Dux graviter vulneratus eſſet, prælium quod a primo mane usque ad meridiem tenuerat, ſuſpenſum, & ad craſtinam diem dilatum fuit, Græci tamen conſtantiam Venetorum experti, per amicas noctis umbras fuga dilapſi receſſerunt.

Poſt

Poſt hæc in Cretam applicuit Angelus Gradonicus Bartho- 11
lomæi prædeceſſoris filius vir ad ardua negotia, & ingenii induſtria, & animi conſtantia aptiſſimus, qui Patris ſolertiam æmulatus incolas de Cato & Pſiuriti reſipiſcentes comiter excepit, & privilegiis auxit, nonnullas autem familias in rebellione contumaces bonorum proſcriptione & perpetuo exilio mulctavit, & hinc nova Inſulæ tranquillitas.

Ad pleniorem rei notitiam documentum afferimus, quo Angelus Ducha de Reipublicæ mandato viros de Cato & Pſiuriti venia donatos beneficiis cumulavit, data tamen per juramentum fide, qua ſe obſtrinxerunt, conatu omni ſe præſtituros, ut Emmanuel & Conſtantinus Dracuntupulo vel vivi in Ducis poteſtatem traderentur, vel quocumque pacto fieri id poſſet, e medio tollerentur.

„ In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Iſtud „ eſt pactum & concordia & amor pacis factus ſicut inſe„ rius continetur inter Dom. Angelum Gradonicum Ducam „ Crete & ejus conſilium ex una parte & inter illos de Ca„ to & Epanoſiurito ex altera. Nos quidem Angelus Gra„ donico de mandato Domini Ducis Venetiarum juravimus „ quia perdonavimus illis de Cato & Epanoſiurito omnes „ offenſas & mala & damna preterita usque ad hanc diem „ & per nullum tempus reddemus malum in cambium & „ iſtud per nos & ſucceſſores noſtros debet eſſe firmum & „ ſimili modo iſtud Sacramentum juraverunt XL. milites „ ſeudati de Creta qui inferius ſubſcripti ſunt. Item omnes „ illi de preſonibus qui ſunt de illis duabus terris qui ve„ nerunt ad preceptum vel venient de cetero debemus ex„ trahere de preſonibus & illis extractis cum uxoribus & „ heredibus debent ſtare in civitate & ſuper totum ſpa„ tium platee. Item iſtis de duobus ſiuritis non debet di„ vidi per milites latinos. Item ſi villani de millitibus Cre„ tenſibus usque ad hanc diem ſunt de ipſis duabus terris „ & nollent venire ad ſuos Dominos propter timorem non „ interponendo fraudem debeant recipere cambium conve-

„ niens ſpecialiter de illis duabus terris & iſtud cambium
„ debet eſſe ad placitum & voluntatem Dom. Ducis Crete
„ dicti ſicut dominus. Item in dationibus quas ſiuriti dicti
„ debent dare de terris, vineis, animalibus, & aliquam re-
„ rum ſic ſicut fuit ordinatum in tempore viri nobilis D.
„ Bartholomei Gradonici quondam Ducis Crete & feudum
„ quod datum fuit grecis dictarum terrarum liberarum qui
„ fuerunt franchati in dicto tempore D. Bartholomei Gra-
„ donico Ducis Crete vel nos Duca cum noſtro conſilio de
„ cetero dabimus in pheudum vel fecerimus liberos ſit fir-
„ mum in perpetuum & ſuis heredibus. Item quando D.
„ Duca cum ſuo conſilio vult a nobis rationem quas dare
„ debemus ubicunque fuerint illi de Pano e Cato ſiuritis de-
„ beat ſolvere quilibet pro ſua turma ad voluntatem Si-
„ gnorie. Item quilibet turma vel aliquis communiter vel
„ diviſim tam de iſtis turmis quam de aliis venire volue-
„ rint ad preceptum Domini Ducis Venetiarum & noſtrum
„ quantum in perdonata de offenſis eis perdonabimus venien-
„ do ipſi usque ad Epiphaniam Domini venturam concor-
„ dando ſe in aliis cum ſeniora ſicut bonum viſum fuerit. iſti
„ duo ſiuriti totum quod dictum eſt ſimili modo petunt de illis
„ de an. & per medium & illis da Callomono veniendo ad
„ precepta usque ad terminum Epiphanie tali ordine quod
„ veniendo ipſi per Signoriam quod eos recipere voluerunt
„ quod ſunt in dicto pacto & ſi noluerint quod remaneant ſi-
„ cut prius: item volunt & petunt illis de ſiuritis pro illis de
„ Milopotamo ſolummodo in offenſis perdonantiam & aliud
„ totum remaneat in Signoriam. Item volunt & petunt duo
„ ſiuriti quod nos Duca cum noſtro conſilio ſcribamus hic
„ Domino Duci, & rogare Dominum Ducem cum precibus
„ quod hic concordium mandet griſſovolum & privilegium,
„ & e converſo nos de duobus ſiuritis ſumus in concordio cum
„ dicto Duce & ſuo conſilio ſi placuerit Domino Duci & per
„ nos & omnes alios jurabimus fidelitatem Domino Duci Ve-
„ netiarum & ſuis ſucceſſoribus & vobis Domino Duce Crete

dicto

„ dicto & veſtro conſilio & veſtris ſucceſſoribus & ex alia
„ parte pacem & amorem vobis & militibus Cretenſibus &
„ amicis aliis hominibus Venet. inſuper promittimus amicos
„ Venetos habere pro amicis & inimicos habere pro inimicis.
„ Item debemus dare operam omni noſtro poſſe ad capien-
„ dum occidendum Manuelem Drantodoplum & Conſtanti-
„ num fratrem ejus & ſuos ſpetiales conſecutores. Item da-
„ re operam pro poſſe quod Calothetos & Anatholiki exeant
„ foras Inſule. Item ſi aliquis ſit rebellis vel fecerit tra-
„ ditionem aut facere voluerit contra honorem Venetia-
„ rum tenemur turbare & capere dando vobis aut manife-
„ ſtare ſi non poſſemus capere. Item non debemus ſemina-
„ re a Megapotamo in hac donec bonum Reparium non
„ erit recuperatum ad preceptum Domini Ducis Venetia-
„ rum & veſtrum, excepto usque ad menſuras d. & alias
„ ſeminationem totam facere in Meſſariam & conducere ani-
„ malia in Meſſarea. Item oſtendas cum uxoribus & here-
„ dibus de melioribus de pano e cato ſiuriti usque ad xxx.
„ familiades dare debemus qui debent ſtare in Caſtella Bo-
„ niſatii & Belvedere tamen per omnes tres menſes facere
„ cambium communalibus de iſtis oſtadibus. Preterea Mi-
„ chaelem Arcoleon Sevaſto cum uxore & heredibus debet
„ intrare venire & exire quandocunque vult in civitate &
„ in Caſtella ſine aliqua contrarietate ſicut miles Sevaſtus
„ & Venet. ſalvis ſuis oſtadibus de omnibus eorum ſicut
„ dictum eſt. Item quandocunque Inſula Crete in bono
„ fuerit ſtatu ad honorem Dom. Ducis Venetiarum & Ana-
„ tholiki foras de Inſula factum fuerit cum fide ſine frau-
„ de, tam oſtade quam alii omnes Cretenſes vadant ubi eis
„ placet hoc de illis qui venerunt ex Venetia ad precepta
„ ſicut dictum eſt ſupra. Item tenemur per iſtud Sacra-
„ mentum bona fide quod omnes alii de iſtis duabus terris
„ jurare debeant ſimile Sacramentum. Et totum iſtud per
„ nos & noſtros heredes obſervare debemus & firmum te-
„ nere in perpetuum. Et nos Angelus Gradonico Duca Cre-

te

„ te cum noſtro Conſilio per nos & noſtros ſucceſſores & cum
„ nobilibus viris militibus qui juraverunt iſtud Sacramentum
„ promittimus firmum habere & tenere que dicta ſunt &
„ complere ſalvis omnibus Sacramentis & aliter diſtrictis que
„ nos & vos facta habemus Domino Noſtro Duci Venetia-
„ rum & ſuper hoc obſervando & tenendo firmum nobis
„ & e Converſo firmum vobis.

„ Actus eſt anno Domini MCCXXXIIII. Menſe Octo-
„ bri Indictione octava.

Tantæ clementiæ exemplo incitati Nicolaus & Michael Sevaſtos Caſtrum S. Nicolai Duchæ Cretenſi & Dominio Venetiarum ſponte obtulerunt, publicæ liberalitatis gratiam implorantes, ut ex ſequenti innoteſcit documento.

„ In Nomine Dei Eterni Amen. Nos quidem Nicola
„ Sevaſtos de Monoiani & Michali Sevaſtos quondam Mil-
„ liſinos quod ſuperius in preſenti preſcripſimus pagina ma-
„ nibus propriis. Notum facimus univerſis & ponimus in
„ ſcriptis ordinatim quia nos ſponte & communi voluntate
„ proſpiciente ad onorem Dei & illuſtriſſimi Dom. Ducis
„ Venetiarum & Domini Ducis Crete & noſtra pervenimus
„ in palatio Ducatus Crete in Candida civitate ante pre-
„ ſentiam viri Domini Angeli Gradonico Ducis Crete &
„ ſui conſilii & precibus multis porrectis cum inſtantia ro-
„ gavimus quam plurimum dictum Dominum Ducam Cre-
„ tenſem & ſuum Conſilium, ut ea que in preſenti pagi-
„ na & ſcripto continetur illi Domino Duce Cretenſi & ſuo
„ Conſilio complaceret: in primis volumus & placet nobis
„ quod Caſtellum S. Nicolai in omnibus & eſſe debeat in
„ poteſtate Domini Ducis Venetiarum & ſuorum ſucceſſo-
„ rum atque in manibus & poteſtate Domini A. Gradoni-
„ co Duca Crete & ſui Conſilii & ſuorum ſucceſſorum te-
„ nendo, & habendo liberum ipſum Caſtellum vice & no-
„ mine Domini Ducis Venetiarum ad ejus voluntatem & ſui
„ ſucceſſores & pro munitione & guarnitione que eſt ad in-
„ veniendum ipſum de Caſtellano Veneto & Sergentibus la-

tinis,

„ tinis, & grecos que placuerit bene vobis Duce Crete &
„ veſtro conſilio & Dominio veſtro Sevaſtos dare & ſolve-
„ re yperper. d. c. annuatim & hoc pro medietate in prin-
„ cipio anni aliam vero medietatem in medietatem anni
„ que yperpera debemus tollere & extrahere a Petrea &
„ inde usque ad locum qui dicitur actis communiter per
„ omnes homines ſecundum rationem de illis contractibus
„ ſupradictis perveniendo dicta yperpera ubi erit voluntas
„ Domini Ducis Crete qui nunc eſt vel erit pro tempore
„ per Dominum Ducem Venetiarum ſpecialiter guarnitio-
„ nem dicti Caſtelli. Preterea Caſtellanus de foris Caſtellis
„ tam in rationibus & juſtitiis faciendis tam preſonando ali-
„ quem de foris niſi de noſtra voluntate & in ſervitiis op-
„ portunis & agendis pro laborerio Caſtelli & utilitate tam
„ in aquariis quam in aliis Caſtellanus debeat facere cum
„ noſtro ordinamento. Item nos duo communiter vel divi-
„ ſim poſſimus intrare in Caſtellum & exire quando nobis
„ foret neceſſarium. Item quando voluerimus partes facere
„ Domino noſtro Duci Venetiarum, ut nobis Caſtellum
„ dictum debeat reddere quod facere poſſimus hoc ſi Do-
„ mino Duci Venetiarum placuerit & de ſua fuerit volun-
„ tate alioquin in Domini Ducis poteſtate remaneat, de om-
„ nibus iſtis ſupradictis per nos & per noſtros heredes cum
„ pleno amore & bona voluntate pervenimus in concordio
„ vobiſcum Domini Angeli Gradonico Duca Crete & veſtro
„ Conſilio veſtrisque ſucceſſoribus quod ſicut ſuperius di-
„ ctum eſt eſſe debeat & firmum permanere vice & nomi-
„ ne Ducis Venetiarum, & ſui ſucceſſoris recipiendo.

„ Ego Procardinus Ducatus Cretenſis Cancellarius de pre-
„ cepto Domini Ducis Venetiarum & ſui Conſilii ſub-
„ ſcripſi & roboravi.

Nec tamen ſtatim ac familia Sevaſtos Caſtrum S. Nicolai *in poteſtate Ducis Venetiarum* reſignavit, ipſius poſſeſſionem inire valuit Angelus Gradonicus, ſiquidem Græcorum militum præſidium, quod Imperatoris nomine caſtrum occupa-

cupaverat; exire ab eo tandiu diſtulit, donec Cretam ad-
12 ventaret anno 1236. novus Ducha Stephanus Juſtinianus, quo cum convenere Græcorum militum Duces de caſtro in Venetorum jura reſtituendo. Statutis itaque conditionibus Græci exercitus reliquiæ ex Inſula receſſerunt, quæ diu Cretenſibus, ut in contumaci defectionis reatu perſiſterent, authores, & adjutrices ſe præbuerant. Pacta cum Græcis militibus inita proferimus.

„ In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Nos „ ſervitores potentiſſimi & Sancti noſtri Imperatoris videlicet „ Gregorius Luparda & Primikirios Omaurangulos que una „ propria perſcripſi manu, alius namque vivifica ✠ & pretio- „ ſa infraſcriptum per propriam manum ſignum fecit in lo- „ cum autem ipſi proprio & in loco ſculari Domini Johannis „ & ceterorum militum & ſociorum noſtrorum de Caſtello „ Sancti Nicolai juramus ad Sancta Dei Evangelia, & in vi- „ vifice Crucis in loco ſupraſcriptorum ſuperius nominato- „ rum quod ab hodie in antea eſt, Caſtella que tenemus, in „ poteſtate Domini Noſtri ſcilicet Altiſſimi Domini Ducis „ & Venerabilis Ducis Cretenſis Stephani Juſtiniani & Con- „ ſilii veſtri & ſuis ſucceſſoribus & Caſtellum in poteſtate ve- „ ſtri a die prima menſis Auguſti de Indictione nona preſen- „ te & exhibimus omnes de illo cum armis & rebus no- „ ſtris & deſcendemus ad ligna in quibus debemus ire fo- „ ras & ibimus ad Dominum noſtrum Imperatorem, alio- „ quin ſi non poterimus dicto tempore exire & oportebit „ nos permanere in terra debemus eſſe ſalvati corporaliter „ cum rebus noſtris ab omnibus hominibus iſtius terre do- „ nec exierimus de terra & a lignis Curſariorum ſin au- „ tem vinxerint ligna per totum menſem Julii quacunque „ die vinxerint tenentur introire in ea usque ad diem ter- „ tium cum ſociis noſtris & recommendabimus Caſtellum „ illi quem vos illuc miſeritis & nos tenebimus cuſtodire „ & guardare tam ligna illa quam homines & res eorum „ que debent portare nos foras iſtius inſule ad redendum

ad

„ ad Cretam tam per nos quam omnes qui ſunt in pote-
„ ſtate Domini noſtri Imperatoris Sancti & deprecabimus do-
„ minum noſtrum Imperatorem & magnos nobiles homines
„ latini qui ſunt in Annatoli qua de Inſula Crete ſunt ſpecia-
„ liter namque de illis quos nobis in ſcriptis dederit vir no-
„ bilis Duca Crete & adhuc exiendo nos de Caſtello non re-
„ cipiemus aliquid de rebus illorum de Creta tam obſidum
„ quam ceterorum qui ſunt retenti in eo & de rebus illis
„ que nobis date fuerunt in comodaria ſe habeat unusquis-
„ que ſuam propriam cauſam & omnia hec ſupraſcripta ju-
„ ramus hodie per nos & ſocios noſtros omnes in palatio Du-
„ ce Crete menſis Julii XXIII. Indictione nona Anno Domi-
„ ni VI. millia DCCLIIII. ſecundum uſum grecorum teſtes
„ Conſtantinus Sacerdos humilis & Notarius Inſule Crete Sa-
„ lichi preſentes teſtium Sacramentorum ſcripſi per ſupraſcri-
„ ptorum virorum duorum Archonto pro recommandatione
„ dicti Caſtelli ut ſuperius continet teſtifico & ſubſcripſi. Ma-
„ nuel humilis Sacerdos & tabellio acalumpto ſimiliter ſupra
„ preſente ſcriptura & Sacramenta ſupraſcriptorum duarum
„ ſupradeclaratarum pro predicto Caſtello reddere & inſtru-
„ mentum cartule continent teſtifico & ſubſcripſi. Nichitas
„ humilis Sacerdos & tabellio ſallinas predictas exemplis Sa-
„ cramentorum ſcriptas de prima ordinatione & in omni-
„ bus ad hoc ſpecialiter ſcripſi & ſubſcripſi. Actum eſt hoc
„ MCCXXXVI. menſe Julii 23. Indictione nona.

„ In Nomine Dei Eterni Amen. Nos Stephanus Juſtinia-
„ nus de mandato Illuſtriſs. D. Ducis Vener. Duca Crete &
„ Dominus totius Inſule Crete cum noſtro conſilio & cum vi-
„ ris nobilibus magni Conſilii juramus ad Sancta Dei Evan-
„ gelia & per pretioſam & vivificam Crucem atque in Deo
„ & ſuper animas noſtras quoniam non recipiemus videlicet
„ Georgium Laparda & Scolari & Primikirio Maurangulos &
„ omnes veſtros ſocios, qui ſunt in Caſtello Sancti Nicolai
„ ad ſalvandum & cuſtodiendum vos omnes cum omnibus
„ veſtris rebus & dare vobis paſſagium conveniens condu-

„ cendo alla Suda in loco qui vocatur Apicorna ad eundum
„ vos in parte Levantis de Natolis. Item dabimus vobis
„ omnes Annatolicos qui ſunt in noſtris carceribus & ſi de
„ Cretenſibus qui ſunt in Caſtello S. Nicolai usque ad tres
„ vel quatuor volunt venire vobiſcum facere poſſint tamen
„ quod ſcandalum de illis non ſit. Item de illis qui ve-
„ nerant ad recipiendum Caſtellum dictum tenemus quod
„ vobiſcum ſtare debeant ad ſalvandum cum omnibus ho-
„ minibus donec exieritis de predicto portu. Item tenemur
„ ad Dominium poſſe quod vos ſalvi eritis & guardati quo-
„ usque vixeritis in partibus Natolie a fidelibus Dom. Du-
„ cis Venet. Actum eſt hoc MCCXXXVI. Menſe Julii In-
„ dictione nona.

Nec tamen ab eo recuperatæ Inſulæ anno *usque in tempus Nicolai Navigaioſo* (ita Laurentius in citato Chronico) *qui fuit Ducha in* 1261. *numquam defuerunt tumultus in aliquibus Inſulæ locis tam Orientis, quam Occidentis, quos Ducæ ſuccedentes per tempora diverſis modis & artibus repreſſerunt.* Juſtiniani ſucceſſores hi ſunt

Anno 1241. Thomas Dandulo.
Anno 1243. Jacobus Baroccius.
Anno 1245. Joannes Zane.
Anno 1249. Marinus Faletro.

Anno 1250. Petrus Aurio, qui ad roborandam Venetorum coloniam bellorum vicibus & Cretenſium ſævitia non parum imminutam recens ſuſcepit Venetiis miſſum equitum peditumque ſubſidium Ducalis Marini Mauroceni diplomate ex S. C. inſtitutum, prædiisque, & privilegiis inſtructum.

In Nomine Dei Eterni Amen Anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti MCCLII. Menſis Aprilis die penultimo Indictione X.

„ Nos Marinus Maurocenus Dei gratia Venetiarum Dal-
„ matie atque Croatie Dux Dominus quarte partis & di-
midie

„ midie totius Imperii Romanie cum noſtris judicibus & Sa-
„ pientibus Conſilii collaudatione Venetiarum in publica
„ concione cum noſtris ſucceſſoribus damus & concedimus
„ vobis dilectis fidelibus noſtris Venetis quorum nomina ſcri-
„ pta habentur inferius ſeptuagintaquinque militias ex no-
„ naginta militiis que debent fieri ſecundum ordinatum fa-
„ ctum per nos & noſtrum Conſilium de terra puncte de
„ ſpata Inſule Crete que modo libera eſt & que erit tem-
„ pore quo vos ibidem vixeritis, & fueritis cum exercitu
„ noſtro preſenti videlicet a riſa Fraſche & usque ad aliud
„ mare verſus auſtrum & inde usque ad punctam de Spa-
„ ta computando & ponendo terram de pertinentiis gauci.
„ In ipſis LXXXX. militiis que quidem LXXV. militie vo-
„ bis dari debent & conſignari & dividi, & partiri inter
„ vos per noſtrum Capitaneum & ejus Conſiliarios qui erunt
„ ibi pro nobis, & communi Venetiis retinentes ex dictis xc.
„ militiis xv. militias in noſtro Communi ad dandum &
„ faciendum ex ipſis quindecim cavallariis ſecundum quod
„ ipſi Capitaneus & ejus Conſiliarii vel Capitaneus & unus
„ ex ſuis Conſiliariis bonum & utile videbitur noſtro com-
„ muni. Ita tamen quod eas xv. Cavallarias poſſint dicti
„ Capitaneus & ejus Conſiliarii accipere ſicut eidem Capi-
„ taneo & ſuis Conſiliariis vel ipſi Capitaneo & uni ex
„ Conſiliariis ejus palatii erit, & dare cuicunque voluerit
„ antequam terra ſit acquiſita. Verum ſi ante acquiſitionem
„ terre date & conceſſe non fuerint predicte xv. Cavalla-
„ rie vel que remanſerit ex ipſis xv. Cavallariis debeant
„ dicti Capitaneus & Conſiliarii ejus dividere & partiri equa-
„ liter cum dictis LXXV. millitiis noſtris millitum & Sergen-
„ tum inter Commune & vos milites & Sergentes ita quod
„ remaneant xv. Cavallarie in noſtro Communi ut dictum
„ eſt, & LXXV. in vobis militibus & Sergentibus conceſſe
„ ſunt a nobis, ut dictum eſt apud Venetos. Cum itaque
„ a nobis ordinatum ſit quod civitas fieri in dicta terra
„ puncte de ſpata & dicto Capitaneo & Conſiliariis injun-

„ xerimus & commiſerimus quod Civitatem Canee rehedi-
„ ficare, vel aliam civitatem in dicta terra puncte de Spa-
„ ta de novo conſtruere & hedificare in loco quo ipſi Ca-
„ pitaneus & ejus Conſiliarii vel eidem Capitaneo & uni
„ ex ſuis conſiliariis placuerit & bonum & utile videbitur,
„ debeant accipiendo ante partem in circuitu dicte Civita-
„ tis terram per tria miliaria de numero dictarum militia-
„ rum nonaginta, medietas cujus terre debet eſſe commu-
„ nis Venetiarum & aliam medietatem debent capitaneus
„ cum ſuis conſiliariis vel uno eorum dividere partiri inter
„ predictas militias xc. Conſignando vobis militibus & Ser-
„ gentibus partes noſtre ſecundum rationem xc. militiarum
„ quas quidem partes & in civitate & extra que vobis fue-
„ rint conſignate ex nunc vobis damus & concedimus &
„ ſciendum eſt quod ſicut commiſſimus dicto Capitaneo &
„ ejus conſiliariis debet idem cum ſuis Conſiliariis, vel al-
„ tero eorum accipere ante partem in civitate pro Com-
„ muni plateas pro domo & domibus communis & ruga
„ magiſtra & Eccleſia ſeu Eccleſiis & munitionibus edifi-
„ candis ſicut eidem Capitaneo & ſuis Conſiliariis vel ipſi
„ Capitaneo & uni ex ſuis Conſiliariis bonum videbitur &
„ muros dicte Civitatis facient Capitaneus & Conſiliarii he-
„ dificare & pro ipſis edificandis & fontibus Civitatis ſeu aliis
„ munitionibus faciendis ruſticos dictarum partium habere
„ & angarizare debent ſcilicet unum ruſticum pro qualibet
„ militia: ſicut idem capitaneus & ſui Conſiliarii vel ipſe
„ Capitaneus & unus illorum voluerit: Jurisdictionem vero
„ Civitatis & totius diſtrictus puncte de Spata & hujus ca-
„ pita varia, ut ſuperius deſignatum & determinatum eſt
„ regalia comerclas datia exactiones &c. dictus Capitaneus
„ & Conſiliarii ordinare debent ſicut eidem Capitaneo vel
„ ejus Conſiliariis videbitur que omnia debent eſſe Commu-
„ nis Venetiarum & portus maris & Arſena & porte Ci-
„ vitatis & intraſtus debet eſſe ſimiliter terras Venetiarum.
„ Item predicti Capitaneus & Conſiliarii debent accipere

de

„ de omnibus ſupraſcriptis xc. Cavallariis a centum tullanis infra communiter pro utilitate dicte terre de circa „ civitatem ante partem pro communi ſicut ipſi Capitaneo & ſuis conſiliariis vel eidem Capitaneo & uni ex Conſiliariis bonum apparuerit. Item poteſtatem habere debet „ dictus Capitaneus ſimul cum Conſiliariis ſuis vel altero „ eorum Franchandi usque quinquaginta perſonas pro utilitate. In quo numero computari debent illi quibus conceſſe fuerint ſupraſcripte quindecim Cavallarie Communis, vel pars ipſorum. Vos autem milites quibus conceſſe ſunt dicte militie tenorum, & eſtis aſtricti vinculo juramenti vobiſcum a Venetis Cretam ducere, & portare „ & habere & tenere duos equos pro qualibet cavallaria, videlicet de precio libras octuaginta denariorum Venetorum „ ad minus & alium de precio librarum quinquaginta ad „ minus qui equi debent eſſe de tempore trium annorum „ & inde ſuperius tenemini infra menſem unum & dimidium poſtquam Cretam intraveritis certum equum habere pro qualibet Cavallaria, niſi dictum equum tertium „ pro cavallaria qualibet a Venetiis conduxeritis Crete ad preſens qui ſit precio librarum xxv. ad minus. Item quilibet veſtrum conducere, habere, & tenere debet unum „ ſergentem convenientem, & bonum equitem armatum „ ferro, & tres Scutiferos bene armatos ferro & de omnibus aliis armis convenientibus pro qualibet Cavallaria, „ & pro utilitate iſtorum Scutiferorum debet habere unusquisque veſtrum baleſtras duas de eorum bene redatas, „ ex quibus Scutiferis debent eſſe ad minus duo ſufficientes pro baleſtra qui Scutiferi debent eſſe latini & a xx. „ annis ſuperius & L. inferius & quilibet veſtrum debet eſſe ſe bene armatus ferro, & armis omnibus convenientibus „ militi, & debetis habere equum unum bene guarnitum „ de cohopertura ferrea, vel zuppa pro qualibet Cavallaria & quilibet miles ex vobis qui duas militias habetis. „ Inſuper debet habere & tenere unum bonum ſocium, & con-

„ convenientem vos autem Sergentes inferius ſcripti qui me-
„ diam militiam habetis pro quolibet ſimiliter tenemini &
„ eſtis aſtricti vinculo Sacramenti vobiſcum a Venetiis Cre-
„ tam conducere & portare, & habere, & tenere equum
„ unum precio librarum L. ad minus & Scutiferos duos,
„ & tenemini infra menſem unum, & dimidium poſtquam
„ Cretam intraveritis unum alium equum habere & tene-
„ re qui ſit precio librarum XXV. ad minus: & quilibet ve-
„ ſtrum debet eſſe bene armatus ferro, & omnibus aliis ar-
„ mis convenientibus & ſic vos milites & ſergentes debe-
„ tis ire & ſtare ad ſervitium noſtrum, & Communis Ve-
„ netiarum in Inſula Crete in dictis partibus punte de Spa-
„ ta ad acquirendum terram ipſam Domino concedente,
„ & hec omnia que dicta ſunt debent fieri, & obſervari a
„ vobis militibus, & Sergentibus a die primo quo Cretam
„ junxeritis usque ad annos duos completos quibus duobus
„ annis completis ab inde tenemini ſervire guarnire habere
„ & tenere veſtras cavallarias ſecundum formam conceſſio-
„ nis, & capitularis tam obedientie quam aliorum que ſunt
„ & ordinata ſunt tempore preſenti in Creta pro militiis
„ militum de Creta & facto ipſorum militum. Vos autem
„ a nobis & Communi Venetiis pro duobus predictis pro
„ ſolido & Salario noſtro pro qualibet cavalleria debetis ha-
„ bere libras LXX. denar. Venet. de quibus hic in Rivoal-
„ to recepiſtis ad preſens libras CCCC. pro unaquaque Ca-
„ vallaria & apud Cretam debetis recipere & habere alias
„ libras CCC. de havere Communis Veneciarum in princi-
„ pio ſecundi anni pro qualibet Cavallaria. Sciendum eſt
„ quia nullus miles habere debet plus de duabus Cavalla-
„ riis ullo tempore aliquo modo, vel ingenio & aliqua pa-
„ rentella non poteſt habere nec debet ultra quatuor ca-
„ vallarias de iſta terra puncte de Spata. Item ordinatum
„ & firmatum eſt quod pro mutuo quod aliquis noſtrum
„ militum & Sergentum acceperitis pro dicto facto non ſint
„ ullo modo obligate dicte militie & Sergentarie, nec cre-

ditores

„ ditores pro ipſis debitis poſſint nec debeant ullo tempo-
„ re regreſſum habere ſuper ipſis militiis & Sergentariis vel
„ arneſiis ipſarum nec ipſas militias vel Sergentarias vel par-
„ tem ipſarum vel arneſia poſſint habere dictorum debito-
„ rum occaſione aliquo modo vel ingenio. Item ordinatum
„ eſt & firmatum per vos milites, & Sergentes de denariis
„ quos recepiſtis hic in Rivoalto a nobis & noſtro Com-
„ muni pro ſoldo & Salario noſtro & de libris cccc. quas
„ ponere debetis pro qualibet Cavallaria antequam exeatis
„ de Venetiis debeatis facere rationem cum Nobilibus Viris
„ qui preſunt de noſtro noſtrique Conſilii mandato iſti ne-
„ gationibus & omnes denarios ipſos, vel illos qui ex predictis
„ denariis vobis ſuperſuerint ad expenſas, debeatis ponere &
„ aſſignare in manibus predictorum Nobilium, qui denarii
„ debent dari, & aſſignari in manibus Capitanei quem
„ mittimus ad dictas partes puncte de Spata cum preſenti
„ exercitu & idem capitaneus denarios quos receperit vobis
„ militibus & Sergentibus quibus fuerint denarii, vel nuntiis
„ certis debet reddere, & conſignare apud Cretam poſtquam
„ ibi junxeritis quandocunque ſibi poſtulati fuerint infra octa-
„ vum diem & vos tenemini ipſos denarios expendere pro
„ utilitate iſtius facti pro aquiſitione dicte terre infra duos
„ annos predictos ſi fuerit opportunum, nec ipſos denarios
„ dare vel ponere vel expendere debeatis in aliis factis in-
„ fra dictum terminum duorum annorum niſi terra fuerit
„ acquiſita, verum quandocunque terra aquiſita fuerit in-
„ fra tempus predictum duorum annorum liceat vobis fa-
„ cere quod volueritis de ipſis denariis, & ſic eſtis aſtricti
„ juramento faciendi & obſervandi. Item juraſtis quidem
„ ad Evangelia Sancta Dei bona fide ſine fraude attende-
„ re, & obſervare omnia precepta mea quecunque Nos
„ Dux Veneciarum vel ſucceſſores noſtri pro majori parte
„ noſtri Conſilii vobis fecerimus pro facto Inſule Crete aut
„ fieri fecimus, & ea que capitaneus, vel alius Rector ſeu
„ Rectores cum ſuo Conſilio, qui fuerint per tempora ante-

poſiti

„ poſiti in terra ipſa per Nos Ducem & Succeſſores noſtros
„ & majorem partem noſtri Conſilii pro factis ipſius Inſu-
„ le, vobis fecerit, & dabitis operam, & fortium, ut alii
„ Veneti qui partem habebunt in pertinentiis ſupraſcriptis
„ in Creta conſimile faciant juramentum, ad juſticias & ra-
„ ciones complendas fortium dabitis Capitaneo Rectori vel
„ Rectoribus qui ibidem fuerint per tempora pro nobis, &
„ communi Veneciarum. Inſuper autem nobis & ſucceſſo-
„ ribus noſtris eſtis vinculo fidelitatis aſtricti & ſalvare, cu-
„ ſtodire, manutenere, & defendere Inſulam ſupraſcriptam
„ contra omnes ad honorem noſtrum & ſucceſſorum noſtrorum
„ & Venetorum, & ſic debebunt aſtringere filii veſtri vel
„ ſucceſſores poſt deceſſum veſtrum infra unum annum ſi
„ etatem habuerint, & ſi etatem non habuerint debebunt
„ dimittere hominem in loco usque dum pervenerit ad eta-
„ tem in providentia Capitanei vel Rectoris ſuique Conſi-
„ lii qui ibidem erunt pro tempore pro nobis & Commu-
„ ni Veneciarum. Illi videlicet veſtri heredes vel ſucceſſo-
„ res qui illas veſtras militias & Sergentarias medie mili-
„ tie habebunt & illi in quibus erunt, quas nec vendere,
„ nec alienare debetis niſi Venetis & eis etiam non ſine
„ conſenſu Capitanei vel Rectoris & ſui Conſilii, qui ibi-
„ dem erunt pro tempore pro nobis & Communi Venetia-
„ rum & in loco veſtri alium dimittere vel conſtituere non
„ debetis ſine conſenſu Capitanei vel Rectoris ſui Conſilii
„ qui erunt ibidem pro tempore pro nobis & Communi
„ Venetiarum.

„ Hii ſunt milites quibus conceſſimus militias ſupraſcri-
„ ptas LXX. Jacobo Georgio de Sancto Samuele militias
„ duas Jacobo Theoniſto de Sancto Thoma militias duas
„ Andree Piſinulo de Sancto Fantino militias duas Zacha-
„ rie Raguſeo de Sancto Apoſtolo militias duas Juliano Zan-
„ charolo de S. Marina militias duas Rainerio de Canali
„ de Sancto Felice militias duas Marino Zane de Sancta
„ Maria Mater Domini militias duas Petro Cauco de San-

cto

„ ſto Blaſio militias duas Marco Juſtiniano de Sancto Luca
„ militias duas Andree Baroccio de Sancto Moyſe militias
„ duas Marino Michael de S. Caſſano militias duas Joanni
„ Foſcaro de Sancto Paulo militias duas Filippo de Moli-
„ no de Sancto Gervaſio militias duas Petro Carazacanepo
„ de Sancto Hermacora militias duas Raphaeli Contareno de
„ Sancta Marina militias duas Philippo Cornario de Sancto
„ Felice militias duas Joannino Dandulo de Sancto Salvato-
„ re militias duas Marino Quirino de Sancta Juſtina mili-
„ tias duas Petro Zane de Sancto Stephano militias duas
„ Jacobo Magino de Sancto Samuele militias duas Joanni
„ Michaeli de Sancto Joanni Griſoſtomo militias duas Ja-
„ cobo de Chanali de Sancto Felice militias duas Carlo de
„ Laurentio de Sancto Gervaſio militiam unam Natali de
„ Porto de Sancto Marciale militiam unam Joanni Grado-
„ nico de Sancto Paterniano militiam unam Henrico Fuſcu-
„ lo de Sancto Apoſtolo militiam unam Marino Belligno de
„ Sancto Caſſiano militiam unam Matheo Raguſeo de San-
„ cto Vitale militiam unam Simeoni Venerio de Sancto Hie-
„ remia militiam unam Nicolao Zancarolo de Sancta Ma-
„ ria Nova militiam unam Petro Navagerio de Sancto Joan-
„ ni Novo militiam unam Andree Gerardo de Sancto Pau-
„ lo militiam unam Michaeli Signolo de Sancto Vito mili-
„ tiam unam Bartholomeo Calbo de Sancto Petro de Ca-
„ ſtello militiam unam Angelo Francho de Sancto Moyſe
„ militiam unam Joanni Pantaleo de Sancto Luca militiam
„ unam Laurentio Maſſulo de Sancto Vitale militiam unam
„ Comiti Pitulo de Sancto Rafaele militiam unam Joanni
„ Zanchani de Sancto Joanni Decolado militiam unam Fi-
„ lippo de Aibolo de Sancta Fuſca militiam unam Mari-
„ no Gamalde de Sancto Symeone militiam unam & iſti
„ infraſcripti ſunt Sergentes quibus conceſſe ſunt Sergenta-
„ rie, ſcilicet mediam militiam pro quolibet.

„ Nicolao Orzario de Sancto Joanne Evangeliſta militiam
„ mediam. Matheo de Mez de Sancto Paulo militiam me-

„ diam Jacobo Baliſtario de Sancto Juliano militiam mediam
„ Jacobo Mudacio de majoribus militiam mediam Bonacur-
„ ſo Roſſo de Sancto Samuele militiam mediam Ade Aurifi-
„ ci de Sancto Samuele militiam mediam.

„ ✠ Ego Marinus Mauroceno Dei gratia Dux manu
„ mea ſcripſi.
„ ✠ Ego Marcus Geno Judex manu mea ſcripſi.
„ ✠ Ego Joannes Juſtiniano Judex Communis manu mea
„ ſcripſi.
„ ✠ Ego Petrus de Mulino Conſiliarius mm. ſs.
„ ✠ Ego - - - - Advocator Communis mm. ſs.
„ ✠ Ego Stefanus Marioni Camerarius mm. ſs.
„ ✠ Ego .... Cornario Conſiliarius mm. ſs.
„ ✠ Ego Marinus Caſſuli Conſiliarius mm. ſs.
„ ✠ Ego Angelus Maurocenus Conſiliarius mm. ſs.
„ ✠ Ego Stefanus Juſtinianus mm. ſs.
„ ✠ Ego Jacobus Baſilio mm. ſs.
„ ✠ Ego Joannes de Canali mm. ſs.
„ ✠ Ego Petrus Gradonico mm. ſs.
„ ✠ Ego Filippus Juliano mm. ſs.
„ ✠ Ego Marcus Faletro mm. ſs.
„ ✠ Ego Joannes Premarino mm. ſs.
„ ✠ Ego Angelus Mauroceno mm. ſs.
„ ✠ Ego Leonardus Quirino mm. ſs.

„ Ego Gabriel Paulinus Notarius & Ducalis Aule Venetia-
„ rum Cancellarius complevi & roboravi.

„ Poſt hæc anno & Indictione ſupraſcriptis die XV. intrante
„ ſupraſcripto menſe Maii. Nos Dux ſimiliter dedimus & con-
„ ceſſimus vobis Gervaſio Sagornino de Sancto Samuele & Mar-
„ co Agadi de Sancto Caſſiano duas militias ſcilicet unam uni-
„ cuique veſtrum quæ quidem militiæ prius a nobis fuerant
„ conceſſæ ſupraſcripto Juſtiniano Juſtiniano, quas poſtmodum
„ in manibus noſtris reſutavit pro quibus militiis nobis pro-
„ miſſionem & Sacramentum feciſtis, & manifeſtant, ut ſu-
„ praſcripti milites nobis fecerunt pro militiis ſuis ſupraſcriptis.

Duca-

Ducalis hujuſce conceſſionis mentionem dedit Dandulus in Chronico lib. X. cap. VI. par. V. *Eodem anno cum Veneti, qui ad ſubmittendum Græcos in Cretam miſſi fuerant, eorum ferocitatem viriliter conculcaſſent, nunc Dux Regionem nominatam Punctæ de Spata, ab illis hoſtiliter ſubtractam Nobilibus Venetis & Popularibus poſſidendam in feudum conceſſit, & Civitatem Canæ de novo fundari mandavit.*

Anno 1252. Provinciæ præfectus fuit Ducha Thomas Juſtinianus; deinde 18

Anno 1254. Joannes de Canali. 19

Anno 1256. Angelus Maurocenus. 20

Anno 1259. Joannes Belegnus, qui iterum hoc munus inivit anno 1271. 21

Anno 1261. Jacobus Delphinus regimen ſuſcepit, quo anno Michael Palæologus Conſtantinopolitanam urbem ex proditione Græcorum incolarum invaſit expulſis inde Latinis, qui ibidem per annos 58. Imperium habuerant. Recepti itaque Imperii ditionem dilatandi cupidus Palæologus anno ab occupata Imperiali urbe ſecundo Græcum quemdam Thraciæ Dynaſtam cum aliquot triremibus in Cretam immiſit, qui primo impetu Caſtrum Larmiro nuncupatum expugnavit, litterasque Palæologi ad Græcos Inſulæ primates miſit, quibus eos ad recuperandam libertatem, & ad Imperii Græci gloriam reſtituendam hortabatur. Ad hæc Cretenſes, ſe in juſtiſſimi & mitiſſimi Dominii poteſtate poſitos nunquam a fide Sacramenti, qua ſe alligaverant, receſſuros. Quare re infecta Thraciæ regulus ab Inſula ſe recipere coactus fuit, & captum Larmiri caſtrum Nicolaus Navigajoſo Ducha, qui eodem anno Provinciam regendam exceperat, facile recuperavit. 22 23

Marcus Dandulo Ducha Navigajoſo ſucceſſit anno 1263. qui nondum domitos rebellium animos in officio continuit, & primis eorum motibus propere occurrens totius Regni tranquillitatem conſervavit. 24

Inſeſtiores expertus eſt populi motus in ipſa urbe Candiæ

25 Andreas Zeno Ducha, qui anno 1265. Insulæ regimen cœpit: exorto enim ex gemino homicidio turbarum tumultu cum alii homicidas ad necem quærerent, alii ipsis manifeste faverent, Dux adhibito prius omni mansuetudinis, & prudentiæ studio cum seditiosos comprimere nequaquam posset, accepto ex Urbe Veneta valido equitum peditumque subsidio flagitiosos motuum authores supplicio addixit, & urbem ad pristinæ pacis statum restituit. In his autem mobilis populi seditionibus, aliisque Cretensis Insulæ rebus enarrandis brevitati consulo, tum quia hoc studiis meis consilium proposui, ut illa tantum attingerem, quæ ad documentum aliquod proferendum, opportunitatem faciunt, tum potissimum, quia omnia ea, quæ Veneti Senatus sapientia egit, in compescendis Insulæ novis subinde defectionibus, & intestinis indigenarum odiis, quæ ad strages sæpius proruperunt, tum virtutem, prudentiamque eorum, qui Venetam classem, & terrestres copias adversus rebelles moderabantur, susius enarrantur in Venetis historiis. Porro hanc consilii mei rationem (ut iterum suo loco dicam) ad illam etiam referri volo, quæ de sævissima Turcarum invasione, deque urbium Cretensium expugnatione, & diuturna Candiæ Metropolis oppugnatione, in qua potissimum enituit Veneti Senatus constantia, luculenter protulerunt clarissimi Scriptores, atque inter eos celeberrimus Andreas Valerio Senator in Cretensis belli historia ab ipso confecta. Inani itaque labore me, lectoresque vexarem, si ea recoquerem, quæ viri clarissimi scriptis jam in lucem editis consignarunt.

Restitutæ tranquillitatis meritum, quod Andreæ Zeno Duchæ tribuitur a nonnullis Venetarum rerum Scriptoribus, Andreas Cornelio in Chronico ms. asserit esse adscribendum Pe-
26 tro Baduario Duchæ, Andreæ ipsius anno 1269. successori, qui dum ea quæ ad animorum conciliationem ducunt, sapienter agit, morte præruptus in sacra Minorum de Observantia Æde Divo Joanni Baptistæ sacra tumulatus fuit. Ducis obitum consequuta est seditiosorum hominum protervior audacia; novis

novis enim motibus Cretæ excitatis rem omnem privatam & publicam hoſtiliter ſus deque vertebant, cum ad comprimenda tot eorum flagitia opportunus Venetiis advenit anno 1271. Joannes Belegnus rerum experientia ob munus alias adminiſtratum probatiſſimus, cui proinde tot veteranas copias aſſignaverat Senatus, quot eſſent ſatis ad perduelles retundendos. Igitur virtute ſua & militum armis feliciter uſus brevi turbas omnes compoſuit. Sed, ut plerumque fit in morbis hujusmodi inteſtinis & occulte ſævientibus, quies illa rerum non fuit diuturna. Paucis quibusdam ultimo ſupplicio affectis, aliisque multis exulare juſſis, celerius, quam par erat, ſibi perſuaſit Belegnus, multo ſe milite non indigere ad Urbis ſuæque Præfecturæ defenſionem, propterea copias, quas adduxerat, magna ex parte Venetias reduces dimiſit. Sed incautæ eum fiduciæ ſtatim pœnituit, ſiquidem a militum diſceſſu illico Georgius & Theodorus Curtatii fratres familiæ opulentia & audacia facinorum inter Cretenſes primi, cognita præſidii ſuperſtitis imbecillitate, animos erexerunt, & opportunam nacti occaſionem, ſupremum Inſulæ Dominium, cui jampridem inhiabant, affectare cœperunt. Coacta igitur ingenti Græcorum manu, ut erat natio illa fidei admodum incertæ, & mobilis, novisque ſemper rebus ſtudens, diſcurrebant tota late Inſula, & prædonum more cædibus ac rapinis omnia fœde vaſtabant. Ad coercendos rebelles Joanni Duchæ ſuppetias tulit Alexius Calergius vir inter Inſulanos nominis fama, generis nobilitate, & opibus facile princeps. Conjunctis itaque copiis graſſantes rebelles ad Apoſſolemi fluvium affequuntur, cumque ad pugnam deventum eſſet, confeſtim imperita ſeditioſorum multitudo disjicitur, & ad usque Laſſiti campum urgetur, quæ regio Candia diſtat millibus paſſuum triginta: Sed Curtatii clade hac non fracti, novis artibus, factioſorum numerum & partium ſuarum robur auxerunt, quo tempore ex Italia anno 1272. ſupervenit novus Ducha Marinus Zenus validis viribus a Veneti Senatus vigilantia inſtructus. Hic pacis artibus, & eloquentia magis præ-

ſtans

ſtans quam militari ſcientia, dum rebelles toto cum exercitu alacriter infectatur, ab iisdem pavidam fugam ſimulantibus in anguſtias montium adducitur, ubi inter aſſurgentes undique inſidias, dum ſtrenue dimicat, cum maxima copiarum parte occumbit.

Res adeo infeliciter geſta Venetorum Patrum animos commovit magnopere, qui ut recrudeſcenti morbo præſens remedium adhiberent, & damna in dies majora vitarent, an-
29 no 1274. Marinum Maurocenum Ducham cum delectis peditum equitumque turmis miſerunt. Deſcenſu in Inſulam facto, hoſtem non uno certamine fregit, ſed tamen ſævientе magis magisque rebellionis contagio parum aut nihil profecit. Rem paucis verbis complectitur Dandulus in Chron. lib. X. cap. VIII. par. XIII. *Marinus Zeno Ducbas Cretæ contra Georgium Curtatio, qui Conſtantinum occiderat, & Græcos quaſi omnes rebelles feceras, cum exercitu procedit, & in anguſtis paſſibus introiens a Græcis cum pluribus Nobilibus interimitur. Hoc autem grave ferens Dux Venetiarum Marinum Maurocenum Ducam creatum cum equitibus, & peditibus illuc mittit, qui bellum ſæpius cum rebellibus peragens aliquando proſpera, aliquando adverſa perpeſſus eſt.*

Succeſſus magis adverſos habuit expeditio novi Duchæ
30 Petri Zeni anno 1276. ſiquidem commiſſa ſæpius pugna contrariam ſemper fortunam expertus ſe ſe cum copiarum reliquiis intra Candiæ mœnia recepit, & arctam obſidionem ſuſtinuit a Georgio Curtatio, qui urbis deditionem ſi minus armis, at certe fame obtinendam ſperabat. At conſtantiſſime perſtiterunt tum ea, quæ ibi erat, Venetorum Colonia, cum multi ex ipſis Græcis Veneto nomini addicti, adeo ut Curtatius motis inde caſtris recedere tandem coactus fuerit.

Nec multo poſt, ut clades priſtinas, & Venetæ Reipublicæ gloriam repararet, Cretam appulit anno 1278 Ma-
31 rinus Gradonicus Ducha cum tribus bellicis navibus, quibus electos milites advehebat. Cum primum licuit per anni tempus copias mœnibus eductas contra hoſtes in aciem in-

inſtruxit, eosque penitus profligavit, adeo ut Curtatii fratres rebus ſuis plane deſperatis, ſeque impares viribus Venetorum experti clam ex Inſula evaſerint, quorum fuga comperta, qui ſupererant rebelles, veniam implorarunt, & datis obſidibus obtinuerunt. Marini Duchæ victorias recenſet Dandulus lib. X. cap. IX. par. XXV. his verbis *Marinus Gradonico Ducbas Cretæ cum Feudatariis & militia, quam de Venetiis babuerat, Georgium Curtatio cum exercitu ſecus Urbem Candiæ venientem in conflictum poſuit, & illum cum Theodoro fratre ſuo, & aliis auctoribus ſupradictæ rebellationis exire Inſulam coegit. Reliqui vero Græci miſericordiam poſtulantes ad gratiam benigne ſuſcepti ſunt.* Ut autem viri de Arna & Agrio propter opportunitatem munitiſſimi loci pervicaciores, facilius quieſcerent, Caſtrum Selini veluti validum ad compeſcendas turbas propugnaculum in iis finibus provido conſilio Ducha ædificari juſſit.

Hiſce bellis fauſte confectis Gradonicus Creta ſolvens ſucceſſorem anno 1280. habuit Andream Gabrielium, qui mo- 32
rum ſuavitate Boni ſibi agnomen conciliavit, Calos Græce nuncupatus.

Anno 1282. Cretæ adminiſtrationem ſecunda vice ſuſcepit Marinus Gradonicus Ducha, qui ætate gravis & labori- 33
bus fractus inita vix dignitate e vivis migravit, & in Ducali S. Marci Candienſi Baſilica ſepultus fuit.

Proſperum interea curſum poſt tot bellorum civilium vices tenere videbatur Cretæ tranquillitas, cum nova defectionis procella eo quidem gravior & periculoſior, quo ab amico olim homine & opum affluentia potenti commota fuit. Alexius Calergius vir nobilitate generis, & nominis authoritate apud Cretenſes ex primis, ſibi erepta Marini Duchæ juſſu ſuarum immunitatum privilegia dolens gravi minacique ſermone non in Magiſtratus ſolum, ſed & in Reipublicæ dominationem erupit. Quum autem a Jacobo Dandulo Ducha anno 1283. Cretam appulſo quæreretur ex Senatus decreto ad pœnam, præmonitus a Græculo Venetiis com-

commorante clam ſe ſubtraxit, collectoque valido ſuorum agmine apertum Venetis bellum indixit. Ut autem vir erat bellicæ ſcientiæ peritus collectitiam rebellium turbam adverſus bene inſtructas Venetorum copias nolens adducere, in montium anguſtias, & munitiſſima loca ſe ſe collegit, oblatique ſibi non ſemel certaminis periculum declinavit, univerſæ interim Inſulæ rapinis & incendiis vaſtationem exercens. His artibus, & effuſa præterea opum liberalitate bellum adeo proſpere conſtanterque continuavit, ut non ſolum Dandulum, ſed multos etiam Duchas ipſius ſucceſſores aſſiduis excurſionibus, frequentique e latebris eruptione fatigaverit, apertosque Veneti exercitus impetus mira arte per annos octodecim ipſos eluſerit.

35 Anno 1285. Petrus Juſtinianus.

36 Anno 1287. Andreas de Molino.

37 Anno 1290. Albertus Maurocenus, cujus regimen triplici belli, famis, & peſtis flagello funeſtum fuit. Quum autem peſte ſedata, & annonæ abundantia reſtituta Rethimum urbem ſe contuliſſet, ut exortas ibidem turbas ſedaret, graviſſimo correptus capitis dolore obiit.

38 Anno 1293. Hermolaus Zuſto, vir belli & pacis artibus clariſſimus Hermolai filius, quo Inſulam regente acceſſit ad cætera mala Reipublicæ etiam antiqua Januenſium æmulatio, qui fraudulenter ad Cretam accedentes Cydoniam urbem *Caneam* nuncupatam *ſubito aggredientes*, (Chron. Danduli, ut notatum legitur in codice Ambroſiano,) *ceperunt, cum Incolæ dicti loci & Rector ejus non valuiſſent contra ipſos tam cito reparare, quam civitatem comburentes in locis plurimis poſtea Januam reverſi ſunt*. Paulo autem poſt in codice Ambroſiano de Januenſibus legitur: *Alexius*, Calergi, *tempore guerræ cum Januenſibus nuper præteritæ per ſolemnes eorum Ambaſciatores allicitus ut contra Venetos eſſet, hoc eis dedit reſponſum. Quamvis cum Communi Venetiarum ad præſens habeam aliquam novitatem, quod mihi tamen fuit, & eſt graviſſimum, & moleſtum, tamen ſi poſſibile foret, quod in mari poſſem*

poſſem ut in terra meam potentiam dominare certiſſime contra vos eſſem gladius peſſimus & acutus; ipſosque talibus reſponſis licentiavit.

Nec tamen ex Chronici verbis colligere licet, Januenſes ſponte ſua Caneam deſeruiſſe, ſiquidem Andreas Dandulo co- 39
gnomento Calvus Joannis Ducis Venetiarum filius cum regimen Inſulæ (ut notat Andreas Cornelius in Chronico) anno 1294. ſuſcepiſſet, valido exercitu ex Inſula atque ex proxima Peloponeſi regione collecto, & adverſus Januenſes immiſſo urbem recepit, multosque deinde rebelles, & publicos viarum prædones præſenti ſuſpendio addixit. Porro Andream in Cretenſis Provinciæ adminiſtratione per tres & ultra annos ſtetiſſe aſſerit in Chronico ſupra citatus Cornelius, quam ſucceſſori dimiſit anno 1298. Quæ cum ita ſint, emendandus fortaſſe erit ex his chronicis notis Marcus Barbarus in ſerie Procuratorum S. Marci, qui Andream Dandulum refert ad onus Procuratiæ aſſumptum anno 1293. die 4. Auguſti, cujus viri authoritate adductus ipſum ad eundem annum Procuratorem retuli in Eccleſ. Venet. Tom. X. ** pag. 323. Nec abſimili virtute Jacobus Theupulus ſuperius 40
laudati Jacobi Ducæ Cretenſis, ac deinde Ducis Venetiarum ex filio nepos Danduli locum excepit anno 1298. qui cum novas apud Anapolim ſeditiones exoriri noviſſet, antequam latius progrederentur, ſubito in eas facto impetu repreſſit, & flagitioſos homines ſumpto de peſſimis publico ſupplicio ad officium redire coegit.

Interea Senatus virum nobiliſſimum, quem, diuturna licet rebellione irretitum, Veneto nomini addictum oſtenderant reſponſa Januenſibus data, cupiens ad antiquam fidem factis pridem comprobatam reverti, Vitali Michaelio, cui 41
poſt Theupulum Candiæ regimen delatum fuerat anno 1299. mandavit, ut de pace cum Alexio Calergio ineunda ſtudioſius ageret. Ut autem hominem invenit in gratiam cum Venetis redeundi maxime quidem cupidum, ſed tamen augendæ ſuæ conditionis non mediocriter avidum, ægre ad-

modum factum est, ut statuendæ reconciliationis pacta cum eo, quod Rempublicam Principem decebat decore, & utilitate firmarentur. Sagacitate itaque Joannis & Andreæ ex gente Cornaria, qui conciliandæ pacis munus ex Michaelii Duchæ mandato susceperant, effectum est tandem, ut Alexius a rebellione ad debita obsequia reverteretur, cumque ipse præteriti reatus veniam postulasset, Vitalis Ducha antiquas prærogativas, & privilegia non solum ei publico nomine renovavit, sed & alia quoque honoris insignia, & redditurum incrementa adjecit, quæ susius recensentur in litteris, nulla chronica nota signatis, per quas ipse Ducha ejusque Consiliarii firmatæ concordiæ tractatum, & conditiones Petro Gradonico Duci Venetiarum & Senatui significarunt.

„ Excelentissimo Domino nostro Domino Petro Gradoni-
„ co Venetiarum Dalmatiæ atque Chroatiæ inclyto Duci,
„ & Domino quartæ partis & dimidiæ totius Imperii Ro-
„ maniæ Vitalis Michael Ducha Cretæ & ejus consilium cum
„ omni reverentia & subiectione seipsos. Noverit vestra Ma-
„ gnificentia per præsentes quod in principio nostri Regi-
„ minis fuit visum nobis conveniens pro meliori negotio
„ suspendere, & non incipere aliquem tractatum cum Ale-
„ xio Calergio, ad hoc ut ab eo aliquis inciperetur tracta-
„ tus, qui elapsis diebus aliquibus, de pacis tractatu fecit
„ per personas interpositas nos requiri, & nos per easdem
„ personas sibi fecimus respondere, quod si vellet cessare
„ ab inconvenientibus petitionibus, & haberet voluntatem
„ faciendi illud, quod conveniret pro honore Dominationis
„ vestræ, & bono statu Cretensis Insulæ, Dominatio face-
„ ret sibi illud, quod esset conveniens, ipse vero misit pe-
„ tendo talia, quibus non esset præbendus auditus, & nos
„ supersedimus de negotio usque ad unum mensem ostenden-
„ do nos nihil curare de negotio, & ipse occasione cujus-
„ dam Burgensis vestri capti ab hominibus de Monovasia,
„ & transmissi ad eum Alexium pro concambio faciendo
„ pro quibusdam hominibus de Monovasia, quos in carce-

re

„ re inveneramus Cretæ, miſit litteras ſuas Nobili viro Joan-
„ ni Cornario continentes, quod ſi permitteremus eum, &
„ Nobilem virum Andream Cornarium ire ad eum, vole-
„ bat ordinare de dicto concambio, & tractare & loqui cum
„ eis. Dictus vero Joannes præſentavit nobis litteras ſuas,
„ & nos vidimus eas, & per ipſarum tenorem non appa-
„ ruit nobis, quod ire deberet, immo commiſimus eis, quod
„ non deberent ſibi mittere reſpondendo, niſi ſuper facto
„ concambii, & ipſe Alexius miſit eidem Joanni reſponden-
„ do niſi ſuper facto concambii, & ipſe Alexius miſit ei-
„ dem Joanni ſcribendo, quod volebat facere illud, quod
„ conveniebat pro honore veſtro & bono terræ, & tunc
„ permiſimus eos ire, ſed commiſimus eis, quod deberent de-
„ ducere de petitionibus ſuis juxta eorum poſſe, & ſi non
„ deducerentur tot, quot videbitur eis, quod negotium poſ-
„ ſit deduci ad effectum, quod non deberent inde audire
„ aliquid, ipſi vero iverunt, & redeuntes tulerunt nobis in
„ ſcriptis ultra cambium, ea quæ Alexius poſtulabat, in
„ quibus ſcriptis multa dimiſerat de his, quæ primitus po-
„ ſtulabat. Et nos ex deliberatione Conſilii duodecim or-
„ dinatorum ad hoc juxta noſtri mandati formam deducen-
„ do etiam per nos multa de his, quæ petebat, fecimus
„ ſibi ſcribi per eosdem nobiles Joannem & Andream Cor-
„ nario, ea quæ ſibi facere poteramus. Et dictus Alexius
„ venit ad rixam pro dicto concambio, & miſit pro nobi-
„ libus ſupradictis. Nos autem permiſimus eos ire, qui non
„ ſine longa verborum ſerie, immo cum multo & laborio-
„ ſo tractatu verborum, & multorum ſermonum ratiocinio
„ fuerunt concordes de omnibus excepto de Epiſcopatibus,
„ & ſtando pluribus diebus, & videndo, quod negotium re-
„ manebat, conſiderato periculo utriusque capitis, & totius
„ Inſulæ, & etiam conſiderato honore veſtro, & bono ſta-
„ tu Venetiarum, ac ſecuritate Inſulæ habita deliberatione
„ Conſilii diebus pluribus ſuper hoc, apparuit nobis, & ſu-
„ pradicto Conſilio non dimittere negotium pro ipſis Epi-

„ ſcopatibus, & id de ipſis fecimus quod continetur in re-
„ ſcripto dicti tractatus, quod Magnificentiæ Veſtræ mitti-
„ mus præſentibus introcluſum, & ipſe Alexius venit itera-
„ to ad rixam pro dicto concambio, & nos miſimus dictos
„ nobiles pro firmando tractatum prædictum, qui die Lu-
„ næ quarto exeunte Aprilis iverunt ad eum, & ea quæ
„ tractaverunt, fuerunt per eos ex parte noſtra, & per eun-
„ dem Alexium ſacramento firmata, & ut ſciat Magnifecen-
„ tia Veſtra tractatum totum & omnia quæ firmavimus
„ cum Alexio memorato per reformationem ſtatus Creten-
„ ſis Inſulæ de voluntate & conſenſu Nobilium duodecim
„ prædictorum Excellentiæ veſtræ denotamus ea in ſupradi-
„ cto ſcripto. Noſcendo pro tantæ univerſalitatis & ſpecia-
„ litatis lætitia in Inſula Cretæ ex hujusmodi pace prove-
„ nit, quod vix exprimi poſſet litteris vel ſermone, nam
„ dictus Alexius cum multa verborum & juramentorum pro-
„ mittit ſe fidelitatem veſtram & pacem omnibus inviola-
„ biliter perpetuo ſervaturum, & eſſe ſemper ad veſtrum
„ ſervitium & honorem. Nos enim ſperamus in Domino,
„ quod dirigemus, & ponemus ad tale punctum Inſulam
„ veſtram, quod perſeverabit in longa pace, & quod inco-
„ læ ejusdem Inſulæ dante Domino ſibi ſentient adveniſſe
„ ſtatum proſperum & tranquillum. Et cum in dicto re-
„ ſcripto contineatur, quod non debeat tenere equas, ſed
„ pro decem, quas habet, debet mittere Magnificentiæ Ve-
„ ſtræ litteras ſuas pro ipſis tenendis, & eis fieri debeat in-
„ fra annum unum, quod nobis miſeritis injungendo; de
„ quibus volentes nos dare ſibi Roncinos decem pro reſtau-
„ ratione non potuimus de ipſis cum longo tractatu ver-
„ borum ad aliud pervenire. Vos autem tamquam Domi-
„ nus de hoc facietis quod convenire videbitur Excellentiæ
„ Veſtræ, nos tamen non conſulimus quod equæ prædictæ
„ remaneant in Inſula ullo modo: credimus tamen quod
„ erit conveniens atque bonum ſuper reſtauratione dictarum
„ equarum dignemini ſibi facere illam proviſionem quæ Ma-

gnifi-

„ gnificentiæ Veſtræ videbitur convenire. De ſollicitudine
„ vero dictorum Nobilium quam habuerunt in tractatu præ-
„ dicto non ſcribimus vobis per ordinem quoniam longum
„ eſſet, ſed hoc ſub brevitate deſcribimus, quod ita ope-
„ rati fuerunt, ac ſi fuiſſet negotium totum ſuum, & ſi ip-
„ ſi non fuiſſent, non potuiſſet pacis negotium percomple-
„ ri, propter quod eos habere dignetur Veſtra Magnifcen-
„ tia commendatos.

„ Hæc eſt forma pacis firmatæ cum Alexio Kalergio,
„ quæ debet in publicam formam reduci.

„ Nos Vitalis Michael de mandato Domini Ducis Venetia-
„ rum Ducha Cretæ cum noſtris Conſiliariis & ſucceſſoribus
„ noſtris notum facimus univerſis tam Latinis quam Græcis
„ præſentibus & futuris præſentem paginam inſpecturis, quod
„ recepimus te Nobilem Virum Alexium Calergium ad fide-
„ litatem prædicti Domini Ducis, & noſtram & fecimus ge-
„ neralem remiſſionem bonam puram fidelem & ſine frau-
„ de tibi & omnibus, qui ſunt ad præſens in Inſula Cre-
„ tenſi ac Michaeli Curtatio & omnibus aliis rebellibus cu-
„ juscumque conditionis ſint de omnibus offenſionibus factis
„ tam tempore pacis, quam guerræ.

„ In primis omnium damus, & concedimus tibi omnia
„ feuda, quæ habebas in principio hujus guerræ ante tuam
„ rebellationem, cum omnibus ſuis habentiis & pertinentiis,
„ ac Villanis.

„ Item damus & concedimus tibi militias quatuor a ſca-
„ lis Strumbulis ultra verſus Ponentem cum terra de Me-
„ gapotamo, & accipere debeas quaſcumque volueris a ſca-
„ lis de Prinangulo citra verſus Levantem.

„ Item damus, & concedimus tibi militias de Stimbo'o,
„ & Chorio Monaſterio ſicut olim tenebat eas Georgius Chor-
„ tacius, te tamen ſolvente pro ipſis illis qui eas habebant
„ yperperorum duo millia, vel quidquid fuerint extimatæ.

„ Item damus & concedimus tibi militias duas pro eo pre-
„ tio, quo fuerint extimatæ unam quarum poſſis accipere

quam

„ quam volueris in Chiſamo, vel in Narna cum hac con-
„ ditione, quod tu poſſis eam dare cuicumque volueris ex
„ rebellibus, non reſervando extra aliquid in te, nec pro
„ tuis hæredibus, & alteram poſſis accipere quamcumque
„ volueris a ſcalis de Prinanculo citra verſus Levantem.

„ Item damus & concedimus tibi militias quinque, quas
„ poſſis accipere a rebellibus, & dare cuicunque placuerit ti-
„ bi ſolvendo yperperos centum pro qualibet, non accipien-
„ do de ipſis ultra militiam unam a Demitrio Valaſtro, & ſi
„ accipies aliquam ex ipſis in Chiſamo vel in Narna, quod
„ non poſſis ex eis aliquid tenere pro te nec pro tuis hæ-
„ redibus.

„ Item volumus quod poſſis emere quolibet anno cum
„ tuis hæredibus equos quindecim ab armis vel ronzinos ad
„ voluntatem tuam, & ſi non poſſes eos habere ad emen-
„ dum, quod Signoria teneatur dari facere tibi & tuis hæ-
„ redibus quolibet anno pro juſto pretio equos decem ab
„ armis, ſi tibi tot deficerent a numero dictorum quinde-
„ cim de illis qui ſunt extra varnitionem.

„ Item volumus quod habeas libertatem dandi feuda &
„ equos, quæ & quos tibi ſuperius conceſſimus cuicumque
„ volueris.

„ Item damus & concedimus tibi omnia Monaſteria Com-
„ munis, quæ ſunt ultra ſcalas Stromboli verſus Ponentem
„ pro eo affictu, qui ſolvebatur ex eis ante incæptionem
„ præſentis guerræ.

„ Item de Epiſcopatu Atinienſi vacante Paſtore ad præ-
„ ſens, quem petis pro uno Epiſcopo Græco, quod Signo-
„ ria faciet ſuum poſſe, quod Archiepiſcopus det tibi ipſum,
„ ſecundum tenorem litterarum ſuarum alioquin quod tu,
„ & tui hæredes & tui debeatis facere cum Archiepiſcopo,
„ Epiſcopo & Clericis quidquid volueritis, quod Signoria
„ & Laici non intromittent ſe in hoc.

„ Item quod alios Epiſcopatus ſcilicet Milopotamenſis, &
„ Calamonenſis, quos tu petis ad affictum pro yperperis

tre-

„ trecentum quinquaginta annuatim videlicet poſſeſſiones ip-
„ ſorum Epiſcoporum, Dominatio faciet tibi dare ad affi-
„ ctum ad annos quinque, & deinde in antea tenebitur Si-
„ gnoria facere poſſe ſuum ad faciendum tibi dari eos ad
„ affictum ad quinque annos usque ad annos quinquaginta
„ octo, & ſi non poſſet eos tibi dari facere ad affictum,
„ quod Signoria vel Laicus aliquis non intromittet ſe, ſed
„ tu cum tuis hæredibus & cum tuis facies cum Archiepi-
„ ſcopo cum Epiſcopis & Clericis ſicut volueris.

„ Item quod tu & omnes rebelles poſſitis facere paren-
„ tellas cum Latinis.

„ Item quod tu & tui hæredes non teneamini intrare in
„ civitates vel in Caſtella, vel alia loca, quo vellet vos vo-
„ care facere Signoria, ſi nolueritis, ſed debeatis mittere
„ nuntios veſtros ad dandum & audiendum & accipiendum
„ rationem.

„ Item volumus quod habere debeas Monaſteria omnia
„ Patriarcharus ad affictum ſolvendo annuatim pro affictu
„ eorum yperperos decem ultra illud quod ſolvebatur ex eis
„ pro quolibet.

„ Item volumus quod omnes Franci a tempore pacti Do-
„ mini Marci Dandulo olim Duchæ Cretenſis usque ad diem
„ primum, quo rebellaſti debeant eſſe franchi, & qui non
„ fecerunt renovare ſuas cartas franquitatum ex juſto impedi-
„ mento, quod Signoria debeat eos facere franchos, ſi de-
„ bent eſſe franchi de jure.

„ Item volumus facere tibi franchos centum de rebelli-
„ bus de feudis, quæ ſtant ultra ſcalas, & de Villanis com-
„ munis de quibus volumus, quod poſſis accipere decem
„ rebelles de feudis, quæ ſunt citra ſcalas.

„ Item volumus quod poſſis tenere jumenta ſive equas
„ pro illis decem quas tu habes poſſis mittere Venetias lit-
„ teras tuas, & id quod Dominus Dux mittet dicendo vel
„ ſcribendo facere debeas infra unum annum, & ſi elapſo ter-

mino

„ mino Dominus Dux non conceſſerit tibi, quod poſſis eas te-
„ nere, mittere debeas eas in continenti extra Inſulam.

„ Item volumus, quod qui eſt Arcondus debeat eſſe Ar-
„ condus, & qui eſt Arcondopulus, debeat eſſe Arcondopu-
„ lus, & qui eſt Vasmulus debeat eſſe Vasmulus, & qui eſt
„ Latinus, debeat eſſe Latinus, & haberi Latinus.

„ Item quod Papates & Diaconi, & filii Papatum, qui non
„ ſunt poſſeſſi pro Villanis, non ſunt Villani. Volumus quod
„ non debeant dari pro Villanis, qui non ſunt capita a vi-
„ ginti ſupra, & debeant ſcribi nominatim.

„ Item volumus quod tu cum aliis rebellibus dare debeas
„ obſides viginti in manibus Signoriæ annis duobus & poſſint
„ cambiari ſive commutari pro aliis tam bonis, ut erunt illi,
„ qui erunt dati prius.

„ Tu vero juraſti fidelitatem Domino noſtro Duci Venetia-
„ rum nobis & ſucceſſoribus noſtris, & habere amicos Vene-
„ tiarum pro amicis & inimicos Venetiarum pro inimicis.

„ Hæc omnia rata & firma volumus obſervari donec Do-
„ mino noſtro Duci Venetiarum nobis, & ſucceſſoribus no-
„ ſtris obediens fueris, & fidelis, & obſervaveris quæ ſuperius
„ dicta ſunt.

Quamvis autem ſuperius enuntiatæ locationes poſſeſſionum ad Epiſcopatus Mellipotamenſem & Calamonenſem ſpectantium, ut & aliæ Eccleſiaſtici juris conceſſiones, *de convenientia & conſenſu Archiepiſcopi Cretenſis pro utilitate Eccleſiarum* factæ fuiſſent, & Epiſcopi ipſi Milopotami & Calamonæ *pactis eos tangentibus* conſenſiſſent, aſſignatos proventus *recipiendo per quinque annos*, attamen I... qui Milopotamenſi, & Petrus qui Calamonenſi Eccleſiis eo tempore præerant, obliti pactas locationes pro bono pacis, & quieto Inſulæ ſtatu firmatas fuiſſe, elapſo a conciliata concordia quinquennio, jura ſuarum Eccleſiarum hoc pacto graviter lædi conqueſti ſunt, propriamque licet minus juſtam utilitatem communi totius Regni tranquillitati præferentes, Avenionem ad Clementem V. acceſſerunt, eique, ſuppreſſa dolo malo

rerum

rerum omnium ſerie, expoſuerunt, bona ſua a Græco homine ſub ſpecie initæ cum Republica conventionis contra Eccleſiaſticæ libertatis jura injuſte occupari. Hæc cum accepiſſet Pontifex vir acris nimium ingenii, & ad ſubitos motus celerrimus, cauſſa non explorata graves Duci ac Communi Venetiarum epiſtolas dedit, ipſos rogans attentius, & adhortans, ut Epiſcopis ad ſuas Eccleſias *cum debita honorificentia reductis bona Epiſcopatuum ſuorum cum fructibus inde perceptis, Alexio Calergio, & quibuslibet aliis detentoribus amotis*, reſtitui, ipſisque de illatis hac occaſione damnis ſatisfieri curarent. Patriarchæ etiam Gradenſi Fratri Ægidio, & Caſtellano Epiſcopo Fratri Ramperto (quorum ille Ferrarienſis, hic Bononienſis civis erat, uterque autem ex Ordine Prædicatorum) per Apoſtolica ſcripta mandavit Pontifex, ut Venetias accedentes Duci ac Senatui Venetiarum Pontificias litteras exhiberent, ipſosque hortarentur, ut Summi Sacerdotis juſſum quam citiſſime ita impleri niterentur, *ut exinde Divinam obtinere gratiam uberius* promererentur. Grave moleſtumque Veneto Senatui accidit, ut quæ ad tollenda diuturni civilis belli incommoda, & graviora pericula de Metropolitani etiam graviſſimi viri aſſenſu acta fuerant, apud Pontificem in non leve publicæ pietatis dedecus ab Epiſcopis doloſe verterentur. Eapropter cum a Delegatorum Antiſtitum judicio ad Pontificem ipſum, & Apoſtolicam ſedem provocaſſet, publico inſtrumento per Procuratorem ad id negotii inſtitutum ſolemniter profeſſus eſt, expoſita Pontifici ab Epiſcopis a vero penitus aliena eſſe, ſiquidem nec dictæ pacis initæ tempore, nec antea poſſeſſiones ipſorum Epiſcopatuum ab ipſis Epiſcopis tenebantur, pactisque conventionibus Archiepiſcopus non ſolum aſſenſerat, ſed eas *fieri voluit pro utilitate ipſarum Eccleſiarum, quæ longo tempore non habuerant utilitatem de poſſeſſionibus ſuis*, ipſique Epiſcopi *recipiendo per quinque annos* pretium locationis *ſponte* pactis aſſenſerant. Publicæ itaque mentis eſſe, ut Epiſcopi, *per quorum incuriam & negligentiam fleterat, quin*

rediiſſent ad Eccleſias ſuas, ſecure ad ipſas accederent, *& ad plenam ſecuritatem ibidem* morarentur; ubi fructus etiam & redditus ſuarum Eccleſiarum perciperent. Rei ſeries ex Pontificiis epiſtolis ad Judices Delegatos datis, & ex publica Procuratoris proteſtatione melius innoteſcet.

Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus ..... Patriarche Gradenſi .... Epiſcopo Caſtellano ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ Eam gerimus de circumſpectione veſtra fiduciam, quod „ ea que vobis committimus exequi ſtudeatis ſollicite fide„ liter & prudenter. Accedentes ſiquidem ad preſentiam „ noſtram Venerabiles Fratres noſtri J..... Milopotamen„ ſis, & Petrus Calamonenſis Epiſcopi quereloſa nobis ex„ poſitione monſtrarunt quod Nob. vir Vitalis Michael tunc „ Ducha Inſule Cretenſis in qua Epiſcopatus eorum conſiſtunt, „ ejusque conſilium de mandato Nob. viri Ducis & Com„ munis Venetiarum Caſtellanenſis Dioceſis, qui in eadem „ Inſula temporale Dominium obtinent; quandam confede„ rationem cum Alexio Calergi Greco ſtunc etiam in illis par„ tibus dominante ſub certis pactis & conventionibus inie„ runt, in quibus inter alia promiſerunt eidem, quod do„ minium terre poſſeſſionum Epiſcopatuum predictorum pro „ tercentis quinquaginta yperperis ex eis annuatim ſolven„ dis concedi ſibi faceret inde ad quinquennium ad fictum, „ & ex tunc procuraret pro poſſe quod de quinquennio in „ quinquennium usque ad quinquaginta octo annos, prout „ ipſe hoc petebat ab eis, ſimiliter ei conceſſio fieret de „ eisdem, quod ſi forte hoc facere non poſſet, predictum „ Dominium vel aliquis laicus ſe de ipſis ulterius non in„ tromitterent, ſed idem Grecus ejusque heredes cum ſuis „ facerent cum Archiepiſcopo Epiſcopis & Clericis ſicut „ vellent. De quibus & aliis nephandis pactionibus cum „ eodem Alexio initis inviolabiliter obſervandis Ducha Cre-

tenſis

„ tenſis & ejus Conſilium ſupradicti preſtitiſſe dicuntur cor-
„ porale juramentum; idemque Alexius exinde fecit tam
„ Duci & Communi Venetiarum ac Duche Cretenſi & ejus
„ conſilio memoratis, quam ſucceſſoribus eorumdem, factis
„ itaque juxta hujusmodi conventiones & pacta conceſſioni-
„ bus antedictis dictus Alexius illarum pretextu Epiſcopa-
„ tus occupavit eosdem & detinet occupatos illorum perci-
„ piens redditus & proventus, prefatos Epiſcopos eorum
„ poſſeſſione privando, propter que dicti Epiſcopi extra di-
„ ctam Inſulam exulare, quinimmo mendicare in Pontifica-
„ lis dignitatis opprobrium compelluntur oppreſſi graviter
„ rerum temporalium egeſtate, ex quibus evenit, quod in
„ eadem Inſula divinus cultus ſubtrahitur, errores pullulant,
„ fidei Orthodoxe detrahitur, & libertas Eccleſiaſtica jugiter
„ conculcatur. Que omnia quanto magis infra mentis ar-
„ cana revolvimus, tanto cauſa nobis majoris admirationis in-
„ geritur, quomodo devotionis fervor quem erga Deum &
„ ejus Eccleſiam habere conſueverunt, ita tepeſcere potuit
„ vel qualiter ſeductor humani generis adeo ipſorum men-
„ tis oculos offuſcavit, ut contra fidem Catholicam & ec-
„ cleſiaſticam libertatem auderent inire cum illo Greco ne-
„ pharias pactiones. Nos igitur attendentes quod confede-
„ ratio conventiones, conceſſiones & pacta predicta contra
„ libertatem Eccleſiaſticam attentata, nulla penitus ipſo ju-
„ re, ac juramenta preſtita ſuper illis temeraria extiterunt,
„ & ideo non ſervanda, confederationem conventiones con-
„ ceſſiones & pacta predicta prout de facto proceſſerunt
„ caſſavimus, irritavimus, & annullavimus, quin potius caſ-
„ ſa nulla & irrita nunciavimus & decrevimus ea nullam
„ obligationem inducere nullamque habere roboris firmita-
„ tem, Ducemque ac Commune Venetiarum ac Ducham
„ dicte Inſule & ejus conſilium prelibatos ad horum obſer-
„ vantiam in quantum Eccleſiis vel Eccleſiaſtice libertati pre-
„ judicent aliquatenus non teneri. Unde dilectos filios No-
„ biles Viros Ducem ac Commune Venetorum prefatos per

„ alias noſtras rogamus litteras attentius & hortamur, quod
„ ipſi conſiderantes prudenter quantum in conſederatione con-
„ ventionibus pactis & conceſſionibus antedictis Majeſtatem
„ Divinam, eorumque Matrem Eccleſiam offenderunt, quam-
„ tumve propterea non ſolum ſaluti, ſed & fame ipſorum
„ fuerit derogatum, a ſimilibus de cetero abſtinere procu-
„ rent dictosque Epiſcopos ad Epiſcopatus eorum cum de-
„ bita honorificentia reducentes faciant eis bona Epiſcopa-
„ tuum predictorum cum fructibus inde perceptis, & qui
„ percipi potuerunt, & a tempore quo dicti Epiſcopi fue-
„ runt, ut premittitur eorum poſſeſſione privati, cum in-
„ tegritate reſtitui prefato Alexio, & quibuslibet aliis de-
„ tentoribus amotis penitus ab eisdem, ipſisque Epiſcopis
„ de damnis expenſis, que oportuit eos hujusmodi occaſio-
„ ne ſubire, ſatisfactionem congruam exhiberi, providendo
„ illis de ſecuro conductu, ut poſſint ad ſuos Epiſcopatus
„ predictos cum ſecuritate plene redire ac morari etiam in
„ eisdem. Quocirca Fraternitati veſtre diſtricte in virtute
„ obedientie ac ſub excommunicationis pena, quam eo ip-
„ ſo vos incurrere volumus, ſi mandatum noſtrum hujus-
„ modi neglexeritis adimplere, per Apoſtolica ſcripta man-
„ damus quatenus infra decem dierum ſpatium poſt rece-
„ ptionem preſentium ad terram Venetiarum perſonaliter
„ accedentes Duci & Communi Venetiarum prefatis hu-
„ jusmodi litteras noſtras, quas eis dirigimus, vobis per la-
„ torem preſentium exhibendas preſentare curetis, ipſum-
„ que Ducem & Commune ex parte noſtra inductivis mo-
„ nitis & efficacibus exhortationibus, prout circumſpectio
„ veſtra melius expedire noverit, inducatis, ut ipſi tanquam
„ viri multa diſcretione conſpicui habentes ad Deum, &
„ eorum matrem Eccleſiam affectum reverentie filialis dili-
„ genter attendant, quantum exceſſerint in predictis, no-
„ ſtramque benevolentiam quam ad ipſos habemus, qui
„ non rigorem, prout alias exigeret exceſſuum qualitas pre-
„ dictorum, ſed benignitatem & manſuetudinem cum eis

volu-

„ volumus exercere, devotione debita recognoſcant, & pre-
„ dicta, que illis ſcribimus, infra ſex menſium ſpacium poſt
„ monitionem hujusmodi, ſic efficaciter ſtudeant adimplere,
„ quod exinde Divinam obtinere gratiam uberius mereantur,
„ nosque qui hujusmodi negotium cordi non mediocriter ge-
„ rimus, poſſimus eorum devotionem merito commendare,
„ nec aliud in predictis adhibere remedium compellamur.
„ Quidquid autem circa hæc duxeritis faciendum, & qua-
„ liter Dux & Commune predicti ſe habuerint in predictis
„ nobis per veſtras litteras harum ſeriem continentes inti-
„ mare curetis fideliter. Quod ſi forſan vos ambo his exe-
„ quendis non poteritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilomi-
„ nus exequatur.

„ Datum Pictavis IV. Kalend. Junii Pontif. noſtri an-
„ no Secundo.

Inſtrumenta facta occaſione litterarum Domini Pape miſſarum Domino Duci pro Epiſcopatibus Calamonenſi & Mellipotamenſi.

„ In Dei nomine Anno a Nativitate ejusdem MCCCVII.
„ Indictione VI. menſis Septembris die XII. Illuſtris Domi-
„ nus Petrus Gradonico Dei Gratia Venetiarum Dalmatie
„ atque Croatie Dux Dominus quarte partis & dimidie
„ totius Imperii Romanie de voluntate & expreſſo conſen-
„ ſu Conſiliorum ſuorum Minoris, Rogatorum & Quadragin-
„ ta ad ſonum campanarum & voces preconias congrega-
„ torum habita prius autoritate a Majori & Generali Con-
„ ſilio ſuo & Communis Venetiarum, & ipſa Conſilia &
„ homines ipſorum Conſiliorum cum eodem Domino Duce
„ ſimiliter nomine ſuo & dicti Communis Venetiarum fe-
„ cerunt conſtituerunt, & ordinaverunt ſuum & dicti Com-
„ munis Nuntium Syndicum & Procuratorem Dominum Do-
„ natum Lambardo Ducatus Venetiarum ſcribam ad com-
„ parendum coram Venerabilibus Patribus & Dominis Fra-

tre

» tre Egidio Patriarcha Gradenſe, & Fratre Ramperto E-
» piſcopo Caſtellano exequutoribus ab Apoſtolica Sede da-
» tis ad preſentandum Illuſtri Domino Duci Venetiarum
» quasdam litteras impetratas contra eos per Venerabiles
» Patres Dominos J..... Melipotamenſem & Petrum Cala-
» monenſem Epiſcopos & ad movendum & exortandum eos-
„ dem, ut infra ſex menſium ſpatium, quod continetur in
„ eis, debeant adimplere, & ad appellandum in forma in-
„ fraſcripta. Ego Donatus Lambardo Sindicus & ſindica-
„ rio nomine dicti Domini Ducis & Communis Venetiarum
„ dico & propono quod prædicti Venerabiles Patres Domi-
„ ni Mellipotamenſis & Calamonenſis doloſe ac per frau-
„ dem & malitiam ſuggeſſerunt Sanctiſſimo Patri Domino
„ Clementi Summo Pontifici quod tempore pacis facte per
„ Ducham Crete Dominum Vitalem Michaelem cum Alexio
„ Calergi Græco rebelli, & inimico Domini Ducis, & Com-
„ munis Venetiarum, ipſi Epiſcopi poſſidebant pacifice Epi-
„ ſcopatus ſuos, & poſſeſſiones Epiſcopatuum ſuorum, &
„ quod pretextu pactorum factorum in ipſa pace & con-
„ cordia idem Alexius Epiſcopatus occupavit eisdem, & de-
„ tinuit occupatos, illorum Epiſcopatuum percipiens redditus
„ & proventus, dictos Epiſcopos eorum poſſeſſionibus pri-
„ vando & quod ob dictam falſam ſuggeſtionem doloſe fa-
„ ctam idem Sanctiſſimus Pater per ſuas litteras rogavit,
„ & hortatus eſt ipſum Dominum Petrum Ducem & Com-
„ mune Venetiarum, ut dictos Epiſcopos ad Epiſcopatus
„ eorum cum debita honorificentia reduci facerent, ac etiam
„ facerent eis reſtitui bona Epiſcopatuum predictorum in-
„ tegre cum fructibus inde perceptis, & qui percipi po-
„ tuerunt a tempore quo dicti Epiſcopi fuerunt, ut pre-
„ mittitur eorum poſſeſſionibus privati, prefato Alexio, &
„ quibuslibet aliis detentoribus amotis penitus ab eisdem,
„ & quod facerent ipſis Epiſcopis exhiberi congruam ſatis-
„ factionem de damnis & expenſis, que oportuit eos hu-
„ jus occaſione ſubire, providendo & etiam eis de ſecuro

con-

„ conducto, ut poſſint ad Epiſcopatus ſuos predictos cum
„ plena ſecuritate redire, & in eis morari. Item dico quod
„ predicta per dictos Epiſcopos ſic ſugeſta non ſunt vera, &
„ quod tempore dicte pacis inite, ante predicti Epiſcopi
„ non poſſidebant dictos ſuos Epiſcopatus, & poſſeſſionem
„ ſuorum Epiſcopatuum, & poſſeſſione, quam non habe-
„ bant, pretextu aliquorum pactorum factorum in dicta pa-
„ ce non fuerunt ejecti, ſeu privati. Dico etiam quod pa-
„ cta que fuerunt facta per Dominum Ducham Crete tan-
„ gentia Eccleſiaſtica vel Eccleſiaſticas perſonas fuerunt fa-
„ cta de convenientia & conſenſu illius, qui tunc erat Ar-
„ chiepiſcopus Crete, qui ea fieri voluit, pro utilitate ip-
„ ſarum Eccleſiarum, que longo tempore non habuerant
„ utilitatem de poſſeſſionibus ſuis, ut poſſent habere, & quod
„ dicti Epiſcopi conſenſerunt pactis eos tangentibus tunc ini-
„ tis, recipiendo ſponte affictum poſſeſſionum ſuarum per
„ quinque annos & quod per eorum incuriam & negligen-
„ tiam ſteterunt, quin redierint ad Eccleſias ſuas, & in eis
„ celebraverint Divina, que predicta ſic doloſe ac malitio-
„ ſe & fraudulenter per eos expoſita dicto Domino Summo
„ Pontifici ipſe Dominus Summus Pontifex dictas litteras
„ non mandaſſet dicto Domino Petro Duci & Communi Ve-
„ netiarum, nec vobis, ut moneretis, ut que continentur
„ in eis adimplere deberent, que quidem omnia, vel quod
„ mihi ex his ſufficiat, coram vobis paratus ſum, & me
„ dicto nomine offero probare, & idcirco ſentiens me di-
„ cto nomine & dictum Dominum Ducem & Commune Ve-
„ netiarum ex dicta preſentatione literarum, & his, que in
„ eis continentur, & ex monitione per vos facta ipſi Domino
„ Duci & Communi Veneciarum gravari & gravatos eſſe, &
„ in poſterum adhuc magis poſſe gravari, in his ſcriptis pre-
„ ſertim ex predictis cauſis appello ad predictum Summum
„ Pontificem Dominum Clementem Divina Providentia Pa-
„ pam Quintum & ad ejus Sanctiſſimam Sedem Romanam,
„ & Apoſtolos inſtanter peto, & iterum debito tempore &

& lo-

„ & loco iterum peto, & iterum tertio inſtantiſſime peto ſub-
„ jiciens me dicto nomine & jura partis mee ſub protectione
„ & defenſione dicti Summi Pontificis & ejus Sanctiſſime Apo-
„ ſtolice Sedis, & ad proteſtandum, & ad omnia alia & ſin-
„ gula faciendum, & gerendum que in predictis & circa pre-
„ dicta neceſſaria ſeu utilia videbuntur, etiamſi mandatum
„ eſigerent ſpeciale, promittentes nomine ſuo & Communis
„ Venetiarum ſe firmum & ratum habere & tenere totum id,
„ & quidquid per dictum Sindicum factum fuerit in predictis,
„ & circa ea & quodlibet predictorum, & non contrafacere
„ vel venire ſub obligatione bonorum Communis Venetiarum.
„ Actum Venetiis in Duc. Palatio Preſentibus D. Bonmatheo de
„ Aretegno J. U. perito Tanto Ducatus Venetiarum Cancel-
„ lario Jacobo Dedo Sancte Lucie Presb. teſtibus ad hec voca-
„ tis & rogatis & aliis. Ego Petrus de Palatio &c.

*In Dei nomine Amen Anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſe-
ptimo die XXII. Septembris Indictione VI.*

„ Coram vobis Venerabilibus Patribus Dominis Domino
„ Fratre Egidio Patriarcha Gradenſi & Domino Fratre Ram-
„ berto Epiſcopo Caſtellano a Sede Apoſtolica executoribus
„ datis ad preſentandum Illuſtri Domino Duci & Communi
„ Venetiarum quasdam litteras impetratas contra eos per Ve-
„ nerabiles Patres Dominum J..... Millopotamenſem & Pe-
„ trum Calamonenſem Epiſcopos & admonendum & exhortan-
„ dum eosdem, ut infra ſex menſium ſpatium, que conti-
„ nentur in eis, debeant adimplere, proteſtatur & dicit Do-
„ natus Lambardo Sindicus, & ſindicario nomine Illuſtris Do-
„ mini Ducis Petri Gradonico Dei Gratia Venetiarum Dalma-
„ tie atque Croatie Ducis Domini quarte partis & dimidie
„ totius Imperii Romanie, & Communis Venetiarum, quod
„ eorum intentionis eſt, dare operam efficaciter, ut Venera-
„ biles Patres J... Millopotamenſis, & Petrus Calamonenſis E-
„ piſcopi juxta voluntatem Sanctiſſimi Patris Domini Domi-
ni

Digitized by Google

„ ni Clementis Summi Pontificis, ſi volunt accedere Eccle-
„ ſias ſuas, & ibidem eſſe, quod poterunt ſecure ibi acce-
„ dere, & ad plenam ſecuritatem morari; & quod fructus
„ ſeu redditus Eccleſiarum ſuarum habebunt tam de præ-
„ ſenti quam de futuro, adeo quod non habebunt mate-
„ riam conquerendi, ſed licet ſic intendant, non tamen in-
„ tendunt per aliqua, que fierent per dictum Dominum
„ Ducem & ejus Officiales in favorem dictorum Epiſcopo-
„ rum ad recuperationem jurium ipſorum Epiſcoporum pro-
„ pterea renuntiare appellationi predicte nunc interpoſite,
„ nec propterea manifeſte vel tacite confiteri, quod predi-
„ cti Epiſcopi verum dixerint, vel ſuggeſſerint ipſi Domi-
„ no Summo Pontifici, vel etiam quod non tacuerunt ve-
„ ritatem, & quod per non doloſam & falſam aſſertionem
„ & quod per non doloſe ſuppoſitam veritatem ipſi Domi-
„ no Summo Pontifici factam obtinuerunt ab eodem ſcribi
„ ipſis Domino Duci, & Communi Venetiarum, que eisdem
„ per ipſum Dominum Summum Pontificem ſcripta ſunt,
„ ſicut clare exprimitur in appellatione predicta. Actum
„ in loco Fratrum Predicatorum de Venetiis Preſentibus
„ Domino Bonmatheo de Aretegno juris utriusque perito,
„ Petro Conſtantino, Tereſio, Marino de Segia preconibus
„ Communis Venetiarum teſtibus ad hec vocatis, & rogatis.

Verum his de Epiſcoporum controverſia abunde dictis ad noſtram ſeriem revertamur.

Tanta igitur Veneti Senatus clementia, & liberaliter effuſa in reſipiſcentem Alexium beneficia adeo ipſius animum in Reipublicæ obedientia, & fide firmarunt, ut neminem alium deinceps Veneta Reſpublica nec fideliorem ſibi, nec in arduis rebus utiliorem invenerit. *Conſtantis fidei, & ſingularis in Venetam Rempublicam obſervantiæ multa, quæ præſtitit documenta* Alexius, recenſet Petrus Juſtinianus in Hiſt. Ven. l. III. ubi Græcorum animos ad novam deſectionem pronos ab Alexio ita delinitos fuiſſe refert, ut ſub imperio Venetorum pacatos quieſcere adduxerit; tantumque apud nobile viri ingenium valuit pu-

blicæ liberalitatis clementia, ut poſt multa ſuæ fidelitatis argumenta moriens etiam *ſub comminatione Divinæ & paternæ maledictionis* filiis ſuis mandaverit, *ut Venetæ Reipublicæ immaculatam ſervarent fidelitatem*, quod quidem cum egregie ſervaſſent, publicæ liberalitatis munificentia familiam Calergam plurimis beneficiis auctam Venetæ nobilitatis titulo etiam decoravit.

42 Cretæ interea præfectus fuit Jacobus Baroccius, cui in extinguendis privatis mutuisque familiarum odiis, quæ ad ſtrages usque exarſerant, plurimum laboranti ſucceſſit anno 1303.

43 Guido de Canale. Hujus tempore graviſſimo terræ motu ita concuſſa fuit cum reliqua Inſula etiam urbs Candiæ, ut plurimæ ædes, & magna pars murorum ipſius civitatis ad terram proſternerentur. Eam occaſionem nactam ſibi opportunam arbitrantes nonnulli ex ſeditioſis ſtimulos admoverunt Alexio Calergio, ut communem patriam e Latinorum jugo ſubduceret, quibus ille, difficile eſſe, reſpondit, Cretenſibus nec terreſtri exercitu neque claſſe inſtructis Inſulæ imperium ſibi aſtruere, cæterum Venetorum Dominium præ cæteris tum Latinis, tum Græcis juſtitia & benignitate præſtare; quo reſponſo prudenti irrequietos turbidosque animos Cretenſium continuit.

Ut autem ad coercendas tum excurſiones hoſtium, tum frequentes incolarum ſeditiones major aptiorque eſſet Venetis militarium copiarum opportunitas, Guido Ducha ſuo & *Univerſitatis fidelium militum Pheudatorum* nomine primos Cretenſium ad Senatum Venetum Legatos deſtinavit Andream Cornelium & Leonardum Gradonicum, qui publica authoritate decerni impetrarunt, ut in Cretenſi Regno agminibus peditum aliquantulum imminutis, & inter ſe conjunctis, ad utiliorem Inſulæ propugnationem equitum numerus augeretur. Hæc autem a Senatu ſibi demandata Guido prudenti ſane modo exequutus eſt.

44 Anno 1306. Fridericus Juſtinianus Cretam Ducha renuntiatus appulit, in cujus Inſulæ regimine eundem virum ſibi ſucceſ-

ſucceſſorem accepit, quem pridem habuerat præceſſorem, Vitum nempe ſeu Guidum de Canale, qui in difficillimis ter- 45
ræmotus & ſeditionis temporibus Regni gubernacula laudatiſſime ſuſtinuerat, atque ob egregia in patriam merita Procurator deinde S. Marci pronuntiatus fuit anno 1312.

Anno 1310. Nicolaus Sanudo. 46

Anno 1312. Henricus Dandulo. 47

Anno 1313. Marinus Baduario, cui, dum Cretæ præſ- 48
ſet, librum *il Rettore* nuncupatum inſcripſit Frater Paulinus Minorita poſtea Epiſcopus Puteolanus, natione Venetus, his verbis: *Magnifico & prudenti viro D. Marco Baduario honorabili Duci Cretenſi Frater Paulinus munus optatum. Ecce librum de recto regimine juxta votum vulgariter editum, vobis mitto, quem Rector ſequendo æterni Regni bravium optinere valebit.*

Anno 1315. Fantinus Dandulo, cujus probitatis argumen- 49
to ſunt epiſtolæ, quas ipſe ſecundo ſui regiminis anno ad Ducem Venetiarum Joannem Superantium miſit, eum vehementer exorans, ut ad Cretenſes ſubditos in pace & obedientia continendos Præſides mitteret juſtitia & manſuetudine ſpectatiſſimos. Epiſtolam effero pleniſſimos juſtæ politicæ ſenſus brevibus verbis exhibentem.

„ Excellentiſſimo Domino Domino Joanni Superantio Dei
„ Gratia Venetiarum Dalmatiæ atque Chroatiæ inclito Du-
„ ci, & Domino quartæ partis cum dimidio totius Imperii
„ Romaniæ Fantinus Dandulo de ſuo mandato Ducha Cretæ
„ & ejus conſilium cum debita reverentia & ſubjectione ſe
„ ipſos. Cum aliqui de Caſtellanis, qui ſunt ad hanc In-
„ ſulam per veſtram Dominationem transmiſſi, quos ſatis
„ ſcire poteſtis, male ſe gerant, & plures novitates paupe-
„ ribus hominibus ſui diſtrictus inferant, quæ de levi poſ-
„ ſent in Inſula materiam inducere ſcandali; ſupplicamus
„ Magnitudini veſtræ quatenus ſi quos Ducalis Celſitudo
„ transmiſerit, dignemini ad homines ſubditos veſtros, &
„ ſtatum conſervandum pacificum hujus Inſulæ reſpectare,

„ quod ipſi ſint tales, qui tractent dulciter iſtos veſtros fi-
„ deles, nec eis faciant gravitates.

„ Datum Candidæ die II. Aprilis Indictionis XIV.

50 In Danduli locum ſucceſſit anno 1317. Nicolaus Leono vir clariſſimi in Republica nominis, cujus primo regiminis anno ſecundam Cretenſium Legationem Venetias deſtinavit *Univerſitas Militum & Pheudatorum Candidæ*, quamdam antiquarum legum emendationem poſtulans ad Pheudatorum utilitatem apprime opportunam. Quum autem hæc Legatio a Candiæ Pheudatis miſſa, quam maxime apta videretur, ut res ſucceſſus fortunatos haberet, Pheudati etiam Cydoniæ peculiarem Legatum immiſerunt Henricum Dandulum, qui ſuorum nomine Venetum Senatum eſt alloquutus. Placuit P. C. ut poſtulata Nicolao Leono Duchæ examinanda, & exequutioni mandanda traderentur. Omnia igitur, Senatus authoritate ſultus, prudenter apteque ordinavit Nicolaus, vetuſtasque Cretenſium conſtitutiones juſte temperavit, quibus actis abſolutoque ſuæ dignitatis periodo, cum magnum omnibus reliquiſſet ſui deſiderium a Creta di-

51 ſceſſit. Suffectus ei deinde fuit anno 1319. Juſtinianus Juſtinianus, cujus prima ſuſcepti muneris exordia novæ ſeditionis motu turbata fuerunt. Hanc ut confeſtim extingueret, Alexii Calergii opem opportune imploravit, ejusque potiſſimum virtute rebelles devicit, ex quibus nonnullos in prælio captos ad exemplum cæterorum capitis ſupplicio puniri mandavit. In patriam deinde reverſus Procuratoria purpura ornatus fuit.

Provinciæ adminiſtrationem deinde capeſſivit anno 1321.

52 Thomas Dandulus, cujus ſucceſſor Henricus Michael, qui

53 regimen ſuſcepit anno 1323. Pheudatis Nobilibus publico decreto indixit, ut ſtipendia *ſervientium* in ærario Ducalis Cameræ deponerent, ab ipſis *ſervientibus* ibidem exigenda. At hoc decreto gravari ſe dolentes Pheudati Legatos ſuos Venetias miſerunt Nicolaum Cornelium, Andream Dandulum, & Michaelem Gradonicum, Veneti Senatus authoritatem

tem inter cætera deprecaturos, ut res ad priſtinam conſue-
tudinem revocaretur. Re mature diſcuſſa, cum in reliquis
negotiis P. C. Cretenſium equitum precibus annuiſſent, ſta-
tuerunt Philippo Belegno (qui anno 1325. Provinciæ Cre- 54
tenſi præfectus fuerat) imperandum, ut juſtum Henrici præ-
deceſſoris ſui decretum nova Senatus lege comprobatum in-
tegre obſervari præciperet.

Cretam deinde appulit anno 1327. Joannes Maurocenus 55
electus Ducha, cui in munere ſubrogatus fuit anno 1329.
Marinus Maurocenus. Anno ejus regiminis ſecundo Chriſti 56
videlicet 1330. atroci adeo peſtilentiæ morbo afflictam fuiſ-
ſe Candiam Cretæ Metropolim ſcribit Papadopulus in Hiſt.
Gymnaſii Patavini Tom. II. pag. 161. ut urbs illa vix non
omnino deleta fuerit, cujus luis tactu parentes Petri Phi-
largi poſtea Alexandri V. erepti fuerunt. Nullam de hoc
Metropolis infortunio mentionem facit Andreas Cornelius
accuratus Cretenſium rerum Chronologus, qui Marcum Gra- 57
donicum Ducham Mauroceni anno 1331. ſucceſſorem ſcri-
bit Cretæ deceſſiſſe primo ſuæ dignitatis anno nondum ex-
pleto; & licet ſepulturam ejus in Eccleſia Sancti Petri po-
ſitam ſcribat, morbum tamen, quo ſublatus eſt, omnino ſi-
lentio præterit.

Per hæc tempora ſcilicet ſub Blaſio Zeno Raynerii filio, 58
qui ad regendam ſummo cum Imperio Inſulam anno 1332.
Cretam advenerat, nova exoritur Cretenſium defectio: cum
enim ad inſtruendas adverſus pyratarum moleſtiam duas
Triremes inſolita quædam exigerentur tributa, coloni cujus-
dam Caſalis, quod vocatur *Margariti*, acriter obſtiterunt,
eorumque exemplo incitati alii ex Arna, Anopoli, & Chiſſa-
mo tumultuoſe multitudinem congregantes Vardam Calergi
virum flagitioſum ſibi Ducem conſtituerunt, moxque Ca-
ſtrum Selini, occiſo Hermolao Belegno Præfecto, repentino im-
petu occupaverunt. Ea deinde victoria audaciores facti Me-
tropoli Candiæ obſidionem minitabantur, quorum furorem
ut compeſceret Joannes Cornelius vir eximiæ virtutis & fi-

dei

dei a Blaſio Ducha miſſus collecta ingenti militum manu adverſus eos proficiſcitur, cumque ſubſidiarias tum a Venetis cum a Georgio Calergio Alexii filio copias accepiſſet, hoſtes infenſiſſimos uno certamine contrivit, Varda Calergio (qui de vera fidelique Calergiorum gente non erat) interfecto. Vardæ caput ad ſeditiolæ turbæ terrorem Cretam miſſum fuit ſimul cum Nicolao Pricoſiride viro omnium ſceleſtiſſimo, quem confeſtim extremo ſupplicio Ducha necari juſſit, moxque Caſale Margariti, ex quo ſcandala prodierant, in cinerem redigi, perfidosque ejus incolas gladio deleri, ſicque deinde univerſa Inſula tranquillitate perfecta frui cœpit. Ad pacificam Regni adminiſtrationem delecti deinde fuerunt.

59 Anno 1334. Petrus Zenus.

60 Anno 1336. Joannes Sanudo.

61 Anno 1338. Joannes Maurocenus, qui in ſuſceptæ dignitatis munere obiit, & in S. Petri Eccleſia tumulatus fuit.

62 Anno 1339. Nicolaus de Priolis, poſt quem Cretenſis.

63 Inſulæ adminiſtrationem Andreas Cornelio inivit anno 1341. quo tempore poſt longam per annos multos tranquillitatem atrox repente rebellionis incendium exarſit. Hoc Leo Calergius feroci & violenta indole homo excitavit, qui dum animum Venetis amicum ſimulat, interim vulgus ad rebellandum per ſe ſatis pronum in novos eosque graviores motus clanculum ſollicitabat. Effrenis in eo morum licentia, & contracta neceſſitudo cum iis, qui novis rebus ſtudebant, ſuſpicionem ſæpe moverunt, quod publicæ quieti inſidiaretur; ſed tamen Maurocenus, & Priolus, qui Cornelio præceſſerant, indocile ingenium blande lenire maluerunt, partim ut a deſperatis conſiliis averterent, partim ut Calergio juniori de Republica benemerito, eidemque arcta conſanguinitate conjuncto rem gratam facerent. Sed turbulentum animum nulla lenitatis, aut beneficiorum inita ratio flectere potuit; quinimmo audacior factus, & Venetorum excidium quacumque poſſet arte obtinendi cupidus Græcos plures, quo-

quorum Dux erat Coſta Smeriglius vir flagitioſiſſimus, in apertam defectionem impulit. Ut primus hic motus compeſceretur, viſum eſt Duchæ memoratum ſuperius Alexium fidei probatiſſimæ virum immittere, qui exercitu ex copiis Venetis & ſuis clientibus, atque amicis conflato rebelles ad internecionem delevit, & Smeriglii aliorumque ex tumultuantium primis obtruncata capita Cretam ad Ducham miſit.

Nec tamen clades hæc Leonem fregit, quinimmo iracundia æſtuans & furorem atque ultionem ſpirans, quotquot potuit exules & flagitioſos undequaque ad ſe accivit, novæque rebellionis ſigno elato Melipotamum expugnavit. Sed Alexio celerrime accurrente rebelles iterum cæduntur, & Venetorum arma clariſſimum triumphum referunt. Tunc enimvero Leo exercitu omnique ſubſidii ſpe amiſſis ſibi tandem timere cœpit, Ducisque clementiam imploravit, ut in Reipublicæ gratiam reciperetur. Cretam itaque ingreſſus a Ducha comiter excipitur, & ad ſolemne convivium fortaſſe illi ſupremum invitatur. Sed dum ipſe vel periculi certior factus, vel ſuorum ſibi criminum conſcius novam fugam orditur, repente comprehenſus carcere includitur; nec diu poſt quæſtione inſtituta immanium ſcelerum reus arguitur, inter quæ illud etiam quod de tradenda Turcis Inſula egiſſet; propterea Duchæ juſſu inter nocturnas tenebras in mare demergitur.

Supplicium Leonis rebelles exaſperavit, qui Diabolicis acti furiis impetu, multo quam antea majori contumaciter inſurrexere, contra quos Alexius in aciem deſcendit, & ſuccreſcentes motus repreſſit, quin tamen morbum radicitus extirparet; ſiquidem locorum indoles iis, qui fuga ſibi conſuluerant, aſilum præbuit inter confragoſa & inhoſpita montium juga, ubi ferarum more latebant.

Ut autem Inſula internis non minus vexata ſeditionibus, quam externis patens hoſtium incurſibus, ſtatutis non deſtitueretur auxiliis, Andreas Ducha lato decreto graves pœnas iis Pheudatis indixit, qui aſſignatum equorum numerum

ad

ad publicas neceſſitates alere & offerre neglexiſſent. Moleſtum id accidit Pheudatorum Univerſitati, quorum plurimi cum proprios redditus ex bellorum violentia amiſiſſent, ære alieno gravati ad debitorum ſolutionem nimis auſtere cogebantur. Eapropter ad Venetum Senatum Univerſitatis Cretenſium nomine Alexius Cornelius Legatus mittitur anno 1343. qui aliquam inflictæ pœnæ moderationem, & ad inopiæ ſuffragium pro debitorum ſolutione inducias temporis impe-
64 traret. Datis itaque ad Petrum Æmilianum, qui eo ipſo anno 1343. Cornelio in munere ſucceſſerat, publicis litteris ſtatuit Senatus, ut Cretenſium militum æs alienum infra ſeptenii ſpatium ſolvi poſſet, pœna vero inflicta, iis qui ad Inſulæ propugnationem equos ſubminiſtrare renuiſſent, acerbius augeretur.

Æmilianus itaque cum vidiſſet Venetorum res magno in diſcrimine verſari, armorum adminiſtrationem (cum primum copias ex Italia recepit,) juxta Calergii conſilia rite diſpoſuit. Verum non multo poſt, tot inter curas annis fractus & laboribus oppreſſus vivere deſiit, & Candiæ in Templo Sancti Joannis tumulatus fuit. Grave hoc infortunium, aliud pro ea rerum conditione profecto acerbius inſequutum eſt, mors videlicet Alexii Calergii, cui in faſtis Venetis immortale erit nomen. Patrem habuit Georgium, & avum Alexium ſeniorem vixitque annos ſexaginta ſex Reipublicæ magis quam ſibi. Belli & pacis artibus clariſſimus obiit Rethimi, ubi pompa præ cæteris magnificentiſſima, ut Heroem tot triumphis inſignem decebat, in ſuis exequiis delatus eſt.

Utrumque hoc funus ſeditioſos mirum in modum erexit, qui cum undique conveniſſent, novisque allectis ſociis in exercitum coaluiſſent, Setiam obſiderunt, eamque fame potius, quam armis expugnarunt. Hierapetram deinde animo elati, & Mirabellum, quæ oppida parum a Laſſiti montibus diſtant, aliaque loca bene multa cœperunt, adeo ut Veneto nomini ſola ex urbibus ipſa Metropolis Candia, & arces quædam ſuperfuerint in fide conſtantes.

In

In tantis Insulæ tumultibus anno 1345. Marcus de Mo- 65
lino advenit, qui mira consilii sagacitate si minus res restituit, saltem ab extremo excidio prohibuit, donec anno 1347. Marcus Cornelius Ducha, is qui postea Dux Venetiarum 66
fuit, ad Cretæ sibi commissæ littora appulit pecunia & copiis abunde instructus. Is nulla interposita mora rebellibus occurrit, prœlioque commisso perduelles maxima ex parte profligavit, quorum tamen plurimi, ut victorum iram declinarent, ad antra & nemora montium confugerunt. Ut tamen inde emergerent, & penitus delerentur, effecerunt tres, ut vocant, Provisores Nicolaus Faletro, Justinianus Justinianus, & Andreas Maurocenus Venetiis Cretam missi cum summo imperio & cum ingenti militari apparatu. Hi vix expositio ad Cretæ litora exercitu cum ex certis nuntiis accepissent, rebellium turbam Michaele, & Joanne fratribus Psaromilungo Ducibus numero auctam e cavernis erupisse, viribusque receptis late per loca Venetis devota prædonum in morem vagari, protinus diviso exercitu, ut rebelles circumplecterentur, in ipsos irruerunt. Inito autem certamine, cum vix primos impetus sustinere valuissent seditiosi, in præcipitem se fugam dederunt, in qua plurimi eosque inter Joannes Psaromilungo interfecti perierunt. Michael suorum clade, & fratris nece fractus in montana loca celerrime evasit, sed hostibus se circumseptum ut vidit, turpe supplicium voluntaria morte, quam a servo impetravit, antevertere maluit. Deleto itaque primario perduellium exercitu pars Insulæ Orientalis ad obsequia Venetæ Reipublicæ revertitur, secus autem ii, qui ad Occidentalem plagam se se receperant, obdurati animo in reatus contumacia perstiterunt. Adversus eos igitur omne militiarum robur Provisores converterunt, profligatisque iterata pugna eorum turmis Cydoniam urbem fame pressam ab obsidione liberarunt, Rethimumque & alia illius oræ occupata loca, in Veneti nominis fidem receperunt. Utilior autem præ cæteris evasit Nicolai Faletri Provisoris victoria, qui Emmanuelem Capsolcalinum virum

inter rebelles peſſimum infami ſuſpendio necari juſſit; cumque deinde multis auctus victoriis in Candiam rediiſſet, morbo correptus ibidem extremum diem clauſit, cujus corpus poſt exequias militari pompa celebratas in Primiceriali Divi Marci Baſilica tumulatur.

Poſt hæc, tranquillam Provinciæ adminiſtrationem ſuſcepit
67 anno 1348. Marinus Grimanus, qui ſui regiminis curſu non-
68 dum abſoluto ſucceſſorem habuit anno 1349. Petrum Gradonico. Huic publicas litteras Senatus miſit die 18. Auguſti anno ipſo 1349. ſuper poſtulata Pheudatorum Cretenſium, quæ Petrus Quirinus ipſorum Legatus ſuæ Univerſitatis nomine expoſuerat, enixe inter cætera obſecrans, ut liceret Cretenſibus (id enim Senatus inhibuerat ob grave vectigal a Magiſtro Militum Hoſpitalis Venetis mercatoribus impoſitum) Rhodum commercii cauſa accedere, ibi enim facilius Inſulæ Cretenſis vina omnino diſtrahebantur. Quum autem multa pro bono Provinciæ ſtatu decreviſſet Senatus, ut mercatoribus quoque Cretenſibus adnavigare Rhodum cum ſuis vinis liceret, prudenter indulſit, in hæc verba ſcribens: *Super probibitione facta illis de Creta, quod non debeant ire Rhodum propter datium quod ibi accipitur, & propterea petunt quod eis elargiatur, vel probibeatur omnibus Venetis, & aliis fidelibus Ducalis Dominationis, quod non vadant &c. dicitur quod habita conſideratione ad ſtrictas conventiones navigiorum, & quod hodie non ita lucrantur mercatores, ut ſolebant, non videtur quod dicta ſtrictura fieri debeat noſtris Venetis, nec aliis fidelibus noſtræ Dominationis, ſed quia non eſt juſtum nec conveniens, quod ipſi ſoli de Creta ſubſtinere debeant tantum damnum, ideo eis elargiatur, quod poſſint ire & mittere Rhodum & alia loca Magiſtri Hoſpitalis, & ſi Magiſter Hoſpitalis perſeveraret, & accipi facier datium, quod accipitur a noſtris de Creta, quod tunc quoties aliqua navigia & mercatantiones fidelium & ſubditorum Magiſtri Hoſpitalis venient ad Inſulam Cretæ de Rhodo, & aliis locis dicti Magiſtri Hoſpitalis, quod ſimile, & tale datium accipiatur ab eis, &*

ſi

ſi dictus Magiſter Hoſpitalis ſe removebit, & tollet ſe a dicto ſuo datio, quod tunc noſtri ſimiliter ſe debeant removere, & ab eis amplius datium non accipere.

Gradonico Duchæ deinde ſucceſſit anno 1352. Marinus 69
Maurocenus, cujus poſtea locum obtinuit anno 1355. Goffre- 70
dus ſeu Zuffredus Maurocenus'. Huic Venetus Senatus, ad preces Legatorum Civitatis Candiæ, (ne Patritii ejus Metropolis vulgarium de plebe hominum immixtione fœdarentur) mandavit, ne quemquam de cætero ipſe & ſui Conſiliarii Majori Conſilio Candiæ adſcriberent, niſi prius per Venetam Dominationem decerneretur, quid rei eſſet agendum. Verba Decreti proferimus: *Super puncto loquente quod Conſilium Majus Candide vadit in deſolationem occaſione perſonarum indignarum, quæ fiunt de ipſo Conſilio: captum eſt quod Ducha & Conſiliarii Cretæ non poſſint de cætero per ſe vel alium facere, vel fieri facere aliquem de ipſo majori Conſilio per modum gratiæ, & ſi caſus occurreret, quod aliquis diceretur meruiſſe hoc beneficium, & videretur dictis Duchæ & Conſiliariis ita eſſe rei veritatem, ſcribatur Dominationi de hoc, quomodo habent ipſum dignum beneficio prædicto, non intromittendo ſe propterea in faciendo aliquid in prædictis donec per Dominationem factum & determinatum fueris, prout ſibi videbitur.*

Anno 1357. Philippus Aurius poſt ſuſceptum Provinciæ 71
gubernium Candiæ obiit, ibidemque in Eccleſia Sancti Petri ſepultus fuit.

Anno 1358. Petrus Baduarius Eques. 72

Anno 1359. Andreas Dandulus. 73

Anno 1360. Marinus Grimanus Duca dum Cretam re 74
geret extremo morbo correptus mortalitatem exuit, ejusque corpus in Eccleſia Sancti Petri tumulatum fuit. Huic in regimine ſuffectus fuit Franciſcus Maurocenus, qui (ut ſuperius diximus pag. 19.) anno 1362. die 9. Decembris ſententiam tulit pro Candienſi Monaſterio Ordinis Cruciferorum.

Interea Reſpublica Veneta poſt initam cum Januenſibus 75

primum; mox cum Rege Hungariæ pacem, perfecta rerum tranquillitate fruebatur, quapropter ab omni externi hoſtis periculo metuque libera, conſtituerat arma cum cæteris Chriſtianæ legis Principibus conſociare ad bellum vulgo *ſacrum paſſagium* nuncupatum, quod nuper Urbanus V. ad coercendos Turcarum progreſſus, & ad ſancta Paleſtinæ loca recuperanda Avenione inſtituerat. Dum igitur ad ſacrum bellum claſſem copiasque diſponit, ad turbanda pii propoſiti conſilia novi iique graviſſimi rebellionum motus in Creta exoriuntur. Suſceperat Inſulæ adminiſtrationem anno 1363.

76 Leonardus Dandulus vir probatiſſimus Andreæ Venetiarum Ducis, & Chronologi celeberrimi filius, qui in ipſo initæ dignitatis exordio Senatus Veneti legem promulgavit, qua ſtatuebatur, *ut pro auxilio expenſarum portus Candiæ plurima reparatione indigentis*, aliquod licet tenue ſubſidium etiam Venetæ Coloniæ viri deferre tenerentur. Leviſſima hac de cauſa in furias acti perfidiſſimi Cives excitato tumultu Ducham ipſum & Conſiliarios contumeliis affectos carceri manciparunt, cæterosque Nobiles, & Mercatores Venetos prædonum more bonis omnibus tum libertate ſpoliarunt. Ex corruptis hominum moribus eorumque laſcivia tantum facinus proceſſiſſe teſtatur in continuatione Chronicorum Danduli Raphaynus Careſinus, qui poſt commotam ſeditionem Venetorum legatus ad Januenſes proceſſit, ut ipſos ab afferendis rebellium turbæ auxiliis retraheret.

Graviſſima authoris verba (licet typis edita) afferimus, ex iis enim addiſcimus peſſimam omnium peſtem in Republica luxum eſſe, & delitias, quæ excœcatos homines a ſui cognitione aufert, & jumentis inſipientibus ſimiles facit.

„ Hujus tempore fœdiſſimum ac crudele flagitium in Cre„ tenſi Inſula commiſſum eſt ab his, qui cauſam Ducalis „ Dominii jure naturæ, gentium, & civili, tueri modis om„ nibus tenebantur. Qui licet ab optima Patria, optimis„ que parentibus orti ſint, tamen non cives appellari de„ bent, ſed nequiſſimi Parricidæ. Primogenitores enim eorum

„ rum de Nobiliſſimis Venetiarum proſapiis, & in Republi-
„ ca confidentiſſimis, a Petro Ziani olim Venetiarum Duce
„ fuerunt ad cuſtodiam Inſulæ, per ipſum vi armorum ac-
„ quiſitæ, deſtinati, diviſis inter ſe poſſeſſionibus Loci jure,
„ & titulo Feudi: cujus beneficio juraverant pro ſe, & eo-
„ rum ſucceſſoribus Inſulam contra Græcos, & nationes quas-
„ libet perpetuo defenſare. Quod fideliter ſervaverunt us-
„ que ad tempora ſupradicta, in quibus propter epidemia-
„ les peſtes, quæ peccatis exigentibus Urbem diutius flagel-
„ laverant, quaſi ſeniores omnes defecerunt. In quorum
„ obitu fides etiam & amor Patriæ in multis defeciſſe vi-
„ detur. Supervixerunt autem juniores in tanta laſcivia,
„ luxuria, tantisque corruptis moribus, quod Inſula, qua
„ nulla melior, & quæ mirabiliter bonis omnibus aucta fue-
„ rat, ſub favore, & benignitate Ducali conſervare neſci-
„ verunt. Sed nimiis deliciis & honoribus excœcati non co-
„ gnoverunt ſe ipſos & comparati ſunt jumentis fatuis, &
„ ſimiles facti ſunt illis, in qua re non damno locum, ſed
„ vitium; nam virtuoſi Progenitores eorum virtuoſiſſime
„ vixerunt ibidem.

„ Hi autem, contra naturam relictis laudabilibus Patrum
„ veſtigiis, Cretenſium inſolentiis adhæſerunt, quas Apoſto-
„ lus merito increpans ait: Cretenſes ſemper mendaces, gra-
„ ves corpore, malæ beſtiæ, ventres pigri. Eorum capita
„ fuerunt Titus Venerio, & Titus Gradonico, qui deme-
„ ruerunt a tam egregiis ſtirpibus appellari, quæ ſemper
„ produxerunt Cives famoſiſſimos, & apud Rempublicam
„ digniſſimos laude, exigentibus eorum probatis meritis, fi-
„ de, ſapientia, & virtute.

„ Iſti autem duo cum eorum complicibus facto ſubmur-
„ mure propter quædam datia ſatis tenuia impoſita pro au-
„ filio expenſarum portus Candiæ, plurima reparatione in-
„ digentis, ſubito tumultu totum Populum commoverunt,
„ manusque neſarias in Ducham, & Conſiliarios, aliosque
„ Officiales Cretæ, nec non in omnes Nobiles, & Merca-

tores

„ tores Venetos tunc ibi exiſtentes, injecerunt, ipſos tetro „ carceri includentes, prædæ expoſitis eorum mercationibus „ atque bonis. Idem exceſſus in omnibus locis Inſulæ eſt „ commiſſus.

„ Cæterum inani ſpe deceperunt Marcum Gradonico ma„ jorem, ſolitum eſſe prudentem, ac patruum, denominan„ tes ipſum Ducham Cretæ, " cui in conſiliariorum munere addiderunt Franciſcum Mudatium, Marcum Fradellum, Andream Panthaleum & Bartholomæum Grimaldum, qui ut Græcos in perfidiæ communionem allicerent, abolito Latino ritu, in omni Cretenſi Inſula Græcum ritum, quem & ipſi publice amplexati fuerant, ſervari mandaverunt, rejectisque patriæ inſignibus Divi Titi imaginem in vexillis pro Sancto Marco expreſſerunt. Emicuit inter eas turbas Jacobi Mudatii viri præſtantiſſimi fides, qui cum Franciſcum fratrem inter Conſiliarios ſedentem conſpexiſſet, gravi eum ſermone corripiens proditorem & parricidam appellavit; indeque e palatio ejectus cives omnes ad antiquam fidem, & ſubjectionem revocare omni ſtudio conabatur.

Delato Venetias neſariæ defectionis nuntio, P. C. moleſtiſſime tulerunt, ingratos Cives plurimisque auctos beneficiis armorum impetum in Patriæ perniciem contuliſſe; verum antequam ad duriora procederent, eos modis omnibus ad officium revocare decreverunt. Legatos igitur quinque ex graviſſimis Senatus viris elegerunt Andream Contarenum, Petrum Zane, Franciſcum Bembum, Joannem Gradonicum, & Laurentium Dandulum, qui ſeditioſos hortarentur *paternis verbis, reverti ad priſcam fidelitatem. Ut ventum eſt* (ita Laurentius de Monachis in Chronico) *ad partes Scandiæ Inſulæ poſitæ ex oppoſito Candidæ, Proviſores* (hoc enim titulo legatos ſuos decoraverat Senatus) *habito ſalvoconductu deſcendunt de galeis & intrant civitatem, offenduntque rugam magiſtram* (ideſt viam regiam) *quæ ducit ad Palatium hominibus ſtipatam armatis, & inermem vulgum ſupra tecta domorum altis ac variis clamoribus obſtrepentem, qui terrorem ipſis Proviſo-*

ribus

ribus incuſſerunt. Ut ad tribunal proditorum perventum eſt, benigne orſi imputant motus rebellium hoſti humanæ naturæ, qui tentando exagitat filios in parentes, & fratres in fratres, aſſeruntque quod de hominibus male eſſet ſi quod inſpirante diabolo fragilitas carnis admittit, firmitas animorum per gratiam Sancti Spiritus non corrigeret; novumque non eſſe cadere in peccato, ſed eſſe maximum flagitium in ipſo velle jacere, proindeque hortabantur, atque monebant, ut lapſi exurgerent, & ad priſcam redirent obedientiam, ut caro ſuæ carni, oſſaque ſuis oſſibus adhærerent, prolatoque illo evangelico de filio prodigo, denuntiabant Ducalem benignitatem velle illos tamquam filios remiſſis omnibus injuriis in ſinum ſuæ gratiæ paterna affectione ſuſcipere. Placidas Legatorum hortationes indurati in perfidia ſua rejecerunt rebelles, elatisque verbis, ſe Inſulæ libertatem tueri velle repoſuerunt, neque unquam induci poſſe, ut ſibi conceſſa privilegia a Senatu tolli, aut infringi paterentur. Itaque cum nec hortationibus, nec minis pervicaces rebellium animos flectere valuiſſent, Legati re infecta in patriam redierunt. Hæc autem cum ex ipſorum relatu Senatus accepiſſet, ſublatamque omnem mitis conſilii ſpem agnoſceret, rem armis terra marique tractandam eſſe decrevit. Senatus iram per ea tempora magis accendit gravis alius eventus Venetis moleſtus æque ac indecorus, quem Franciſci Petrarchæ verbis Rerum Senilium Lib. III. Epiſt. VIII. afferimus: *per hos dies Venetorum claſſis de more annuo Cyprum atque Alexandriam petens, dum a Cretcis nuper fidis ac ſubditis, nunc hoſtilibus eſſet depulſa littoribus, ad oppidum cui Sythiæ nomen eſt, in extremis Inſulæ finibus, qua minorem ſcilicet Aſiam, & minorem proſpectat Armeniam, manus juvenum noſtrorum juſtiſſimo quidem odio nefariæ rebellionis accenſa, ſed ut res docuit plus impetus habitura quam conſilii, aquandi ſeu propoſito, ſeu præteſtu in terram egreſſa, cumque aquatione prohiberetur, bipartito agmine muros agreſſa eſt tanto ardore, ut jam ea pars oppidi quam Alexandrinarum navium ductor invaſerat, nam & arte prævalidis diffuſa mœnibus,*

nibus, inque humiles preces verſa ſupplicum more prætentis manibus ſpem ſalutis in deditione reponeret. Denique actum erat, ubi repente pars altera, quam claſſis Cypriæ Dux agebat, quaſi non Cyprum petens ſed in Cypro nata, paucis armatis, imo inermibus Græculis proximo in colle conſpectis, leporino, ac degeneri, & indigno metu ſine vulnere, ſine ferro, quin & ſine ſtrepitu terga verſiſſet. In qua fuga primo attonitis novitate rei, vixque ſibi credentibus, quod videbatur, deinde reſumpto animo erumpentibus oppidanis, noſtrorum quidam gladio, alii undis abſumpti ſunt. Naves ſparſæ, reliquæ periere, ita horum ignavia, aliorum virtus irrita prope jam parto caruit effectu, damnumque vetus novo dedecore cumulatum eſt. Suorum itaque civium jactura, non minus quam execrabili Cretenſium nobilium ingratitudine ira æſtuans Senatus primum rebellionis authores capitali judicio proſcripſit, mox Laurentii Celſi Ducis ſententiam ſequutus Candiæ civitatis expugnationem tentandam eſſe ſtatuit, ut devicta receptaque Metropoli cætera loca facilius in Veneti nominis obedientiam reſtituerentur.

Ne autem ab externis auxiliis audaciores efficerentur ſeditioſi, Legatos tum ad Urbanum V. tunc Avenione ſedentem, & Imperatorem Romanorum Carolum IV. Bohemiæ Regem, tum ad Reges Galliæ, Hungariæ, Siciliæ, & Cypri, atque ad Ducem, & Rempublicam Januenſium miſit Senatus, ut perfidiam, & rebellionem ingratæ Coloniæ exponentes, Principes omnes publico nomine obteſtarentur, ne ad rebellium auxilium a ſuis ſubditis arma, alimenta, copiasve deferri permitterent; hoc Reipublicæ quidem gratiſſimum, & Principum omnium ſubditis exemplum fore utiliſſimum. Votis ſtudiisque Senatus facile obſecundarunt omnes, latisque decretis ſuos ſubditos *a præſtandis* ſeditioſo hominum cœtui *ſubſidiis & favoribus* prohibuerunt. Teſtes hujus rei habemus Roberti Imperatoris C. P. nuncupati Tarenti Principis, Joannæ utriusque Siciliæ Reginæ, & Ducis Januenſium diplomata, queis pœnas ſtatuerunt iis, qui ſubſidii

fidiis vel commercii cauſa Candiam vel Cretæ Inſulam attigiſſent. Hæc ſunt diplomatum exempla.

„ Robertus Dei Gratia Imperator Conſtantinopolitanus Romaniæ Deſpotus, Achajæ & Tarenti Princeps, Juſtitiariis „ & Vicariis noſtris Principatus Tarenti, & Provinciarum „ terrarum Barri & Idronti ſalutem & dilectionem ſinceram. „ Noviter intelleximus diſplicenter rebellionem dampnabilem, quam Candiani & Cretenſes Veneticæ jurisdictioni „ ſubjecti contra ſpectabilem Ducem & Regimina Venetorum commiſſiſſe dicuntur absque cauſa rationabili obſidendo, & expellendo Rectores eorum, ob quam cauſam præfatus Dux, noſter ſpecialis amicus, & Commune Venetiarum contra dictos rebelles galearum multitudinem demanaverunt, ut eos reducant ad debitæ & ſolitæ fidelitatis „ obſequium per clementiam ſi poſſunt, vel convincant, „ puniant, & arceant vi armorum. Et quia mercatorum converſatio conſuevit eſſe periculoſa in terris terreſtribus „ & maritimis guerram facientibus volumus, & devotioni veſtræ mandamus expreſſe, quatenus guerra ipſa durante „ per vias aptas & commodas ſic & taliter ordinetis, quod „ ſubditi noſtri mercationes non exerceant in Inſula Candienſi & Cretenſi prædicta, nec mittant illuc eorum navigia cauſa immittendi, vel extrahendi quæcumque ad victum pertinentia, ſive merces, ex hoc enim evitabuntur „ ſcandala, quæ poſſent occurrere, & erga Ducem ipſum oſtendetur debitæ charitatis, & dilectionis affectus. Caventes bene ne directe vel indirecte mandati hujus ſemitas excedatis, ſicut noſtræ indignationis aculeos cupitis „ evitare, præſentibus poſt opportunam inſpectionem remanentibus præſentantibus, recepto exinde tranſumpto, ſi ipſum habere volueritis ad cautelam.

„ Datum Neapolis per Joannem Averſanum de Salerno militem Juris Civilis profeſſorem Viceprotonotarium, Conſiliarium, & familiarem noſtrum dilectum. Anno Domini MCCCLXIII. die XIV. menſis Novembris Secunda

„ Indictione Imperii noſtri anno XVIII. Principatus vero
„ anno XXXII.

„ Joanna Dei gratia Regina Jeruſalem & Siciliæ Duca-
„ tus Apuliæ & Principatus Capuæ Provinciæ & Forqual-
„ querii ac Pedemontis Comitiſſa. Univerſis Officialibus Re-
„ gni noſtri quacumque diſtinctione vocentur, aliisque uni-
„ verſis & ſingulis noſtris fidelibus præſentes litteras inſpe-
„ cturis & ſingulis eorumdem gratiam & bonam voluntā-
„ tem. Ex propagato in perſonam noſtram ab illuſtribus
„ progenitoribus noſtris ſinceritatis affectu erga Venetiarum
„ Commune ejusque ſubditos & ſubjectos libenti animo ex-
„ peditiones illorum proſequimur, & illas ad votivum effe-
„ ctum favoribus amabilibus intuemur. Ideoque fidelitati
„ veſtræ harum ſerie diſtricte præcipimus quatenus vos Of-
„ ficiales per congrua opportunæ proviſionis remedia quo-
„ ſcumque fideles noſtros prout ad quemlibet veſtrum in ſua
„ jurisdictione ſpectaverit, expreſſo prohibere curetis, quod
„ ipſi fideles noſtri ad Inſulam Cretæ, cujus habitatores &
„ incolæ eminenti & magnifico viro Duci Venetiarum, &
„ Nobilibus viris Communi Venetiarum rebellaſſe ponuntur,
„ cum rebus quibuslibet in eorumdem rebellionis fomentum
„ accedere ſeu navigare quovis modo præſumant; vosque fi-
„ deles noſtri prædicti quibusve cauſis vel coloribus quæſi-
„ tis in dictam Inſulam transfretare quousque adverſus di-
„ ctum Ducem & Commune rebellio ipſa duraverit, quo-
„ modolibet non temptetis ſicut de obedientiæ promptitu-
„ dine commendari cupitis, & de inobedientia culpa ple-
„ ctibili non puniri. Sperantes quod rationabiliter ipſe Dux
„ & Commune erga expeditiones noſtras in opportunis ca-
„ ſibus debeant nobis conſimilibus favoribus amicabiliter re-
„ ſpondere.

„ Datæ Averſæ per virum magnificum Neapoleonem de
„ filiis Urſi Comitem Manupelli Logothetam & pronota-
„ rium Regni noſtri Siciliæ dilectum Collateralem Conſilia-
„ rium, & fidelem noſtrum anno Domini MCCCLXIII.

die

„ die IX. Novembris ſecundæ Indictionis. Regnorum noſtro-
„ rum anno XXI.

„ Gabriel Adurnus Dei Gratia Dux Januenſium &c. Ka-
„ riſſime. Cupientes ut inter illuſtrem Dominum Ducem
„ & Commune Venetiarum & nos noſtrumque Commune
„ amor, & votiva tranquillitas perſeveret, & mutuis & gra-
„ tis obſequiis foveatur. Intellecta nuper deteſtabili rebel-
„ latione ſubditorum ipſius Domini Ducis, & communis Ve-
„ netiarum in Candea & Inſula Cretæ contra quos ipſi Do-
„ minus Dux & commune hoſtiliter procedentes loca ipſa
„ præſentialiter obſederunt. Auditis inſuper precibus ſuper
„ hoc ipſorum Domini Ducis & Communis ejusdem ami-
„ cabiliter complacere volentes pro ſalute & conſervatione
„ mutuæ dilectionis hinc inde, ac etiam pravorum cohor-
„ tione laudanda. Ecce per ſolemne decretum noſtrum du-
„ ximus ordinandum quatenus Januenſes, & qui pro Januen-
„ ſibus diſtinguuntur & appellantur ſubditi noſtri ab acceſ-
„ ſu ſubſidio atque comercio Candeæ & Inſulæ Cretæ cum
„ mercibus vel ſine ſub pena valimenti medietatis rerum &
„ mercium delatarum ſeu miſſarum ad dicta loca debeant
„ penitus abſtinere. Sane tamen intellecto quod decretum
„ prædictum aliquatenus non ſe extendat ad illos Januen-
„ ſes, ſeu qui pro Januenſibus diſtinguuntur qui jam eſſent
„ inthorati cum navigiis & mercibus ipſorum cauſa eundi
„ ad dictam terram Candeæ & Inſulam antedictam eo tem-
„ pore, quo præſentes vobis fuerint præſentatæ neque ad
„ illos Januenſes ſeu qui pro Januenſibus diſtinguuntur, qui
„ ad dicta loca accederent cauſa extrahendi inde bona, quæ
„ in ipſis haberent ante receptionem præſentium litterarum.
„ Proinde vobis diſtricte præcipiendo mandamus quatenus
„ præfatum decretum ſub verbis prædictis firmatum ſub pe-
„ na prædicta faciatis inviolabiliter obſervari, hæc mandata
„ noſtra taliter obſervantes ne de inobedientiæ, quod abſit,
„ haberemus contra vos materiam procedendi donec ea duxeri-
„ mus revocare. Datum Januæ 1363. die 9. Novembris.

„ Gabriel Adurnus Dei Gratia Dux Januenſium & po-
„ puli Defenſor & Conſilium Antianorum ejusdem Univer-
„ ſis & ſingulis Januenſibus & qui pro Januenſibus diſtringun-
„ tur & appellantur ſubditis noſtris ſalutem & dilectionem
„ ſinceram. Cupientes ut inter Illuſtrem Dom. Ducem &
„ Commune Venetiarum & nos noſtrumque Conſilium amor
„ & votiva tranquillitas perſeveret ac mutuis & gratis ob-
„ ſequiis foveatur. Intellecta nuper deteſtabili rebellatione
„ ſubditorum ipſorum Domini Ducis & Communis in Can-
„ dea & Inſula Cretæ contra quos ipſi Dominus Dux & com-
„ mune hoſtiliter procedentes loca ipſa præſentialiter obſe-
„ derunt. Auditis inſuper precibus ſuper hoc ipſorum Do-
„ mini Ducis & Communis ejusdem amicabiliter complacere
„ volentes pro ſalute & conſervatione mutuæ dilectionis hinc
„ inde, ac & pravorum cohertione laudanda. Ecce per ſo-
„ lemne decretum noſtrum duximus ordinandum, quatenus
„ Januenſes, & qui pro Januenſibus diſtringuntur & appel-
„ lantur ſubditi noſtri ab acceſſu ſubſidio atque commercio
„ Candeæ, & Inſulæ Cretæ cum mercibus & ſine ſub pe-
„ na valimenti medietatis rerum & mercium delatarum ſeu
„ miſſarum ad dicta loca, debeant penitus abſtinere. Sane
„ tamen intellecto quod decretum prædictum aliquatenus
„ non ſe extendat ad illos Januenſes ſeu qui pro Januenſi-
„ bus diſtringuntur, qui jam eſſent inthorati cum navigiis
„ & mercibus ipſorum cauſa eundi ad dictam terram Can-
„ deæ & Inſulam Cretæ antedictam, antequam ipſius de-
„ creti notitiam habuiſſent; de quo ſtetur juramento illius
„ aſſerentis ſe fuiſſe, ut præmittitur, inthoratum, neque ad
„ illos Januenſes ſeu qui pro Januenſibus diſtringuntur, qui
„ ad dicta loca accederent cauſa extrahendi inde bona, quæ
„ in ipſis haberent ante receptionem præſentium litterarum.
„ Proinde vobis diſtricte præcipiendo mandamus quatenus
„ præfatum decretum ſub verbis prædictis firmatum ſub pe-
„ na prædicta inviolabiliter obſervetis. Hæc mandata noſtra
„ taliter obſervantes, ne de inobedientia, quod abſit, ha-

bere-

„ beremus contra vos materiam procedendi, donec ea du-
„ xerimus revocare.

„ Datum Januæ MCCCLXIII. die IX. Novembris.

„ Philippus Noyterranus Notarius & Cancellarius.

Eadem prorſus ſuis ſe ſubditis mandaſſe, ſignificarunt Senatui per epiſtolas Ludovicus Hungarorum Rex, & ſuperius enuntiatus Dux Januenſium.

„ Ludovicus Dei Gratia Rex Hungariæ. Amice cariſſime
„ viſis litteris veſtris continentibus quod feudati veſtri vi-
„ delicet Inſulæ Cretenſis rebellionem quamdam contra ſta-
„ tum veſtrum in eadem Inſula concitaſſent, veſtræ amici-
„ tiæ ſic duximus perſcribendum, quod non ſolum de his,
„ verum etiam de quibuslibet aliis veſtris adverſitatibus vo-
„ bis ex animo condolemus; & quia in eisdem litteris ſub-
„ jungebatur, quod noſtris fidelibus & ſubjectis maritimis ef-
„ ficaciter mandare velimus, ut durante novitate hujusmo-
„ di ab omni favore & auxilio dictorum Cretenſium abſti-
„ neant, & deſiſtant, taliter reſpondemus quod ſubditos no-
„ ſtros maritimos a præſtandis ſubſidiis & favoribus ſupra-
„ dictis Cretenſibus libenter volumus prohibere. Nam, Deo
„ teſte, ſemper fuit & eſt intentionis noſtræ illam pacem
„ inviolabiliter obſervare, quæ alias inter nos utrimque fuit,
„ Rectore Domino, feliciter conſumata, ſperantes a vobis
„ & veſtris idipſum vice verſa. Et ſi quæ ſingulares per-
„ ſonæ dictis Cretenſibus forte cauſa proximitatis, vel alia
„ quacumque ratione ſubſidium præſtitiſſent, vel præſta-
„ rent, hoc pro certo non proceſſit, nec procedit voluntate.

„ Datum Wiſegrad die ſexta menſis Novembris anno
„ Domini MCCCLXIII.

„ Gabriel Adurnus Dei Gratia Dux Januenſium &c. &
„ conſilium duodecim Antianorum Civitatis Januæ.

„ Spectabilis Princeps & Magnifice Frater. Intellectis nu-
„ per veſtri parte relatis ſimul & precibus Providi viri Ra-
„ phaini de Careſinis Cancellarii & Ambaſciatoris veſtri cu-
„ pientes & undique ſincera charitate quærentes ut inter

vos

„ vos veſtrumque commune & nos noſtrumque commune
„ inconcuſſus amor, & votiva tranquillitas mutuis obſequiis
„ foveatur. Ecce precibus veſtris gratioſe & liberaliter an-
„ nuentes per ſolemne decretum noſtrum firmavimus, &
„ ad exequutionem plenariam contentorum in ipſo per no-
„ ſtras urgentes litteras dedimus in mandatis Rectoribus &
„ officialibus aliisque omnibus Januenſibus noſtris in locis &
„ partibus opportunis quatenus ab acceſſu ſubſidio atque
„ commercio Candeæ & Inſulæ Cretæ ac incolarum loco-
„ rum ipſorum veſtræ ditioni præſentialiter rebellantium ſe
„ prorſus & ſub penis gravibus debeant abſtinere, quemad-
„ modum in ipſis litteris & decreto idem Ambaſciator ve-
„ ſter vidit latius contineri, facturi deinceps pro vobis, &
„ proſpero ſtatu veſtro veſtrique communis & omnium ſub-
„ ditorum amicabiliter & fraterne quidquid nobis poſſibile,
„ gratum vobis & utile crederemus.

„ Datum Januæ MCCCLXIII. die IX. Novembris.

At Petrus Cypri & Jeruſalem Rex, qui arctiori amicitiæ vinculo Venetis adhærebat, ut idipſum in Regno ſuo, a quo tunc aberat, ageretur, datis ad uxorem, & fratrem regni adminiſtratores epiſtolis, *ſtrictiſſime* juſſit. Præterea Duci Venetiarum ſignificavit, ſe quamprimum poſſet, Venetias acceſſurum, & ad expugnationem rebellium cum electa Nobilium manu transmigraturum. Utramque Regis epiſtolam exhibemus.

„ Petrus Dei Gratia Jeruſalem & Cypri Rex Prædilectæ
„ Conſorti noſtræ Reginæ dictorum Regnorum, & cariſſimo
„ fratri noſtro Principi Gubernatori Regni noſtri ſalutem.
„ Noveritis ex præſentibus quod Dux Venetiarum frater
„ noſter per ſuas litteras explicavit, quod Pheudati ſui de
„ Inſula Cretæ temerariam rebellionem contra ipſum in præ-
„ dicta Inſula excitarunt. Quapropter ipſe propoſuit cum
„ manu potenti ad reprimendum eorum audaciam, & pro-
„ pter juſtam cauſam, & honorem ſuum toto conatu con-
„ tra ipſos procedere, quod ut magis poſſit, nos requiſi-
vit,

Digitized by Google

„ vit, ut ordinaremus quatenus ipſi rebelles carerent quo-
„ cumque tam Regni noſtri, quam ſubditorum noſtrorum
„ ſubſidio & favore. Nos itaque conſiderantes ſinceram di-
„ lectionem quum prædictus Dux frater noſter ad nos ſiffici-
„ tur, & beneficia ſua & Communitatis ſuæ in noſtros ho-
„ nores & favores ſæpius replicata, prædictum negotium
„ tanquam noſtrum ſpecialiter nobis aſſumentes, & prædi-
„ ctos Cretenſes durante eorum pertinacia tamquam rebel-
„ les noſtros de cætero reputantes, vobis per præſentes
„ mandamus, ut ſtrictiſſime præcipiatis omnibus Bailiis &
„ Officialibus veſtris, nec non vos etiam diligenter provi-
„ deatis ne durante novitate prædicta aliqui de ſubditis no-
„ ſtris poſſint ire, vel mittere quoquo modo ad prædictam
„ Inſulam vel navigia, vel victualia, vel merces, nec poſ-
„ ſint habere cum ipſis aliquod commercium per directum
„ vel indirectum, ac etiam, ne aliquod navigium veniens
„ de Creta in Regno noſtro recipiatur, immo tamquam re-
„ belles Regni noſtri modis omnibus habeantur. Venetis au-
„ tem conſideretis omnem ſuper his exhibere favorem, jux-
„ ta modum quem vel Dux frater noſter vobis ſcripſit,
„ vel ejus Capitanei ſeu etiam Baylius Venetorum exiſtens
„ in Cypro vobis ex parte Ducis decreverit poſtulandum.

„ Datum XXIV. Novembris.

„ Inclytæ Magnificentiæ Dom. Laurentio Celſi Dei Gra-
„ tia Venet. Duci & Amico fratri noſtro Kariſſimo Petrus ea-
„ dem gratia Jeruſalem & Cypri Rex ſalutem & felices ad
„ vota ſucceſſus. Ex litteris veſtris accepimus & non ſine
„ dolore & perturbatione mentis audivimus inconſultam no-
„ vitatem, ſeu potius temeritatem quam feudati & fideles
„ veſtri Inſulæ Cretæ antiquis & quotidianis civitatis veſtræ
„ favoribus, & tamquam de paterno ceſpite palmites ve-
„ ſtris educati alimentis, & veſtris de fontibus irrigati in
„ prædicta Inſula contra ſtatum veſtrum inſana rebellione
„ moliti ſunt. Sane Amice Cariſſime penſato vinculo ſin-
„ ceri amoris & intimæ charitatis, qui inter nos nec im-

merito

„ merito multipliciter radicatus eſt; hos turbatos eventus re-
„ rum veſtrarum non minus moleſte patimur, quam ſi de
„ parte Regni noſtri ſimilia nobis occurrerent. Et quam-
„ quam nobis, ſicut & omnibus plane conſtat egregiam ve-
„ ſtram potentiam in expeditione maris, & terræ per ſe
„ ſufficere ad tantam & longe majorem inſolentiam in bre-
„ vi tempore conculcandam, quia tamen noſtra res agitur,
„ dum de veſtris commodis & honoribus providetur, ſci-
„ tote, quod propoſuimus quanto celerius & commode po-
„ terimus Venetias accedere, & exinde cum electa manu
„ Nobilium bellatorum, quos ex diverſis regionibus procu-
„ ravimus cum comitiva veſtrarum gentium ad eandem Cre-
„ tæ Inſulam transfretare; & ad expugnationem illorum re-
„ bellium cum perſona & totis viribus Regni noſtri immo-
„ biliter perſeverare quousque ipſorum veſana temeritas ex-
„ tinguatur, & veſtri honoris integritas reformetur. Cæte-
„ rum ſuper his quæ a nobis veſtra amicitia requiſivit,
„ ſcitote quod nunc ſcribimus & mandamus prædilectæ Con-
„ ſorti noſtræ Reginæ, & Kariſſimo fratri noſtro Principi
„ Gubernatori Regni noſtri, quatenus ad ea proſequenda
„ procedant prout videre poteritis in quadam pagina præ-
„ ſentibus introcluſa.

„ Datum Londoniis die XXIV. Novembris.

Dum hæc aguntur, Urbanus Pontifex, cui ſummo cordi erat Chriſtianos Principes in tranquillitate perſiſtere, ne ab inferendo Turcicæ potentiæ bello diſtraherentur, Cretenſes non ſolum, ſed & Venetos iteratis epiſtolis ad pacem mutuam cohortatus eſt, Sanctoque Petro Thomæ Cretenſi Archiepiſcopo mandavit, ut *Candienſes ad debitam concordiam & obedientiam* reducere, atque *extirpatis odiorum radicibus animos ad veram & ſolidam concordiam diſponere* niteretur.

Duo Urbani Pontificis diplomata ad Laurentium Celſi Ducem & Commune Venetiarum miſſa proferimus.

Urba-

Digitized by Google

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Laurentio Celſi Duci ac communi Venetiarum Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ Intellecta dudum diſcordia quam inter vos & dilectos
„ filios populum civitatis Candienſis pacis emulus ſuſcita-
„ vit, tam vos quam eumdem populum per Apoſtolica ſcri-
„ pta paterne monuimus, & ſuimus exhortati, ut ad pa-
„ cem mutuam rediretis, prout in litteris noſtris inde con-
„ fectis plenius continetur. Poſtmodum autem conſideran-
„ tes attentius, quod in partibus illis propter locorum di-
„ ſtantiam & cauſas alias vix reperiri poſſunt qui velint,
„ & valeant eſſe pacis hujusmodi idonei tractatores ac at-
„ tendentes magnæ circumſpectionis induſtriam, ſcientiæ do-
„ num, ac ſolicitudinis ſtudium Venerabilis Fratris noſtri
„ Petri Archiepiſcopi Cretenſis Apoſtolicæ Sedis nuntii nec
„ non zelum, quem idem Archiepiſcopus habet ad pacem
„ & ad vos & populum ſupradictum ac etiam ad ſanctum
„ paſſagium quod ad terram ſanctam & ad alias partes in-
„ fidelium Orientis indiximus, digne ipſum dictæ pacis au-
„ ctore Domino reformandæ deputavimus tractatorem tra-
„ dita ſuper his, & treguis interim indicendis hinc inde
„ plenaria per litteras Apoſtolicas poteſtate. Quo circa uni-
„ verſitatem veſtram hortamur, ac rogamus attente per
„ Apoſtolica vobis ſcripta mandantes quatenus quieti ac pla-
„ catis conſiderantes mentibus quantum ſit periculoſa & di-
„ ſpendioſa toti Chriſtianitati præſertim ratione dicti paſ-
„ ſagii diſcordia memorata, animos veſtros extirpatis odio-
„ rum radicibus ad veram & ſolidam concordiam diſpona-
„ tis eidem Archiepiſcopo ſtatus veſtri proſperi zelatori præ-
„ cipue ſuper his parentes ac efficaciter attendentes, ut
„ ſublato tam gravi obice paſſagii memorati tam vos, quam
„ iidem Candienſes tamquam athletæ Chriſti illud proſequi
„ liberius & potentius valeatis. Datum Avinioni octavo Idus
„ Decembris. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio Nobili Viro Laurentio Celſi Duci Venetiarum Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ Litteras tuæ nobilitatis nuper noſtro Apoſtolatui deſti-
„ natas benigne recepimus, ſed contenta in ea, videlicet
„ quod ſancto ultramarino paſſagio, prout affectabas & pro-
„ poſueras propter guerram Candienſem, quæ tibi neceſſa-
„ rio imminebat, ſubire nequibas, non intelleximus jocun-
„ danter. Nos autem pro bono pacis, quam inter cunctos
„ Chriſtifideles quærimus, & prout nobis ex alto permit-
„ titur procuramus, & ut tibi ſubtrahatur impedimen-
„ tum hujusmodi ſuper dicta pace tractanda Venerabili fra-
„ tri noſtro Petro Archiepiſcopo Cretenſi certam commiſ-
„ ſionem his diebus authoritate Apoſtolica fecimus, prout
„ per litteras noſtras tibi duximus intimandum. Speramus
„ igitur in Deo, cujus negotium in paſſagio præfato agi-
„ tur, & qui devios novit ad rectitudinis callem reducere,
„ & rebelles humiliat ad obedientiam exhibendam, & in
„ circumſpectione præfati Archiepiſcopi, quod iidem Candien-
„ ſes ad debitam concordiam & obedientiam reducentur.
„ Tuque ubi putabas minus poſſe dictum juvare paſſagium,
„ plus juvare poteris, & juvabis tuum potentem maritimum, & terreſtrem exercitum, Candienſibus reconciliatis
„ eisdem, in hoſtes ſacræ fidei convertendo, ſi vero tua circumſpectio circa reductionem dictorum Candienſium aliud
„ per nos cognoverit faciendum, illud nobis intimare non
„ differas, quia quidquid ſecundum Deum in hac parte poterimus ſollicitis ſtudiis exequemur. Datum Avinioni 14.
„ Kalendas Februarii Pontificatus noſtri anno ſecundo.

In irritum tamen & Romani Pontificis vota, & Sancti Præſulis ſtudia ceſſerunt, ſiquidem flagitioſiſſimi homines *ſicut prius Legatos prudentiſſimos, qui offerebant eis veniam & gremium pietatis abominabiliter ſpreverant*, ita & Pontificia monita, & ſalutares ſanctiſſimi Archiepiſcopi hortatus perfide

fide neglexerunt, *unde Dei Omnipotentis iram*, (ut notat Raphael Careſinus) *& Ducalem dignitatem amplius* provocarunt. Ut itaque agitata Inſula ad Reipublicæ obſequium rediret, & juſtæ pœnæ de rebellium obſtinata perfidia ſumerentur, Senatus validam trium ſupra triginta triremium claſſem, & duodecim onerarias naves mira celeritate inſtrui juſſit, cui maritimo apparatui Dominicum Michaelem ſummo cum Imperio præfecit, additis quinque Legatis (Proviſores eos Veneti vocant) Petro Triviſano, Nicolao Juſtiniano Divi Marci Procuratore, Joanne Mocenico, Marco & Boethio Quirinis, penes quos facultas eſſet ferendi ſententias in rebelles. Hoc autem in primis imperatum eſt Legatis, ne unquam decem præcipuos proditores ad veniam admitterent, ſed in eos gravi pœnarum acerbitate animadverterent, omnique ſtudio agerent, ne ullus ex nominatim recenſitis rebellionis authoribus capitale ſupplicium fuga aut receſſu evitare valeret. Decretum hac de re ſic ſe habet:

MCCCLXIII. Die XIV. Januarii.

„ Volumus quod nullo modo poſſint remittere tantam „ proditionem & injuriam infraſcriptis X. ad minus, ſed „ quod eis per ipſos Proviſores fiat Juſtitia in partibus il„ lis, ubi comiſerint tantum malum ſicut proditoribus, & „ rebellibus noſtri Communis, & ſi aliquo caſu ex dictis „ X. aufugiſſent, vel receſſiſſent, ita quod per eos fieri non „ poſſet Juſtitia ſupradicta; Noſtri Proviſores dent bonas for„ tias & tales ſicut & quando & in illa forma, quæ eis „ videbitur, ita quod poſſint perſequi, & occidi in omnem „ partem.

Nomina prædictorum Proditorum.

„ Marcus Gradonico, Bajardus Gradonico, Gabriel del „ Abbado, Titus Venerio, Bartholomæus Grimaldi, Titus „ Gradonico, Marcus Fradello, Georgius Barbo, Theodo„ rellus Venerio, Zanachi Rizzi.

Digitized by Google

Ingentes etiam, & bene inſtructas militum copias ex tota fere Italia Senatus collegit, Ducemque ipſis inſtituit Luchinum a Verme Veronenſem Virum fide, & rei militaris ſcientia clariſſimum, cui ex S. C. Veneti exercitus Imperatori deſignato, atque jam Venetias ad grave bellum proficiſcenti Franciſcus Petrarcha libellum inſcripſit: *De Officio & virtutibus Imperatoriis*; in quo Cretam Inſulam ejusque accolas ſoluta quidem oratione, ſed poetico ferme æſtro deſcribens virum deinde magnanimum bellicæque rei peritiſſimum, ut exemplis propriis & illuſtrium antiquorum ad bellum ſtrenue gerendum utatur, philoſophicis verbis hortatur. „ Ad ſpernendum minime ſed anceps, & grave bellum „ proficiſceris in Cretam Inſulam... Inſulam magnam, im„ mo poſt Trinacriam inſularum maximam, noſtri maris „ Inſulam famoſam potentemque centum quondam urbibus „ habitatam, ubi regia Jovis ac ſepulcrum fuit, & Mino„ taurus horribilis, & inextricabilis labyrinthus. Nulla, ni„ ſi fallor, ex noſtris Inſula tanto ſpatio a continenti ſe„ jungitur, undique vaſtum mare, atque importuoſa ſunt „ littora, introrſus accolæ verſipelles, callidi, fallaces, ne„ que ad Poetas tantum veteres Latinorum & Græcorum, „ ſed apud ipſum Apoſtolum Paulum ſemper mendaces ha„ biti, malæ beſtiæ, pigri ventres. Ad omnia, inquam, ni„ ſi ad fallendum inertes, ad id unum ſolliciti, atque in„ ſomnes. Cum iis igitur tibi futura res eſt, quibus non „ fraus extranea, non ſcelus inſolitum, nullum nequitiæ no„ vum genus, ſed omnia trita, & frequentibus actibus & „ longa conſuetudine in habitum pridem verſa, quod non „ ultimum poſuerim, conſcientia ſcelerum, & deſperatione „ ultima ſupra ſolitum irritata. Quid quod magna pars In„ ſulæ montuoſa, nemoroſa, inaquoſa eſt? Rura ſqualida „ rigida hiſpida, paſſus invii dubii perplexi & inſidiis op„ portuni. Si, quod abominor, ſed nihil a bellorum ſuc„ ceſſibus alienum cogito, ſi quid, inquam, incideret adver„ ſi & receptus nulli, & aditus impediti, & ſcopuloſa re-

pagu-

„ pagula, & aquaticæ compedes, & carcer æquoreus.....
„ Surge, inquam, magno animo, ambula maturo consilio...
„ fac ut soles, exemplis propriis utere, quid in similibus
„ egeris recordare, te ipsum imitandum tibi offero. Utere
„ & exemplis illustrium antiquorum, quibus abundantem,
„ vel te lectio fecerit, vel auditus, & memento, hanc ipsam,
„ ad quam tu oppugnandam pergis Insulam, dum ditior
„ olim esset, multoque potentior, a Metello, qui ob id Cre-
„ ticus dictus est, facili domitam incursu, tibique utinam
„ reservatum, eventu simili sit cognomen. „

Roboratus itaque & propria virtute & præclara tanti amici cohortatione Luchinus, *Romano more*, (ut ipsi deinde de victoria gratulatus scripsit Petrarcha lib. IV. Senil. Ep. 1.) *& Romano certe animo in bellum* profectus est, *paratus scilicet*, ut ipse in concione ad milites habita professus est, *in suo militari Imperio aut vincere, aut mori;* susceptisque a Senatu laborum sociis *duobus Gubernatoribus Joanne scilicet Dandulo milite, & Petro Mauroceno, exercitum equestrem & pedestrem viriliter transvexit ad Insulam*. Secundo vento devecta classis anno 1364. die 1. Maii ad Fraschiæ portum applicuit, ubi expositio exercitu Vermius Imperator urbem Candiæ a portu Fraschiæ septem millibus passuum distantem terrestri obsidione premere meditabatur, dum Michael classis Dux ipsam mari oppugnare pergebat. Bellica Vermii consilia, ut agnoverunt Græci, Candia egrediuntur celeriter, seque cum gentibus suis in proximis Armiri locis commorantibus adjungentes Francisco Mudacio Ductore in aciem descendunt, & paratas Venetorum copias inconsiderata audacia invadere & perturbare conantur. Primos rebellium impetus imperterrite sustinuerunt Veneti, mox in adversa agmina ordinate adeo, ac intrepide irruerunt, ut *rebelles terga dare, assistente Divino præsidio, sint coacti se ad montium cacumina reducentes. Qui autem in Candia remanserunt* (sequitur Caresinus) *errore suo cognito, partim amore, partim timore* Leonardum Dandulum Ducham ejusque Consiliarios

e car-

e carceribus eduxerunt, mox *capitaneum & Proviſores Ducalis Dominii receperunt ſub Beatiſſimi Marci Evangeliſtæ & glorioſo & triumphali vexillo. Igitur vindicata fuit mediante juſtitia de Marco Gradonico, qui ſibi uſurpaverat nomen Ducæ decapitatus enim extitit in platea* medius inter Marcum Fratellum, & Gabrielem Labudum, quos omnes una Legatorum ſententia publicas proditorum pœnas ſubire coegit. *MCCCLXIV. die XV. Menſis Maii Indictione ſecunda. Definitum eſt per Dom. Petrum Triviſano, Nicolaum Juſtiniano Procuratores S. Marci, Joannem Mocenigo, Marcum Quirino, & Boerium Quirino Proviſores in partibus Cretæ quod Marcus Gradonico Major, Marcus Fradello, & Gabriel Delabado tanquam peſſimi, & iniquiſſimi proditores Communis Venetiarum ſimul & ſemel ducantur ſuper plateam, & ibi publice decapitari taliter quod moriantur faciendo quod Marcus Gradonico ſit in medio, & alii duo a lateribus ejus, & quod eorum bona omnia mobilia, & immobilia conficerentur in commune. Eodem die cum per Dom. Proviſores ſententiatum fuerit, & præceptum quod ſuprascriptos tres decapitari deberent, & jam juſtitia ſit completa, dicti Domini faciunt præcipi, quod nulla perſona cujuscumque conditionis exiſtat corpora eorum vel alicujus eorum amovere de platea audeat vel præſumat, abſque licentia dictorum dominorum ſub pena perdendi manum.*

Recepta Metropoli, Rethimus quoque, Canea & cætera Inſulæ loca ad Veneti nominis obedientiam redierunt, quo tempore ex Legatorum ſententia nonnulli ex culpabilioribus ultimo ſupplicio affecti fuerunt, ut ex iteratis epiſtolis patet, quas Veneto Senatui die 11. Auguſti ſcripſerunt Legati ipſi, Venetias mittentes eos, quos de Gente Gradonica & Veneria ſuperſtites invenire potuerunt. Hæc ſunt ipſiſſima epiſtolarum verba:

„ Sereniſſime Domine ut cuncti proceſſus noſtri quos fa-
„ cimus contra proditores & rebelles veſtros Magnitudini
„ veſtræ ſint noti, duximus denotandum, quod ultra illos
„ quos proceſſimus usque ad diem XV. menſis Julii nuper

ela-

„ elapſi, quo die fecimus decapitari novem. De proceſſi-
„ bus vero ſuis & nominibus eorum ſcripſimus per Maro-
„ chum; & nunc etiam per litteras alligatas præſenti-
„ bus replicamus. Fecimus die XVI. menſis prædicti de-
„ capitari tres, & ſuſpendi per gulam quatuor, quorum
„ nomina continentur in cedula intercluſa. Inſuper proceſ-
„ ſimus contra quemdam Antonium de Montello, qui ſta-
„ re debeat extra Inſulam per unum annum. Item contra
„ quendam Moſcoleum Solopulo aurificem, qui ſtare de-
„ beat extra Inſulam per duos annos cum conditionibus in-
„ ſertis in cedula memorata. De illis vero qui ſunt de dua-
„ bus domibus de Cha Gradonico, & Cha Venerio, & de
„ filiis novem primorum, & principalium proditorum, ac
„ etiam de filiis aliorum juſtificatorum aut poſitorum in ta-
„ leas per nos, modum & ordinem quem dedimus, & pro-
„ ceſſus quos fecimus contra ipſos in aliis litteris noſtris al-
„ ligatis præſentibus continentur. Præterea denotamus quod
„ in quadam cedula, quam intercluſam aliis noſtris litteris
„ miſimus veſtro Dominio, & replicamus litteris præſenti-
„ bus alligatis ſignificavimus omnia feuda & cavallarias iſto-
„ rum condemnatorum, quæ in Commune venerunt. Nunc
„ vero in cedula iis incluſa denotamus illa, quæ venerunt
„ in commune propter Juſtitiam factam de prædictis, quos
„ juſtificavimus nuper die videlicet XXVI. menſis nuper
„ elapſi. De redditibus vero aut valore dictorum feudo-
„ rum, & Cavallariarum, propter conditiones, quas hodie
„ habet Inſula, nullo modo habere poſſumus aliquam cla-
„ ritatem. Datæ Candidæ. Secunda Auguſti.

„ Sereniſſime Domine Ducali Celſitudini denotamus quod
„ exequentes mandatum veſtrum nobis factum de illis de Cha
„ Gradonico & de Cha Venerio, qui habitabant in Candi-
„ da tempore rebellionis, & de familiis eorum mittimus
„ præſentialiter Venetias omnes illos, quorum nomina ſunt
„ notata in folio præſentibus introcluſo. Reliquis vero de
„ ipſis domibus quorum aliqui ſunt infantuli infirmi & de-

bîles,

Digitized by Google

„ biles, & aliquæ mulieres gravidæ, qui propter infantiam „ & infirmitatem præſentialiter venire non poterant, aſſigna- „ vimus terminum recedendi de Creta ad beneplacitum „ Dominii non poſſendo ſtare in Cretam ultra menſes ſeptem „ proximos. Mittimus etiam de filiis partis illorum decem „ proditorum, qui debebant juſtificari per nos juxta formam „ noſtræ commiſſionis nec non de filiis aliquorum, quorum „ quidam per nos fuerunt juſtificati. Et quidam ad taleas „ poſiti illos videlicet, qui præſentialiter potuerunt trans- „ mitti prout notatur in folio præſentibus introcluſo, reli- „ qui vero debeant venire intra terminum antedictum & „ contentum in proceſſibus per nos factis de ipſis, quorum „ exemplum veſtro Dominio per alias noſtras litteras de- „ ſtinamus.

„ Datæ Candidæ die ſecunda Auguſti.

Tantæ igitur tamque celeriter conſumatæ victoriæ nuntium Venetias delatum P. C. univerſamque urbem incredibili lætitia affecit, redditisque, (ut æquum erat) per triduum gratiis Omnipotenti Deo, cujus miſeratione res bene feliciterque verterat, ludi publici deinde inſtituti fuerunt, in quibus ſuperius memoratus Cypri Rex Petrus cum Luchini Vermii adoleſcente filio pari virtute parique laude haſta decertavit. Adfuit ſpectaculis cum toto Senatu Laurentius Celſus Dux, ad cujus dexteram *rogatus* ſedit ſupralaudatus Franciſcus Petrarcha, qui ludorum pompam coram admiratus elegantiſſimam de Creticis victoriis & Venetis ſpectaculis epiſtolam ſcripſit ad Petrum Bononienſem, quam libro V. ſuæ Venetæ Hiſtoriæ inſeruit Petrus Juſtinianus, eo intuitu, *ut Venetæ gentis gloria veris laudibus innixa, quæ ex præſtantiſſimi viri ore emanarunt, in totius Orbis lucem effundatur*. Extat ea epiſtola in collectione operum Petrarchæ lib. IV. de rebus ſenilibus poſita ſecundo loco, prima enim illa eſt, quam ipſe Luchino Vermio amico ſuo miſit, ut de parta celeriter victoria gratularetur, ipſum laudans quod *hoſtes bello, & Metellum velocitate* ſuperaſſet. Hujus etiam

victo-

victoriæ meminit Clariſs. vir lib. VIII. Senil. Epiſt. VIII. ad ipſum Luchinum data ex urbe Ticinenſi.

De Cretenſi Inſula veloci adeo victoriæ curſu ſubjugata, deque rebellium perfidia aut morte, aut exilio punita certiores facti per publicas Senatus Veneti Epiſtolas primarii Europæ Principes, eorum plurimi de proſpero ſucceſſu congaudentes ampliſſimas litteras veluti ſincera lætitiæ & amicitiæ teſtimonia confeſtim remiſerunt. Tales Pragæ dedit absque Chronica menſis nota Carolus IV. Imperator Romanorum; Lipthæ die XXVI. Junii Ludovicus Hungarorum Rex; Neapoli die IV. Julii Joanna Regina Siciliæ, atque Neapoli Robertus pariter Achajæ & Tarenti Princeps Imperator nuncupatus Conſtantinopolitanus. Hæc ſunt litterarum exempla.

Caroli IV. Romanorum Imperatoris & Bohemiæ Regis.

„ Fideles dilecti congaudet vobis Imperialis Serenitas, „ quod nuper Capitanei veſtri proſtratis in Inſula Cretæ „ veſtris rebellibus adeo viriliter triumpharunt, tantoque „ amplius noſtro culmini Cæſareo ſurrexit gaudiorum me„ ritum, quanto vos ad ea, quæ Sacri Imperii honorem & „ uberem ſtatum reſpiciunt digna conſideratione videmus „ propenſius aſpirare.

„ Datum Praghæ decimo octavo. Imperii vero deci„ mo anno.

Ludovici Regis Hungariæ.

„ Amice cariſſime: noſſe velitis quod nuntius veſter ha„ rum exhibitor nobis litteras veſtras exhibuit, victoriam „ quam Dominus Deus vobis & communi veſtro de rebel„ libus veſtris Inſulæ Cretenſis largitus eſt, plenius expri„ mentes, quas quidem litteras tanto majori jucunditate & „ propenſiori ſolatio ſuſcepimus, & legimus, quanto am„ pliori lætitia de veſtris, & veſtrorum proſperis ſucceſſi„ bus ſincere ſemper exultamus, & hos omni deſiderio ju-

„ giter percipere delectamur. Sperantes quod hujusmodi vin-
„ dictæ veſtra claritas aliis, ne conſimilia velint præſume-
„ re, tranſeat in exemplum.

„ Data Lipthæ die XXVI. menſis Junii.

Joannæ Reginæ Jeruſalem & Siciliæ.

„ Magnifice & eminens vir amiceque cariſſime: Conceſ-
„ ſam vobis ex alto victoriam de veſtris rebellibus tam præ-
„ cipue Civitatis Candidæ, quam aliarum civitatum & ter-
„ rarum totius Inſulæ, ſicut veſtrarum litterarum ſeries ex-
„ plicabat, libenter audivimus, & vobiscum exinde amica-
„ bili participatione gaudemus ſperantes in illo, qui præ-
„ ſtitit vobis votivos ſucceſſus de ſuperis, quod dabit dein-
„ ceps ſuperatis veſtra potentia melius ſapere per experien-
„ tiam vexationis in terris. Nos enim amicitiæ veſtræ of-
„ ferimus, quidquid in veſtram & veſtrorum complacen-
„ tiam valeremus.

„ Datæ Neapoli ſub annulo noſtro ſecreto die IV. Ju-
„ lii Indictionis II.

Roberti Imperatoris Conſtantinopolitani Achajæ & Tarenti Principis.

„ Eminens vir amice cariſſime. Participantes & antiquæ
„ amicitiæ vinculo inter domum noſtram Regiam ac vos &
„ commune Venetiarum adaucto felicia in ſucceſſibus ve-
„ ſtris proſperis proſperamur. Exultamus ſiquidem ex inti-
„ mis in virtute Divinæ dextræ, & in veſtri potentia bra-
„ chii, quæ victoriam votivam de rebellibus veſtris Creta
„ ad deditionem civitatis ipſius ad veſtrum Dominium cau-
„ ſaverunt, eo quidem & maxime quo pax & quies veſtra
„ omnibus quaſi locis & terris totius Inſulæ tranquillitatem
„ miniſtrat, & parat, quam futuris temporibus euntibus
„ nobis & vobis Divina Clementia perpetuo conſervare di-
„ gnetur.

„ Data Neapoli ſub annulo noſtro ſecreto die V. Julii
„ Indict. II.

Urba-

Digitized by Google

Urbanus autem Summus Pontifex, cui intuitu ſacri belli promovendi gratior præ cæteris evaſerat Venetorum victoria, ipſis *de recuperatione Inſulæ Cretenſis, cujus rebellionem inimicus pacis, & impeditor ſacri paſſagii ſuſcitaverat*, ampliſſimo diplomate gratulatus eſt, *paternis* hortans *affectibus*, ut cum *a Divina Clementia tantam victoriam proceſſiſſe* cognoſcerent, *in ſubſidium dicti paſſagii ſubventionem magnificam pro illo, qui magnificaverat miſericordiam ſuam in eis*, diſponere, & augere non differant. Integrum ad pleniorem rei notitiam afferimus Urbani Pontificis diploma.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio Nobili Viro Laurentio Celſi Duci Venetiarum Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ Nobilitatis tuæ litteras continentes novum proſperum
„ & univerſitati Chriſtianitatis acceptum de veſtra recupe-
„ ratione videlicet Inſulæ Cretenſis, cujus rebellionem ini-
„ micus pacis & impeditor ſancti paſſagii ſuſcitarat, nuper
„ recepimus, & perlegimus cum immenſa lætitia cordis no-
„ ſtri, Deoque grates referimus, a quo tantum donum no-
„ ſcitur proveniſſe, quique non ſolum impedimentum præ-
„ facti paſſagii miſericorditer ſuſtulit, ſed illi ex hoc de
„ gente tua, videlicet, ut audivimus, numeroſa exiſtente
„ in dicta Inſula validum præfuit ſua providentia funda-
„ mentum. Ex eoque noſtrum gaudium cumulatur, quod
„ prout nobis ſignificare curaſti, tu tuusque populus tantam
„ victoriam non a veſtris meritis, potentia, vel virtute,
„ ſed ſolum a Divina Clementia recognoſcatis proceſſiſſe,
„ proindeque vos gratitudinis filios, & humilitatis alumpnos
„ in conſpectu tantæ gratiæ largitoris acceptos, ac digniores hujusmodi munere reputamus. Eosdem itaque Nobilitatem & populum paternis exhortamur affectibus, ut
„ hujusmodi recognitionem humilem ſemper in veſtris cor-
„ dibus, & actibus conſervantes in ſubſidium dicti paſſagii

„ veſtram ſubventionem magnificam pro illo, qui vobiſcum
„ magnificavit ſuam miſericordiam augmentantes, gentem
„ eamdem in dictum paſſagium, prout poteritis convertatis.
„ Datum Avinioni quinto Kal. Julii Pontificatus no-
„ ſtri anno ſecundo.

Nec tamen Pontificiis votis obſequi potuit Senatus ob indomitam Cretenſium perfidiam, qui novas paulo poſt rebelliones in Inſula excitarunt. Pacatus quidem poſt necatos proſcriptosque perduellium Duces videbatur totius Regni ſtatus, quapropter in Italiam reverſa Claſſis univerſas ferme terreſtres copias ſecum reduxit, ac deinde Leonardus Dandulus abſoluto acerbi ſui regiminis ſpatio e Creta ſolvit anno 1364. & in patriam reverſus plurimisque deinde functus muneribus Procuratoria dignitate donatus fuit anno 1382. die 16. Martii, quam poſtea ſponte dimiſit anno 1398. die I. Novembris. Ejus vices ſuſcepit in Cretæ adminiſtratione
77 eo ipſo anno 1364. Petrus Mauroceno, qui de recepta in obedientiam univerſa Inſula gratias Deo quotannis die X. Maii agendas eſſe ſolemni utriusque Cleri Græci ſcilicet & Latini ſupplicatione inſtituta decrevit, annuosque indixit ad populi ſolatium publicos ludos, ut feſtiva diei celebritas perpetuo firmata perenne fieret inſignis victoriæ monumentum.

1365. *Die* 28. *Aprilis Indictione III.*

„ Cum Summus Creator Dominus Noſter Jeſus Chriſtus
„ a quo cuncta bona procedunt providerit liberare meritis,
„ & ſuffragiis Beatiſſimi Marci Apoſtoli, & Evangeliſtæ Pro-
„ tectoris Dominii, & Communis Venetiarum hanc civita-
„ tem, & Inſulam Cretæ cum ſuis fidelibus a peſte & ju-
„ go, quibus ſubjacebant tempore quo ipſa Civitas, & In-
„ ſula erant in rebellione Ducalis Dominii Venetiarum vi-
„ delicet die X. Menſis Maii de anno MCCCLXIIII. In-
„ dictione V. qua die recuperata fuit per potentes exerci-
„ tus ipſius Dominii Venetiarum videlicet maritimum, &
„ terreſtrem: Magnificus Dominus Dom. Petrus Mauroceno
honor.

„ honor. Duca Cretæ & Egregii Domini Nicolaus Civra-
„ no & Ludovicus Demolino honor. Conſiliarii Cretæ vo-
„ lentes gratias agere ipſi Summo Deo Beatæ Mariæ Vir-
„ gini & Beato Marco Apoſtolo, & Evangeliſtæ Protecto-
„ ri ſtatus & honoris Dominii, & Communis Venetiarum,
„ nec non cæteris Sanctis, & Curiæ Cœleſti ordinaverunt
„ ad futurorum memoriam, quod anno quolibet de menſe
„ Maii in X. die fieri debeat una ſolemniſſima proceſſio eo
„ modo quo fit proceſſio in die Beati Viti, in qua eſſe de-
„ beat totus Clerus Candidæ & Papates Græci, referentes
„ gratias altiſſimo Creatori de beneficio ſupradicto, quam
„ ſolemni & devote fieri poterit. Et quod ad gaudium &
„ lætitiam fidelium ipſius dominationis, & Communis Ve-
„ netiarum ipſa die poſt prandium ordinetur quoddam pa-
„ lium ad quod curratur cum equis ſicut moris eſt in ſi-
„ milibus fieri quod palium ſit brachiorum duodecim Scar-
„ lati, vel petia una veluti, vel aliud ſicut videbitur illis,
„ qui præerunt Regimini Cretæ quolibet anno, & detur per
„ Dominum illi qui cum equo ordinate currendo ſe primum
„ præſentaverit ad locum, ubi erit D. Duca cum Conſilio &
„ palio ſupraſcripto ſecundum uſum, & conſuetudinem, quæ
„ obſervatur in talibus, intelligendo quod illi qui voluerint
„ currere cum equis ad prædictum palium debeant ſtare,
„ & eſſe in loco deputato per dominum & movere ſe, &
„ currere ſicut conſuetum eſt fieri, & ſicut ordinabitur per
„ Dominum, & omnes illi, qui voluerint facere cur-
„ rere equos ad prædictum palium debeant comparere in
„ camera communis & ibi facere ſe notari, ita tamen, quod
„ habeant terminum hoc faciendi per totam diem, quæ
„ eſt ante diem decimam cujuslibet menſis Maii qua cur-
„ rere debebunt, & ut omnes ſint proviſi ſupradicta, quo
„ libet anno exclametur prima die menſis cujuslibet Aprilis.
„ Ordinatum eſt etiam per ſupraſcriptos D. Ducam &
„ ejus Conſilium quod die ſupraſcripta decima cujuslibet
„ menſis Maii ſucc. ſit ſolemnis, & ſolemniſſima debeat ce-

lebra-

„ lebrari per quascumque perſonas ſub pena ordinata de aliis „ feſtivitatibus ſolemnibus & ſic committatur omnibus Ju- „ dicibus & Officialibus Cretæ quod debeant obſervare exi- „ gentes penas a contrafacientibus habentes tertium accu- „ ſatori & reliquum Communi &c.

Nec tamen licet pacata ubique omnia viderentur, grave Mauroceno Duchæ negotium deſuit, Joannes enim, & Alexius, & Georgius frater Calergii, a majorum ſuorum fide virtuteque degeneres, ut inſito in Venetos odio & dominandi cupiditati indulgerent, ſtatim ac Inſulam ejusque civitates viderunt tenui admodum præſidio cuſtoditas, eam ſibi opportunitatem arripuerunt, ut concepta pravi animi conſilia opere perficerent. Eapropter ingenti ſtatim coacto flagitioſorum agmine (cui ſe ſe libenter aſſociarunt Titus & Theodorellus ex Veneria gente fratres, plurimique alii a Venetis Proviſoribus pridem proſcripti,) Reipublicæ bellum intulerunt, erectoque Conſtantinopolitani Imperatoris vexillo ſe pro Græcæ nationis gloria libertateque arma ſumpſiſſe oſtentabant.

Ad coercendos rebellium conatus copias ſine cunctatione ex proximis regionibus contraxit Petrus Maurocenus Ducha, in cujus ſubſidium Venetiis miſſi Legati Jacobus Bragadenus, Paulus Lauredanus, Petrus Mocenicus, Laurentius Dandulus, & Andreas Zenus ad Inſulam acceſſerunt. Vario itaque Marte diu pugnatum eſt, rebelles enim quamvis frequenti clade perculſi, imperterriti tamen, e montium latebris in quibus deliteſcebant, ſæpius erumpentes iteratis excurſionibus Venetos fatigabant, quibus in præliis Andreas Zenus dum ſuos intrepide ad pugnam urget, ab hoſtibus circumventus occiditur. Annonæ interea anguſtiis univerſa Inſula laborante, Laſithi incolæ fame deficientes ad Venetorum jura redierunt, quorum exempla æmulantes alii, occupata loca non ſolum reſtituerunt, ſed & Titum & Theodorellum Venerios, tresque e ſtirpe Calergia fratres, aliosque defectionis authores in Duchæ & Legatorum manus tradiderunt,

quo-

quorum judicio reatus ſui pœnam capite luerunt. Hoc itaque pacto omnes ii, *per quos rebellionis ſcandalum venit*, violenta morte perierunt, uno excepto Tito Gradonico, qui omnibus execrabilis reliquo vitæ ſuæ tempore per Thraciam & Inſulas Ægeopelagi vagus & profugus, ut traditur, erravit.

Dum hæc a Legatis Cretæ aguntur, delatum fuit falſo rumore ad Urbani Papæ aures, Cretenſes rebelles tam Latinos, quam Græcos ſe ſe honeſtis conditionibus offerre ad priſtinam obedientiam ſuſcipiendam; quos tamen Veneti ſtatuta lege ad veniam & pacem recipere recuſarent. Rempublicam igitur ampliſſimis prudentiæ laudibus commendatam Pontifex miſſo diplomate die XI. Decembris anno 1366. ad lenitatem cohortatus eſt; nimirum ut Cretenſes *ad gratiam reconciliationis audire* vellent, *& clementer exaudire*. Si quod autem in ſtatuenda lege præſtitum eſſet juramentum, illud per Andruynum Cardinalem Legatum authoritate Apoſtolica ſe relaxare. Duas Urbani Pontificis litteras eadem die ad Marcum Cornelium Ducem Venetiarum, & ad Andruynum Cardinalem S. Romanæ Sedis Legatum evulgamus.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Marco Cornario Duci & Communi Venetiarum Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ Etſi de quorumlibet Chriſtifidelium diſſidiis doleamus,
„ de illis nempe dolemus acerbius & cor noſtrum acrius ul-
„ ceratur ex quibus fideles illi, qui contra hoſtes catholi-
„ cæ fidei ſunt velut murus ad defenſionem Chriſtianitatis
„ expoſiti debilitantur in viribus, & dum rixantur ad in-
„ vicem minus ad defenſionem hujusmodi ſunt inventi. Do-
„ luimus ſiquidem dilecti filii de rebellione Cretenſium qui
„ dudum contra vos inobedientiæ calcaneum erexerunt, ex
„ eaque ſenſimus vos gravari ſollicitudinibus, & gravium
„ expenſarum oneribus, ex hisque ultramarinis negotiis fi-

dem

„ dem eandem tangentibus obvenire maximum detrimentum. „ Et ſi hæc mala quæ inexcogitatis viis poſſent afferre pejo„ ra per humilitatis, & obedientiæ rebellium tolli poſſent „ antidotum, & per hoc veſtris conſulatur honori & com„ modis valde placitum noſtris affectibus redderetur. Ea„ propter cum ad audientiam noſtram relatione pervenerit „ fidedigna, quod iidem Cretenſes tam Latini, quam Græci „ offerunt ad mandata & obedientiam veſtram cum conditio„ nibus & pactis rationabilibus vobisque honorabilibus atque „ proficuis, & digne admittendis humiliter redituros. Sed „ vos occaſione cujusdam veſtræ immutabilis, ut dicitur, delibe„ rationis, quam partem vocatis, & contra quam nullus ve„ ſtrum audet proponere, vel præbere conſenſum, omnem pa„ ctionem & per conſequens viam amplectendæ pacis in hu„ jusmodi negotio reſpuatis. Nos a rigore hujusmodi merito „ abhorrentes, eumque in lenitatem deſiderantes converti, „ prudentiam veſtram, quæ inter omnes Chriſtianos popu„ los ſolet eſſe præcipua humanitate tractabilis, & ad pa„ cem prona paterne requirimus, & rogamus, & hortamur „ attente quatenus mature conſiderantes, quod Deus ali„ quas, ſicut audivimus, contra rebelles ipſos victorias eſt „ largitus, & quod turbari poſſet ſi humilitatem ſupplicum „ ſperneretis. Deliberationem ſeu partem hujusmodi peni„ tus amoventes de receptione Cretenſium prædictorum ad „ gratiam reconciliationis velitis proponentes benigne audi„ re, ac clementer etiam exaudire. Super quo dilecto fi„ lio noſtro Andruyno tituli S. Marcelli Presbytero Cardinali „ Apoſtolicæ Sedis Legato noſtris damus litteris in mandatis, „ ut per nuntios ſuos fideles & providos apud vos hujusmodi „ negotium ſollicite proſequatur, ac ſi ita ſit, omne jura„ mentum, ſi quod ſuper dicta veſtra deliberatione ſeu parte „ ſervanda forſitan præſtitiſtis, tamquam bonum pacis præſti„ tum, cum vinculum iniquitatis eſſe non debeat, authorita„ te noſtra ſtudeat relaxare.

„ Datum Avinioni Tertio Idus Dec. Pontificatus noſtri „ anno quinto. *Urba-*

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio Andruyno tituli Sancti Marcelli Presbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ Libenter audivimus quod tua circumſpectio apud dile-
„ ctos filios Nobilem virum Ducem & Commune Venetiarum
„ per ſuos nuncios inſtitit, ut inter ipſos & Cretenſes eorum
„ rebelles concordia tractaretur, licet ex ſollicitudine tua ſpe-
„ ratus effectus non fuerit ſubſecutus. Ideoque nos ſuper hoc
„ dictis Duci & Communi ſcribimus per litteras, quas & eo-
„ rum formam mittimus præſentibus introcluſas, quasque
„ litteras ei præſentari facias, & hujusmodi pium negotium
„ ſollicite proſequaris.

„ Datum Avinioni tertio Idus Decembris Pontificatus noſtri anno quinto.

Ad Apoſtolicas ſibi miſſas litteras reſpondit Senatus, ſe nihil pacis dulcedine antiquius habuiſſe, neque unquam illius aditum ſeveritatis impedimento vel levi præcluſiſſe; hocque ex omnibus in recenti rebellione actis manifeſtum eſſe, *ab ipſo enim defectionis primordio* Cretenſis coloniæ viros *ad gremium publicæ gratiæ* per Legatos ea ipſa de cauſa miſſos fuiſſe invitatos, & præterea poſt recuperata Inſulæ loca, eos qui reſipuerant, & ad antiquæ fidei obedientiam redierant, ad gratiam & veniam ſine cunctatione admiſſos fuiſſe. *Poſt victoriam autem Divino munere præſtitam* cum Latini aliqui multique Græci in montes ſe recepiſſent, plerosque ad priſtinam obedientiam veniſſe, adeo ut ex Latinis vix duo ſupereſſent contumaci Græcorum perfidiæ adhuc adhærentes. Hæc Senatus in ſua epiſtola, ex qua colligimus, quanto odio flagitioſi rebelles non Venetum nomen tantummodo, ſed & Orthodoxam fidem infectarentur.

„ Benigniſſimas Sanctitatis veſtræ litteras, ego meaque
„ communitas ejusdem Sanctitatis devotiſſimi filii cum om-
„ ni reverentia & humilitate ſuſcepimus continentes ad A-
„ poſtolicam audientiam fore deductum quod Cretenſes tam

„ Latini quam Græci rebelles noſtri offerunt ad obedientiam
„ & mandata noſtra ſe humiliter redituros, ſed occaſione
„ cujusdam immutabilis deliberationis, quam Partem voca-
„ mus, viam pacis renuimus. Unde Beatitudo veſtra pro
„ evitandis expenſarum oneribus ex ipſa rebellione prove-
„ nientibus extitit clementiſſime nos hortata ut ipſa deli-
„ beratione ſeu parte amota de receptione eorum ad gra-
„ tiam reconciliationis velimus proponentes audire, & per
„ conſequens exaudire, commiſſa hujusmodi proſecutione ne-
„ gotii Reverendiſſimo Patri Domino Andruyno tituli San-
„ cti Marcelli Presbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Lega-
„ to. Super quibus cum omnimoda reverentia reſpondemus,
„ quod litteras Apoſtolicas ſupradictas manifeſte emanare
„ cognoſcimus ab illo ſingulari & paterno charitatis fonte
„ a quo reportamus continue gratias & favores. Dum ſic
„ ſollicite ſicque benigne veſtra Sanctitas nos ad bonum pa-
„ cis hortatur. Ut autem facti ſeries, quæ aliter ſe habet,
„ quam informatio data contineat, Sanctitati veſtræ plenius
„ innoteſcat, cum omni reverentia intimamus, quod pacis
„ dulcedinem ne dum in nobis, ſed in exteris ſemper ama-
„ vimus & amare intendimus concedente Domino in futu-
„ rum. Et abſit pater piiſſime, quod viam illius ſub ali-
„ quo velimus rigore præcludere immo ad eam cum noſtri
„ honoris & ſtatus conſervatione ſumus tractabiles atque
„ proni, ſicut in cunctis actibus noſtris, præſertim in iſto
„ evidenter apparuit, nam ab ipſo rebellionis primordio ip-
„ ſos per ſolemniſſimos Ambaxiatores noſtros ad gremium
„ noſtræ gratiæ invitavimus, ſed redire pœnitus neglexe-
„ runt. Et quamvis ex hoc mentem noſtram acerbius pro-
„ vocaſſent, cum poſt victoriam nobis contra ipſos Divino mu-
„ nere præſtitam, recuperatisque cunctis civitatibus & for-
„ tilitiis Inſulæ quoscumque redeuntes miſericorditer ad gra-
„ tiam duximus admittendos. Aliqui tamen Latini ſed pau-
„ ci cum Græcorum multitudine ſe reduxerunt ad montes,
„ quorum etiam Latinorum & Græcorum non parva pars

ad

„ ad noſtram poſtea obedientiam redierunt, adeo quod de „ Latinis cum reliquis Græcis non ſuperſunt niſi duo, qui „ nihil vel modicum in iſtis factis præſentialiter poſſunt, „ unde tota perfidia in ipſis Græcis remanſit, non tamen „ ex rebellione primo commiſſa ſed quia abbominabili ſchis„ mate, & errore multiplici involuti, Deo & mundo exo„ ſi Sanctam Matrem Eccleſiam fidemque Catholicam non „ honorant, aſtruentes ſe ſalvari ſi in procurando Chriſtia„ norum exterminium patiuntur vulnera atque mortes, at„ que eo iniquo animo optant ex ſuo ſchismate procede„ re, ſi poſſent, quod abſit, nedum contra nos, ſed omnes „ Catholicos, quo Chriſtiani moventur, quando cum præ„ dicatione Crucis diſponerent procedere contra Turchas vel „ alios infideles. Non expedit itaque Clementiſſime Pater, „ ut Sanctitas veſtra ſeu Reverend. Pater Dominus Lega„ tus prædictus, cui profecto multipliciter tenemur ex prom„ ptis affectibus erga nos ſemper adhibitis ſuper hujusmo„ di negotio elaboret rationibus ſupraſcriptis, quinimmo om„ nis tractatus ſeu interpoſitio, quæ in iſtis partibus fieret, „ eſſet multipliciter præjudicativa & damnoſa ac converte„ retur expreſſe contra ſanctam intentionem Veſtræ Sancti„ tatis & noſtri, ex quibus manifeſte concluditur quod con„ tra bonum pacis nullum apud nos extat vinculum pro„ pter quod redire non poſſint ad gratiam ſicut multi alii „ redierunt. Et quamvis ſperemus ipſos in brevi ſubjugare „ Domino favente, tamen noſtros ſolemnes Proviſores in „ ipſis partibus cum ſufficienti libertate habemus, qui ip„ ſos audire valebunt, ſi cum honore noſtro voluerint ad „ mandata noſtra redire. De tanta inſuper benignitate ad „ gratiarum actiones Sanctitati Veſtræ referendas non ſuffi„ cimus, clariſſime cognoſcentes nos, & ſtatum noſtrum ve„ lut peculiares filios eſſe in ſinu veſtræ gratiæ commen„ datos.

Veritas oblatæ rebellibus veniæ colligitur etiam ex diplomate Laurentii Celſi Ducis Venetiarum lato die V. Se-

ptembris anno 1364. ut innuit appoſita Indictio tertia, quæ incœperat a Kalendis ejusdem anni.

„ Laurentius Celſi Dei Gratia Dux Venetiarum &c. cum „ noſtris Conſiliis opportunis ad hoc ſpecialiter deputatis „ notum facimus univerſis & ſingulis habitatoribus Inſulæ „ noſtræ Cretæ, quod quandocumque per proviſores noſtros, „ qui ſunt in dictis partibus fuerit publicatum & cridatum „ quod omnes alii præter juſtificatos & ſententiatos debeant „ redire, & habitare in Inſula ſalvi & ſecuri nos cum di„ ctis noſtris Conſiliis habebimus pro firmo & rato; & præ„ dictos omnes recipiemus ad gratiam noſtram perſeveran„ tibus illis in noſtra fidelitate.

„ Datæ in noſtro Ducali Palatio die V. Septemb. Ter„ tiæ Indictionis.

Rebus itaque omni ex parte compoſitis, ſublatisque publico ſupplicio reliquis defectionis authoribus, novi Proviſores a Veneto Senatu in Cretam miſſi ſunt, Joannes Dandulus, Paulus Lauredanus, Petrus Mocenicus, Joannes Fuſcarenus, Taddæus Juſtinianus, qui Anapolim oppidum munitiſſimum flagitioſis ſemper apprime opportunum ſolo proſterni, & agrum Laſſiti, incolis inde deductis, everſisque domibus, incultum relinqui voluerunt. His optimo conſilio ſtatutis, & a Veneto Senatu approbatis, Cretenſis Inſula ita ad abſolutam tranquillitatem deducta fuit, ut nullus deinceps apertæ rebellionis motus exortus fuerit, ſed incontaminata fide Græci poſtea in eo, quod juraverant, obſequio religioſe permanſerint. Decretum quo Veneti Proviſores Legati poſt devictos, profligatosque Coloniæ rebelles inhibuerunt, ne quis in Laſſiti habitare, ſeminare, ſeu animalia paſcere poſſet, publice promulgatum fuit per univerſa Inſulæ loca, ut teſtantur Cancellariæ Cretenſis regeſta, in quibus hæc habentur:

Cla-

Clamatum fuit publice mandato Dominorum Proviſorum Cretæ per Georgium de Piovazio Gaſtaldionem bannum infraſcripti tenoris.

„ Providi viri de Ducali mandato Proviſores totius Inſu-
„ læ Cretæ intendentes ad conſervationem, & commodum
„ Inſulæ prælibatæ audito quod habitatio & agricultura cu-
„ jusdam contratæ vocatæ Laſiti in omnem caſum rebellio-
„ nis, quod Deus avertat, eſt periculoſa & damnoſa fideli-
„ bus Dominii propter ſuam ſertilitatem & ſorticilium na-
„ turale, ad hoc ut cauſa & materia ceſſet tanti periculi
„ & detrimenti, locus ipſe in deſertum & ſolitudinem de-
„ ducatur, ordinarunt, quod de Kalendis Januarii proxi-
„ me venturi in eo loco non audeat aliqua perſona aliquo
„ modo habitare, laborare, vel ſeminare intus planum
„ Laſiti, nec in cacumine montis, quod reſpicit dictum
„ planum infra vel ultra in partibus interioribus, unde
„ aque labuntur in dictum planum ſub pena perdendi unum
„ pedem pro quolibet contraſaciente, & qui contraſacien-
„ tem denunciaverit Dominio ita ut veritas habeatur, ha-
„ beat quinquaginta yperperos a Communi, & teneatur de
„ credentia, & contra eccedentes mandatum ſecundum for-
„ mam Banni per Dominium provideatur.

„ Item quod aliqua perſona non audeat paſculari facere
„ equum vel equos vel alia animalia in dicto plano Laſiti
„ ſub pena perdendi omnia animalia reperta paſculari in
„ partibus antedictis, & qui denuntiaverint, ita ut veritas
„ haberi poſſit, habeat medietatem dictorum animalium,
„ & alia medietas veniat in Commune, & accuſator tene-
„ bitur de Credentia.

Anno 1366. Petrus Mocenico is, qui Legati ſeu Provi- 78
ſoris munus laudatiſſime obierat, a Veneto Senatu Creten-ſium Ducha inſtituitur. Eo Inſulam adminiſtrante rebellium Pheuda Venetiis voce præconis haſtæ ſubjecta fuerunt, anno 1367. cujus auctionis opus usque ad annum 1371. perduraſ-

duraſſe Cancellariæ Ducalis Cretenſis acta teſtantur. Nomina autem eorum, qui emptis rebellium bonis in Cretam tranſierunt, hæc ſunt:

Ex Ordine Nobilium: Nicolaus Delphino, Franciſcus Duodo, Dominicus Delphino, Joannes Piſani, Andreas ſeu Andriolus Piſani, Laurentius Maſtropetro, Nicolaus Zane, Nicolaus Piſani, Nicolaus Quintavalle, Philippus Piſani, Marcus Quirino, Jacobus Piſani, Andreas Baffo, Marcus Juſtiniano, Jacobus Manoleſſo, Franciſcus Bono, Jacobus Grimani, Joannes Zeno.

Ex Civium Ordine Bartholomæus de Carta, Nicolaus de Lago, Joannes de Lago, Joannes ſeu Zanninus de Fraganeſco, Paulus Bonſignor, Andreas ſeu Andriolus de Margarito, Benedictus Zane, Auguſtino Gezzo.

Ex Popularibus Joannes Mauro, Joannes de Lago.

Ex iis Joannes ſeu Zanninus de Fraganeſco cum aliquid ſibi de aquiſitis oneroſo titulo redditibus deeſſe cognoviſſet anno 1372. ab æquitate Senatus, ut in ſuis juribus ſarciretur obtinuit; ut ex ſequenti documento patet.

MCCCLXXII. Menſe Martii die XXII. Indict. X.

„ Coram Magnificis Dominis Victore Piſani honor. Ca
„ pitaneo Crete & Baldo Quirino atque Nicolao Delphino
„ Conſiliariis comparuit Zaninus de Fraganeſco, & produ-
„ xit & legi fecit quamdam litteram Ducalem hujus tenoris:
„ Andreas Contareno Dei Gratia Dux Venetiarum &c.
„ Nobilibus & ſapientibus viris Dominico Michaeli de ſuo
„ mandato Capitaneo Candide loco Duche Crete, qui non
„ poteſt ſedere ad iſtud factum propter parentellam, ac con-
„ ſiliariis ſuis fidelibus dilectis ſalutem, & dilectionis affe-
„ ctum. Significamus vobis quod in noſtris Conſiliis mino-
„ ri, Rogatorum, XL. & additionis capta fuit pars tenoris
„ infraſcripti videlicet: Cum providus vir Zaninus de Fra-
„ ganeſco Venetus & civis noſter acceperit ad incantum in

Vene-

„ Venetiis cavallariam unam minus ſexto ſerventarie ſ. Leo-
„ nardi & ſ. Petri Gradonico rebellium, & cum iſta inten-
„ tione iverit ad partes Crete credens debere poni in poſ-
„ ſeſſione dicte Cavallarie minus ſexto ſerventarie cum ſuis
„ habentiis pertinentiis & villanis, & ſicut ſcribit regimen
„ Crete, ſcilicet Nob. vir ſ. Dominicus Michael Capitaneus
„ Candide loco Duche qui non poteſt ſedere propter pa-
„ rentellam, & conſiliarii Crete in tempore quo ſuborta fuit
„ rebellio in civitate Candide Leonardus & Petrus Grado-
„ nico predicti tenebant in feudo de Aſtrachi ſolum ſerven-
„ tarias quinque minus ſexto, in quibus poſitus fuit ipſe
„ Joannes de Fraganeſco in poſſeſſione cum ſuis habentiis
„ pertinentiis & villanis per illum modum, & ſicut antea
„ tenebantur, & poſſidebantur per dictos fratres. Reliqua
„ vero ſerventaria una de Aſtrachi dari non potuit eidem
„ Joanni, quia ipſa ſerventaria alienata erat antea, & ſcri-
„ pta in cataſtico curie Cretenſis Marco Cornario qu. Ja-
„ cobi Marzaroni, ita quod ubi ipſe Zaninus habere de-
„ bebat ſex ſerventarias minus ſexto, non habuit niſi quin-
„ que minus ſexto; & dignum, & juſtum ſit ſubveniri di-
„ cto Zanino conſiderato clare jure ſuo. Vadit pars quod
„ ſcribatur regimini Crete, quod videtur nobis, quod ipſe
„ Zaninus petat juſtum, & propterea volumus, quod pro-
„ videant de reſtaurando ipſum Zaninum vel in deſalcan-
„ do ſibi de penſione vel pretio ſuo pro rata in ea quan-
„ titate que ſibi juſta & conveniens occaſione dicte ſerven-
„ tarie, quam non habuit, ut debebat, vel in dando ſibi
„ de locis, que reſtant in commune, tantum quod ipſe Joan-
„ nes remaneat in jure ſuo, ut juſtum eſt, faciendo in hoc,
„ ſicut eis vel majori parti juſtum videbitur & conveniens;
„ tam pro communi, quam pro Joanne predicto, & ſi con-
„ ſilium eſt contra &c. Quare mandavimus vobis cum no-
„ ſtris conſiliis predictis quatenus dictam partem debeatis
„ obſervare, & facere obſervari. Datum in noſtro Ducali
„ Palatio die XX. Aprilis None Indictionis. Deinde dictus

Zani-

„ Zaninus proponebat dicens quod ſecundum mandatum Du-
„ cale preſcriptum ipſe habere debebat reſtaurum de ſerven-
„ taria predicta, & ideo petebat ſe reſtaurari, vel in defal-
„ cando ſibi pro rata de pretio quod dare debebat, vel in
„ dando ſibi de locis reſtantibus in communi tantum, quod
„ ipſe remaneat in ſuo jure ſecundum formam mandati ſu-
„ praſcripti. Unde facta diligenti informatione ſuperinde,
„ & conſiderato valore dictarum ſerventariarum, que date &
„ deliberate fuerunt dicto Zanino pro libris groſſorum tre-
„ centis viginti & habito reſpectu, quod ad preſens non
„ reſtabat in communi aliquis locus, qui poſſet commode
„ ſibi dari pro dicto reſtauro, maxime quod illa pauca lo-
„ ca, que reſtabant, erant obligata ſervitio varnitionis, &
„ pro ipſis oſtendi debebant equi & familie, que quidem
„ varnitio deficeret, ſi aliquis dictorum locorum daretur
„ pro dicto reſtauro, & tamen varnitio dicti Zanini non
„ eſſet propterea augumentata; dictum eſt per ſupraſcriptos
„ Dominos concorditer & ſententialiter, quod pro reſtauro
„ dicte ſerventarie diffalcentur dicto Zanino de ſumma pe-
„ cunie que dare debet communi libre LV. groſſorum hoc
„ modo videlicet quod de pagis annorum quatuor comple-
„ torum in Kalendis menſis Novembris nuper preteriti de-
„ ducantur libre XXII. groſſorum, & de reliquis libris XXXIII.
„ deducantur anno quolibet amodo in antea libre V. cum
„ dimidio groſſorum, ita quod ſicut ipſe dare tenebatur com-
„ muni anno quolibet libras XXXII. groſſorum, ſic dare de-
„ beat omni anno libras XXVI. cum dimidio usque ad com-
„ plementum annorum ſex reſtantium de numero decennii
„ contenti in conceſſione ſibi facta de ſerventariis predictis.

Conſtitutis itaque ad poſſidenda rebellium predia novis Pheudatis, quibus obedientiæ & fidelitatis ſacramentum injunctum fuit, juſſit deinde Senatus, ut antiqua Cretenſis Inſulæ conceſſio a Petro Ziano Duce Civibus Venetis olim facta penitus reſcinderetur, novaque talis fieret, qua ipſi jurare tenerentur fidelitatem & obedientiam Duci & Communi

ni Venetiarum. Eapropter ex P. C. lege mandavit Andreas Contareno Dux datis epiſtolis die IX. Martii anno MCCCLXVI. Petro Mocenico Duchæ & Joanni Geno Militari Præfecto (Capitaneum Veneti vocant) ut a Pheudatis ipſis hujusmodi juramentum exigerent. Hæ ſunt Ducales Contareni litteræ.

„ Andreas Contareno Dei Gratia Dux Venetiarum &c. „ Nobilibus & ſapientibus viris Petro Mocenico de ſuo man„ dato Duchæ Cretæ & conſiliariis ſuis, nec non Joanni Ge„ no Capitaneo ibidem fidelibus dilectis ſalutem, & dilectio„ nis affectum. Cum propter rebellionem Cretæ conceſſio „ alias facta Pheudatis ſit totaliter expirata, nec ſit tenenda „ viva modo aliquo vel forma, ordinamus cum noſtris Con„ ſiliis Minori Rogatorum XL. & additionis, ut ipſa con„ ceſſio amplius per aliquos allegetur & cancelletur, & pro „ omnibus & ſingulis pheudatis Inſulæ Cretæ noſtræ fiat con„ ceſſio talis, ſicut nuper factum fuit noſtris civibus & Ve„ netis, qui cum Cavallariis, & ſerventariis venerunt ad „ illas partes, videlicet, quod ipſi pheudati jurent in mani„ bus veſtris recipientibus nomine noſtro eſſe fideles Domino „ Duci & Communi Venetiarum, & teneantur obedire om„ nibus & ſingulis mandatis Duchæ & Conſiliariorum Cretæ „ & Capitaneorum noſtrorum, & omnium aliorum, qui pro „ commune Venetiarum in illis partibus iverint deputati, „ ſecundum quod tanget cuilibet prædictorum per formam „ ſuarum commiſſionum. Declaramus tamen, quod primi „ Pheudati Inſulæ Cretæ poſſint eorum Cavallarias vel ſer„ ventarias vendere & alienare ſicut primo poterant. Qua„ re mandamus vobis cum dictis noſtris conſiliis quatenus, „ ut dictum eſt, ſervare, & ſervare facere debeatis, facien„ tes regiſtrare in Cancellaria veſtri Regiminis ad memo„ riam futurorum.

„ Dat. in noſtro Ducali Palatio die VIIII. Martii In„ dict. Sexta Anno MCCCLXVI.

Anno 1368. Joannes Gradonicus. 79

Anno 1370. Petrus Cornelius. Hic legem anno 1371. 80

in Comitiis Rogatorum latam, & in Regno Cretæ promulgandam accepit, qua cavebatur ne ullus Græcus in poſſeſſionem feudi, aut prædii Latinis viris pridem conceſſi quocumque titulo admitteretur. Decretum Petro Cornelio Duchæ epiſtolæ, quam exhibemus, inſertum miſit Andreas Contarenus Dux Venetiarum die XVII. Apr. anno MCCCLXXI.

„ Andreas Contareno Dei Gratia Dux Venetiarum &c.
„ Nobilibus & Sapientibus Viris Petro Cornario de ſuo mandato Duchæ Cretæ, & Conſiliariis ac Dominico Michaeli Capitanio ibidem nec non ſucceſſoribus eorum fidelibus „ dilectis ſalutem & dilectionis affectum. Significamus vobis „ quod in noſtris Conſiliis minori Rogatorum & quadraginta & Zontæ 1371. die XI. Martii Indictione Nona, Capta fuit pars infraſcripti tenoris videlicet: Cum per præ„ deceſſores noſtros fuerit ſemper cognitum bonum, & utile eſſe tam pro honore noſtro, quam pro bono & con„ ſervatione Inſulæ noſtræ Cretæ quod aliqui ex locis noſtris dictæ Inſulæ devenire non poſſint in aliquem Græcum, & quod Græcus aliquis non poſſit poſſidere aliquem „ ex locis prædictis, & ut notum eſt multi Græci per tem„ pora præterita habuerint & uſufructuaverint multos ex „ dictis locis, quod eſt male factum multiplici ratione. Vadit pars ad evitandum omne dubium, quod evenire poſ„ ſet, quod aliquis Latinus, qui habuiſſet, ſeu de cætero „ habiturus eſſet a noſtro Communi aliquem ex locis prædictis non audeat, nec præſumat vendere, donare, pigno„ rare, alienare, tranſactare, cambiare, affictare, permuta„ re, ſeu per aliquem alium modum transferre aliquem ex „ locis prædictis alicui Græco modo aliquo vel ingenio & „ quod aliquis Græcus non poſſit recipere venditionem, do„ nationem, pignorationem, alienationem, tranſactionem, „ cambium, affictum, nec permutationem aliquorum ex lo„ cis prædictis, nec ipſa loca tenere nec uſufructuare ſub „ pena illo Latino cui eſſent loca translata, ut dictum eſt, „ perdendi feudum, ſeu feuda ſic translata, ut dictum eſt

non

„ non intelligendo in affiſto aliquem villanum, qui accepe-
„ rit ad affictum de dictis loci pro laborando ipſa cum ſuis
„ manibus, & ſi in prædictis fuerit accuſator per quem ve-
„ ritas habeatur, habeat tertium valoris loci translati, &
„ Commune reliquum, & teneatur accuſator de credentia.
„ Quare cum noſtris Conſiliis antedictis fidelitati veſtræ ſcri-
„ bimus, & mandamus, quatenus dictam partem & con-
„ tenta in ea obſervetis, & faciatis inviolabiliter obſerva-
„ ri, & faciatis has litteras in regiſtris veſtræ curiæ ad ſu-
„ turorum memoriam regiſtrari.

„ Dat. in noſtro Ducali Palatio die 17. Aprilis 1371. Indictione Nona.

Anno 1372. Franciſcus Maurocenus, qui in officio deceſ- 81
ſit, & in ſacra Minorum æde Sancto Franciſco dicata tu-
mulatus fuit.

Anno 1374. Joannes Gradonicus. 82
Anno 1376. Andreas Zenus. 83
Anno 1378. Andreas Dandulus. 84

Anno 1381. Petrus Mocenicus, ſuſcepta ſecundo Duchæ 85
dignitate Inſulam ſibi creditam novo Incolarum numero au-
geri vidit, cum enim Tenedi arcem Senatus Venetus ſolo
æquari mandaſſet, familias in ea degentes ad Cretam Inſu-
lam aſſignatis ad ipſarum alimoniam redditibus deduci de-
crevit, ubi in ſuburbio Candiæ Metropolis, quod deinde ex
antiqua patria *Le Tenedee* nuncupatum fuit, domicilium po-
ſuerunt. Quibus actis, cum regiminis finis adventaſſet, ſuc-
ceſſorem excepit anno 1383. Donatum Thronum Marci fi- 86
lium, qui cum Cretæ extremum diem expleviſſet ſepultus
fuit in Eccleſia Sancti Joannis.

Anno 1385. Marcus Zenus. 87
Anno 1387. Donatus Maurus. 88
Anno 1389. Dominicus Bonus. 89
Anno 1391. Matthæus Juſtinianus. 90
Anno 1393. Pantaleon Barbo Eques. 91
Anno 1395. Donatus Maurus iterum Cretæ Ducha. 92

Digitized by Google

93 Anno 1397. Guillielmus Quirinus Cretæ defunctus, & in Cathedrali Sancti Titi Ecclesia sepultus.

94 Anno 1399. Albanus Baduarius, qui anno 1423. Francisco Foscari electo Duci Venetiarum, suffectus fuit in dignitate Procuratoris Sancti Marci.

95 Anno 1401. Marcus Faletrus.

96 Anno 1403. Thomas Mocenicus, qui postea anno 1413. electus fuit Dux Venetiarum. Inter XLI. viros, qui Mocenicum ad Ducale fastigium assumpserunt, fuit etiam Rubeus de Marinis Senator ob administrata domi forisque utiliter præcipua Reipublicæ munia clarissimus. De viro hoc præstantissimo (cujus imago olim in supremi Consilii aula visebatur depicta) scribit P. Augustinius Hist. de' Veneti Liter. Tom. I. pag. 184. *Andò Duca in Candia;* innuitque id hausisse ex Panegyrica oratione, quam Zacharias Trivisanus junior in Lyceo Patavino habuit *pro data licentia Joanni Marino* supradicti Rubei filio *in utroque Jure*. Mirum quidem videri debet, nullam hujusce Rubei Duchæ mentionem afferri ab Andrea Cornelio in suo rerum Cretensium ms. Chronico cum tamen ipsum noverit, primumque Veronæ a Carrarensium tyrannide subductæ Prætorem scripserit. *Fu ricuperata Verona con forza d' armi, dove furono mandati Rettori, & il primo Podestà fu Rosso Marin*. Quum itaque accuratissimus Chronologus virum sibi notum in serie Ducum Cretæ prætermittat, & in nullo alio memoretur Cretensium Ducum elencho, ea propter ipsum, si revera Cretam Insulam administravit, nulli certo tempori assignare valens, hoc loco, quasi captata occasione, memoravi, nec tamen uti immediatum Thomæ Mocenici successorem, siquidem ipsi Mocenico, ut notat citatus Cornelius in suo
97 Chronico, suffecti fuerunt Joannes Bembus anno 1405. ac
98 deinde Ludovicus Maurocenus anno 1407.

99 Anno 1409. Leonardus Trivisanus pestifera lue, qua vastabatur Insula Cretensis, correptus e vivis excessit, & in Metropolitano Sancti Titi templo tumulatus fuit.

Obiter

Obiter hic notandum venit, me in Eccleſiis Ven. Tom. X.** pag. 338. ſcripſiſſe, Paulum Julianum olim Ducham in Candia ad dignitatem Procuratoris Sancti Marci evectum fuiſſe anno 1410. die 12. Novembris; idque Fulgentii Manfredi & aliorum, qui ſeriem Procuratorum texuerunt, authoritate adductus aſſerui. Quum autem Paulus Julianus inter Cretenſes Duces nullatenus ab Andrea Cornelio recenſeatur, nullumque reperire potuerim vel Chronicon vel documentum de Paulo Juliano Cretenſi Ducha mentionem agens, ideo rem, prout ſtat, afferre ſtatui, ne me mihi videar adverſari. Illud tamen videtur poſſibile eſſe, Paulum nempe Cretæ Ducham in ſupremis Comitiis renuntiatum fuiſſe, collatamque ſibi dignitatem gravi aliqua ex cauſa reſpuiſſe, quæ ſi vere etiam contigiſſent, non tamen Duchæ titulo, qui ex adminiſtrato tantum munere obtinetur, renuntiari potuiſſet.

Quoniam vero de illuſtri Senatore perperam Cretæ Ducha aſſerto ſermo eſt, liceat quaſi oblata occaſione duos clarioris nominis viros memorare, qui a Cretenſi Prætura ſeu promerita abſtinuerunt, ſeu ultro collata ſe abduxerunt. Hi ſunt Francilcus Barbarus, de quo cecinit Janus Pannonius in carmine de nuptiis Paulæ Barbaræ ejusdem Franciſci filiæ & Jacobi Balbi, quod Candiæ Rector expetitus reſpuerit.

O quotiens voluit Cretæ dare jura feraci,
Euboica quotiens Præfectus adire Cariſton,
Reſpuit ipſe tamen.

Notat Cardin. Quirinus, qui fragmentum Pannonii retulit in Diatriba Prælim. ad epiſ. Barbari, Cretenſem & Euboicum Magiſtratum, *quos Barbarum recuſaſſe affirmat Pannonius, eo forteſſe loco ab illo habitos fuiſſe, quo Cretenſem ſe habuiſſe ſcribit Ludovicus Foſcarenus* (hic eſt ſecundus, quem a Cretenſi Prætura abſtinuiſſe enuntiavi) *in litteris ad Cretenſem Archiepiſcopum* Philippum Parutam: *Damnavi me*, (ita eundem alloquitur) *Brixienſia negotia Cretenſi otio antepoſuiſſe, licet cognoverim virtutem in adverſitate perfici, in laboribus ad patientiam maxime edoceri, Deum adjutorem quæri, ſummæque Majo-*

Majeſtatis tutelam, patrocinium in periculis maxime expoſci. Verum quia ad Provinciam illam Cretenſem ſumma dignitatis tuæ pietas, conſuetudinis mira cupiditas me maxime impellebant, poſtquam diſceſſiſti gaudeo me a Prætura abſtinuiſſe, nam acerbiſſimus, & amariſſimus *mihi fuiſſet in regionibus disjunctiſſimis ſine te, cujus ſingularis ſuavitas nos potiſſime alliciebat, vitæ curſus.*

His quaſi ad ornamentum operis commemoratis illuſtrium virorum nominibus, de alio, opportunum eſt, celeberrimo viro differere, qui dignitatis nomine Cretenſem patriam ſuam maxime decoravit.

Dum igitur Cretæ peſtilentia laboratur, coactum fuit eodem anno 1409. Piſis Concilium, in quo per ſpeciem unionis Eccleſiæ conciliandæ, Gregorium XII. e Petri ſede decidiſſe promulgatum fuit, & in ipſius vices ſuffectum Petrum Philargium, ſeu, ut vocant alii, Filaretum natione Cretenſem ex Ordine Minorum, Cardinalem & Archiepiſcopum Mediolanenſem, quem ſuperius diximus in pago Candienſis Diœceſis ortum habuiſſe, & Seraphici inſtituti leges in Villænovæ primum, mox in Candienſi Sancti Franciſci Cœnobio profeſſum fuiſſe; cui loco propterea Pontifex declaratus pretioſa munera largitus eſt. Decus hoc, qualecumque ſit, (non enim leve eſt de legitimo ipſius Pontificatu dubium) Cretenſi Inſulæ adimere conantur nonnulli ex recentioribus ſcriptoribus & præcipue Lazarus Auguſtinus Cotta Novarienſis, qui id ſibi perſuaſiſſimum habuit & in aliorum animos inducere omni ſtudio conatus eſt in ſuo Novarienſi Muſæo, Alexandrum V. patria Novarienſem fuiſſe, & in Candia ſeu Candea Oppido illius Diœceſis natum, ex quo propterea in multis codicibus, ait ipſe, nuncupatus legitur Petrus de Candia Ordinis Minorum. Opinionem ſeu potius ſententiam viri patriæ ſuæ decori plus æquo addicti aperte refellunt tum antiqua, quam memoravimus, & conſtans Cretenſium traditio, tum Hiſtoricorum Scriptorumque in neutram partem anticipatione voluntatis propendentium con-

conformis assertio, qui Petrum Philargum origine Græcum e Candia civitate prodiisse scribunt.

Omitto antiquos Codices, Annales nempe Mediolanenses qui *Petrum de Candia Episcopum Vicentinum* enuntiant, & Chronicon Bergomense, in quo *Petrus de Candia Episcopus Novariensis* legitur: hanc enim nuncupationem & Novariensi & Cretensi Candiæ communem esse aliquis exprobraret; & malim in veritatis argumentum adducere *Chronica Episcoporum Placentinorum, quæ compilata fuit* (ut videre est Tomo XVI. Rerum Italicarum pag. 627.) *anno* 1476. in qua inter Episcopos Placentinos recensetur etiam *Frater Petrus Græcus de Candia Ordinis Minorum electus Episcopus Placentinus anno Domini* 1399. *promotus* deinde *ad Episcopatum Novariensem & Archiepiscopatum Mediolanensem, deinde creatus Cardinalis, postremo Papa, qui cognominatus est Alexander V.* Pontificis hujus laudes & obitum affert Wading. ad annum Christi 1410. additque deinde: *Sepultus est ad suos consodales* (in Templo nempe S. Francisci Bononiæ) *adscriptis his tribus carminibus prioribus, quartum habet Petrus Rodulphus*:

Summus Alexander Pastorum Quintus, & omnis
Scripturæ lumen sanctissimus Ordo Minorum
Quem dedit & proprio Cretensis nomine Petrus
Migravit Superum ad lumen, sedesque beatas.

Ex cujus epigraphes verbis, quæ Petrum (sicuti & Chronica Placentina) Cretensem appellat, tollitur quæcumque ambiguitas inter Candiam illustrem Cretæ urbem, & Candiam ignobile Novariensis agri pagum. Fidem dictis auget Codex ms. in Ducali Mutinensi Bibliotheca asservatus, cui titulus est: *Magistri Petri de Candia lectura super libros sententiarum*, in ejus enim fronte appositæ leguntur hæc carmina:

Divus Alexander Cretensi oriundus ab ora
Clauditur hoc saxo summo venerandus honore.
Antea Petrus erat, sed celsa sede potitus
Quintus Alexander fit, ceu Sol orbe coruscans
Religione minor, post ad sublime vocatus.

Hisce

Hiſce Mutinenſis codicis verſibus concordant alia (vulgo Leonina) carmina, quæ Andreas Presbyter Monaſterii Sancti Magni in præurbio Ratiſponenſi Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium inſeruit in ſuo Chronico univerſali usque ad tempora Martini V. producto, quodque invenitur in corpore Hiſtorico medii ævi Joannis Georgii Eccard T. I. col. 2129. In eo ſic legitur de Alexandro V.

„ Hic fuit vir ſenex, & defunctus eſt in Bononia in die „ S. Floriani, & in capitulo Monaſterii Fratrum Minorum „ ibidem tumulatus. Idem verſus.

„ Lucifer & Luna dum dicerentur ab una
„ Mitra Papali ſub Concilio Generali
„ Quintus Alexander præcellens valde Magiſter
„ De Græcia natus, eſt Piſis Papa creatus
„ Poſt MC quater tria ſi poſt hæc repetis ter (nempe „ 1409.)
„ In Jo. Bapt. feſto, cujus facti memor eſto.

Theodoricus pariter Niemius vir ejus temporis hiſtoricus ſcribit Alexandrum V. natione Græcum de Ordine Minorum in Concilio Piſano aſſumptum fuiſſe in Summum Pontificem, ut in ejusdem corporis Hiſtorici medii ævi Tomo Primo.

Potiora ad rei veritatem dignoſcendam afferuntur argumenta in Hiſtoria Topographica Literaria Mediolanenſi Joſephi Antonii Saxii præmiſſa ad Bibliothecam Scriptorum Mediolanenſium eruditiſſimi viri Philippi Argelati Tom. I. col. 311. ubi ſupralaudatus Saxius de Joſepho Brippio, deque ejus codicibus mss. in Bibliotheca Ambroſiana aſſervatis diſſerens hæc ad patriam Alexandri V. firmandam opportuna doctiſſime profert.

„ Recenſere opus eſt hoc ultimo loco primitias carminum, „ quibus noſter hic civis facilem ad Poeſim venam oſten„ dit eo tempore, ideſt anno 1409. quo Petrus Philargus „ ab Archiepiſcopatu Mediolanenſi ad excelſum Apoſtolicæ „ Romanæ Sedis gradum conſcendit. Siquidem Brippius

Poema

Digitized by Google

„ Poema Heroicum ſtatim conſcripſit, ad eumque miſit, in „ hæc carmina exordiens.

„ Princeps ſumme Patrum te te ſibi Græcia talem
„ Lætetur genuiſſe virum, non quippe minorem
„ Antiquis illis virtute atque arte ſciendi
„ Et morum gravitate viris, qui nomine claro
„ Orbe vigent &c.

„ Eo libentius initium hoc retuli, quo validius hinc deſumi poſſe argumentum videtur ad refutandam opinionem „ Clariſs. viri Lazari Auguſtini Cottæ, qui in ſuo Novarienſi Muſæo totis lacertis contendit Novarienſem originem facere Alexandrum V. Summum Pontificem, inquiens, „ ex oppido Cruſivallo Novarienſis Diœceſis ejusdem familiam prodiiſſe. Scriptor enim iſte, cui notiſſimus eſſe debuerat Archiepiſcopus olim ſuus Petrus Philargus, auſus „ non fuiſſet Græcam nationem eidem objicere, a quo redargui aut mendacii, aut injuriæ potuiſſet, in ipſa Poematis fronte, quod nempe natum in Italo ſolo ex illuſtri progenie, ut tradit Cotta, barbarum veluti ac peregrinum noſtris oris facere vellet.

Quanto autem conatu omnem lapidem quamvis minus ſincere moverit Lazarus Auguſtinus Cotta, ut Alexandrum V. origine Novarienſem comprobaret, abunde oſtendit laudatiſſimus Ludovicus Muratorius Tom. XVI. Rerum Italicarum, ubi Petri Azarii Novarienſis Chronicon, & Opuſculum de bello Canepiciano in lucem profert, quæ tamen ab ipſo Cotta nonnullis in locis variata ſeu potius vitiata fuiſſe fatetur. Sic itaque in Præfatione ad Azarii Chronicon ſcribit Muratorius. *Ad iſta* (ſcripta Azarii) *edenda præſto mihi fuit exemplum quod ad me olim miſit Lazarus Auguſtinus Cotta Jurisconſultus Novarienſis, vir inter eruditos notus, & ſingulari amicitia mihi, dum vixit, conjunctus. Vetuſtum Codicem ms. (quem archetypum appellare non auſim) collocarat ipſemet Cotta Mediolani in Ambroſiana Bibliotheca una cum aliis opuſculis ad Novarienſem Hiſtoriam ſpectantibus. Rem au-*

tem gratam bonarum artium ſtudioſis ſe præſiturum, ſimulque Azario ipſi majorem gratiam ac laudem acceſſuram Cotta ſperabat, ſi a ruſtico ejus ſtilo quasdam voces ac phraſes minus elegantes ſuſtuliſſet. Quare is Authori tacenti, ſuumque jus e tumulo ſuſtinere minime valenti amice manus intulit, & nonnullis in locis meliora vocabula ſubſtituit, dictione, prout ſibi videbatur, in melius immutata, rerum tamen nucleo & veritate intacta. Addit deinde in eadem Præfatione Muratorius: *Publici juris fecit Libellum hunc* (opuſculum de bello Canepiciano) *Albrizius in altero Tomo libri, quem inſcripſit Galleria di Minerva. Emendatum autem fuiſſe ejus ſtylum, vivente adhuc authore, per Ambroſium de Rocca Contrata, ſcribit ſupralaudatus Costa. Ego vix credam, & ni fallor, a vero non aberrabit, qui emendationem ad ipſum Costam refert ejusmodi ſcenis ſine dolo malo delectatum. Rurſus ergo Lector idem opuſculum a me accipiet, ſed fuco inde detracto, ideſt quale in Ambroſiano Codice legendum ſe offert.* Chronicon itaque Azarii noſcimus a Cotta immutatum, rerum tamen *veritate intacta*, & opuſculum ſub mentito nomine emendatum *ſine dolo malo*, ut aſſerit Muratorius. Num a dolo hoc malo immunes ſemper ſint emendationes viri Novarienſis, ab ipſo Muratorio addiſcamus in nota videlicet ſignata (*) ad præfationem, quam Azarius opuſculo ſuo præfixit. Præfationis fragmentum ex Tomo XVI. Rerum Italic. col. 426. ſcilicet ex Codice Ambroſiano non vitiato, notamque ei ſincere a Muratorio appoſitam profero, ut ex eis innoteſcat, an *veritas intacta* in his emendationibus *ſine dolo malo* confectis omnino ſervetur.

Comitum Mazadii.

„ Mazadium Caſtrum, Candea (*) Caſtrum, Caſtegno-
„ lum Caſtrum, Marzinaſchum Caſtrum, Rondizonum.
„ (*) Supra in mea Præfazione ad Azarii Chronicon mo-
„ nueram Opuſculum hoc antea editum fuiſſe Tom. II. O-

peris

„ peris inſcripti la Galleria di Minerva; qua autem fide ſit
„ excipiendum, facile conferenti innoteſcet, nam ibi non
„ immutatus tantum ſimplex ac rudis Azarii ſtilus, ſed
„ etiam additamenta facta legenti occurrunt, quamquam
„ perſonatus ille *Ambroſius de Roccacontrata*, hoc eſt ſub no-
„ mine iſto ſupralaudatus Cotta ſe *Hiſtoriæ puritatem* reli-
„ gioſe ſervaturum pollicitus fuiſſet. Hoc tamen loco, in-
„ ter cetera, animadvertendum eſt, quod *Candiæ* caſtrum
„ nobis exhibet pag. 402. *Natale ſolum Fratris Petri ex Or-*
„ *dine Minorum olim apud Ticinenſes Theologiæ profeſſoris e*
„ *parentibus Novarienſibus*, & *nunc* (*nempe anno* 1404.) *Ar-*
„ *chiepiſcopus Mediolani*, & *Cardinalis*. Nimirum Cotta ni-
„ hil antiquius habuit, quam ſibi ac aliis perſuadere, Ale-
„ xandrum V. Pontificem Maximum, ipſum videlicet *Fra-*
„ *trem Petrum* modo memoratum patria Novarienſem fuiſ-
„ ſe, & in Candia caſtro illius agri natum, quod is *Petrus*
„ *de Candia* appellatus ſæpe occurrat. An is vera tradide-
„ rit, non eſt hujus loci inquirere. Illud certe minime lau-
„ dandum, ab eo in re iſta protuſum fuiſſe veluti teſtem
„ ſynchronum, & amicum ejusdem Petri, hominem, a quo
„ is probe ſibi conſcius erat nihil tale unquam fuiſſe me-
„ moriæ proditum, ut heic ex ſincero Azarii textu dilu-
„ cide apparet". En igitur ex erudita Muratorii ſinceri-
tate detectus in emendationibus ad Azarii opuſculum Cot-
tæ Novarienſis animus, ſiquidem falſum continuo palam eſt.

Dubium omne, ſi quod præterea eſſet, de ſincera Alexandri V. patria amolitur illuſtre, omnique fide majus B. Thomæ Antonii de Senis teſtimonium, quod huic veritati dedit in ſuo Tractatu de Origine & confirmatione Ordinis de Pœnitentia S. Dominici: & autographus quidem hujus Tractatus codex aſſervatur in celebri Sanctorum Joannis & Pauli Veneta Bibliotheca, ex qua relatus fuit in Eccleſiis Ven. Illuſtr. Tom. VII. Acceſſerat Venetias anno 1406. tribus diebus ante Nativitatis Domini feſtum *Fr. Petrus Cardinalis Mediolanenſis Sedis Apoſtolicæ Legatus a latere*; quem

deinde *in vigilia dictæ Nativitatis Domini* visitavit Frater Thomas supra laudatus habuitque ad eum concionem panægyricam (collationem vocat in Tractatu) *in præsentia quamplurimorum Prælatorum*. In ea concione hæc verba ipsissima protulit: *Tu igitur tamquam suus filius* (S. Francisci) *tantique Patris imitator coruscus, portionem damnatam utpote non solum Gallicanam, sed etiam Constantinopolitanam Ecclesiam, cum non tantum Italicus ex prolixa cohabitatione, seu conversatione, sed Græcus & Candiensis origine censearis, salvare, & ad Sanctam unitatem reducere pro posse coneris.* Quæ cum ita se habeant, ad Petrum Philargium, qui anno 1388. Vicentinæ Ecclesiæ regimen suscepit, referendæ sunt laudes illæ, quibus *venerandum Antistitem de nobili & famosa Cretæ Insula profectum* ornavit Johannes Manzinus de Motta in epistola circa annum citatum 1388. data *Rizaldo de Villanis laudatissimo Regum consulto*. Epistolam illustris viri simul cum aliis ejusdem, & aliorum doctissimorum hominum e Bibliothecæ Collegii Romani latebris eductas publici juris nuper fecit Clarissimus, & de Litteraria Republica optime meritus Petrus Lazeri Societatis Jesu Sacerdos. Hæc sunt laudatæ epistolæ verba: *Ad quæstionis articulum, uter intellectus fœmineus an virilis sit aptior ad suscipiendum litterarum doctrinam, & impressionem, pridie tibi in conspicua nostri Principis Bibliotheca objectæ legum allegationes idoneas effudisti. Cum supervenit ille venerandus Antistes de nobili, & famosa Cretæ Insula profectus ad illustrandam Italiam; (ut olim legitur de Saturno, qui sationis frumenti usum ad has oras adduxit) qui est unicus sacræ paginæ Doctor insignis: contra quem non inamœna virtis rationibus roborata disputatione leges sacerrimas merito tuebaris. O felicem nostri temporis ætatem, si tales aliquot, & tam egregios protulisset, qualem te legali tulit in scientia, qualem hunc venerabilem Præsulem in sanctissima Theologia.*

Candiense itaque Monasterium, ubi aliquandiu religiosam egerat vitam, cum peculiari amore prosequeretur Alexander;

der; illud brevi, quo Pontificatum geſſit, tempore, non iis tantum, quæ memoravimus, ditavit muneribus, ſed & magnifico Sacello, ſacrisque auxit beneficiis, quæ Andreas Cornelio oculatus teſtis in ſuo rerum Cretenſium ms. codice retulit his verbis: " 1409. ſucceſſe Duca Lodovico Tre- „ viſano che morſe, e fu ſepolto nella Chieſa di San Ti- „ to, e fu nel ſuo tempo peſte in Candia, dalla qual mor- „ ſe eſſo Duca. L'anno medeſimo fu fatto Papa Pietro Fi- „ lareto Arciveſcovo di Milano & Cardinale, il qual era „ dalle Cares dal Caſal Wlismeri territorio del Caſtel Mi- „ rabello ſotto la giuriſdition di Candia e fu chiamato Pa- „ pa Aleſſandro Quinto, il quale per moſtrarſi memore & „ grato alla ſua Patria mandò a fabricar in Candia Metro- „ poli dell'Iſola nella Chieſa di S. Franceſco, che era ve- „ ſtito di quell'Ordine, una Capella grande con un arco gran- „ diſſimo dove ſono poſte le ſue arme, e mandò anco la „ porta grande d'eſſa Chieſa fin da Roma di belliſſimo „ lavoro, e di marmi finiſſimi, & conceſſe gran perdono „ & Indulgenza alla ſudetta Chieſa ". His Andreæ Chronologi aſſertis partim concordant, partim vero diſſentiunt, (ut mox videbimus), ea quæ Tomo II. Hiſtoriæ Gymnaſii Patavini pag. 161. de Alexandri patria differens affert Papadopulus, cujus hæc ſunt verba: *Sed has de patria* (Itala) *Petri Philargi ſententias in ſolidum rejicit communis opinio, quæ hunc Pontificem Græcum hominem, & Cretenſem pronuntiat, natum in Creta Inſula & urbe ejus Metropoli Chandace, quæ nunc Candia eſt, honeſta ſane, ſed paupere familia, quæ etiamnum poſt ſubactam a Turcis Inſulam extat, & alicubi forteſſis mendicat. Ibi parentibus peſtilentia, quæ ſub annum* 1330. *illam urbem pene non omnino delevit, ereptis, egenus puer dicitur mendicaſſe donec eum Minorita quidam Venetus, indole pueri delectatus, pie alendum educandumque ſuſcepit, mox veſte cuculloque religioſo conſectum, primum inter Laicos vivere juſſit, deinde in altiorem ordinem ſuæ ſocietatis evectum litteris addiſcendis imbuendum curavit. Confirmantur hæc late a*

Salo-

Salomonio, qui concivem ſuum a relatis (de patria Itala) *opinionibus, multis congeſtis ex tabulario Cretenſi, quod extat Venetiis, patriæ noſtræ vindicarum reſtituit opinioni communi, quam præ cæteris probat Ughellus. Unaque rem conficit propoſita inſcriptione vetuſtiſſima, quæ in Cœnobio Cretenſi D. Franciſci extabat etiam mea ætate, exhibeturque ex eodem Archivo, qua ejusdem Cœnobii chartophylacium. In ea hæc litteris Longobardicis memorabantur: Petrus Philargus, Petrus de Candia Cretenſis, Doctor Paduæ, Pariſiis Magiſter, Epiſcopus Mediolani, Alexander V. Papa Piſis, in hoc Conventu Converſus, ex gratia Clericus Anno Domini* 1357. Cretam itaque Inſulam quamvis natale ſolum Alexandri V. aſſerant Papadopulus & Cornelius, ille tamen illuſtrem virum in Candia, hic in agro caſtri Mirabelli ortum habuiſſe ſcribunt, quorum tamen Græcorum ſcriptorum diſcrepantia nihil officit, quin ex Latinorum authorum, (qui quidem & ſynchroni, & ſuppares ſunt) authoritate Petrum Philargum Græcum & Cretenſem ſtatuere non dubitemus.

Renuntiatus itaque Pontifex fuit ſub Alexandri V. nomine Petrus Philargius die 26. Junii anno 1409. nec diu poſt Reſpublica Veneta ipſum (ſublata Gregorio XII. Papæ obedientia) veluti Petri ſucceſſorem agnovit deſtinatis de more Oratoribus filialis obedientiæ promiſſionem delaturis. Quia vero, dum hæc agerentur, aliquos ad Eccleſiaſticas dignitates aſſumpſerat Gregorius Pontifex, ſupplicavit Alexandro Senatus, ut ipſos in iisdem muneribus confirmaret, ad quæ, ut aſſerebant, *tempore inhabili*, & illegitima authoritate aſſumpti fuerant. Preces excepit Alexander, datoque die X. Decembris ejusdem anni diplomate omnibus per electionem Gregorii Pontificis in ditione Veneta beneficia obtinentibus de iisdem beneficiis *de novo* providit, ſtatuta tamen conditione, ut hi qui *citra mare* conſiſterent *intra duos menſes*, *cæteri autem qui ultra mare* conſtituti eſſent, cujusmodi erant ii qui Cretæ degebant, *infra ſex menſes a data* litterarum *per nuntios vel Procuratores* tenerentur *Curiam viſitare* recepturi

ri gratias dictarum novarum Proviſionum. Diploma Alexandri Michaeli Steno Duci Venetiarum miſſum hæc exhibet.

Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio Nobili Viro Michaeli Steno Duci Venetiarum &c. Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ Summe Nobis gratæ fuerunt litteræ, quas nuper a tua „ Nobilitate ſuſcepimus, & acceptiſſimum Nobis fuit ex il„ larum continentia percepiſſe quantum tua devotio in re„ latis per dilectos filios Oratores tuos a noſtra præſentia „ redeuntes remanſit conſolata. Reſpondimus enim ut affe„ ctioni noſtræ, quam maximam erga civitatis veſtræ Do„ minium hactenus ſemper geſſimus, & gerimus, putavi„ mus convenire, fere enim cordi noſtro ſuavius nihil eſt, „ quam Te, tuosque, quos præcipuos Sanctæ Matris Ec„ cleſiæ filios reputamus, noſtris, & Apoſtolicæ Sedis gra„ tiis conſolari, atque ut etiam tua devotio quotidie no„ ſtros erga ſe, ſuosque favores accipiat. Ecce Prælatis, & „ beneficiatis omnibus ſub Ducali tua ditione exiſtentibus, „ qui ab Angelo Corrario olim Gregorio Duodecimo in ſua „ obedientia nuncupato tempore inhabili aſſumpti fuerunt, „ prout per ipſas tuas Litteras humiliter ſupplicaſti, para„ tiſſimus de beneficiis omnibus, quæ obtinent, de novo „ providere, dum tamen tales per ipſum Angelum aſſum„ pti non fuerint per privationem, vel in præjuditium eo„ rum, qui ſacrum generale Concilium, ejusque ſententiam „ ſequebantur, nam privationes hujusmodi per ipſius Con„ cilii ſententiam irritæ declaratæ ſunt, & inanes, & an„ te, & poſt aſſumptionem noſtram in eodem Concilio, ſu„ per hoc ita ſancitum, atque decretum eſt. Circa ſuum „ autem ad præſentiam noſtram adventum pro beneficiis hu„ jusmodi principaliter ad noſtram Curiam perſonaliter non „ teneantur accedere tenore præſentium indulgemus, ita „ tamen quod Prælati, & beneficiati prædicti; hi videlicet,

qui

„ qui citra mare conſiſtunt, infra duos menſes. Cæteri au-
„ tem, qui ultra mare coſtituti exiſtunt infra ſex menſes,
„ a data præſentium computandos, per nuncios ſufficienter
„ inſtitutos, vel Procuratores per eos, teneantur nos, & di-
„ ctam Curiam viſitare, recepturi a nobis gratias dictarum
„ novarum proviſionum Prælaturarum, & beneficiorum ip-
„ ſorum libere, & ſine ſolutione alicujus pecuniæ noviter
„ ſubeunda. Non enim intentionis noſtræ exiſtit, quod hu-
„ jusmodi proviſionum noſtrarum prætextu novam patian-
„ tur expenſam; ſed illa duntaxat debita, pro quibus Ca-
„ meræ remanent obligati, prout eſt debitum, extinguere
„ teneantur, quantum etiam ejusdem tuæ Nobilitatis intui-
„ tu, quæcumque per ipſos in hujusmodi Prælaturis, &
„ beneficiis interim adminiſtrata, rata, & grata habentes
„ ex nunc libere relaxamus. Habes ergo dilecte fili noſter,
„ ut ſperamus, quicquid pro illis a tua Nobilitate pe-
„ titum nobis dare licuit. Exortantes itaque eos, ut ex
„ clementia & benignitate noſtra, prout decet, plene con-
„ fidant, favores enim, & gratias a nobis, & Apoſtolica
„ benedictione Sedis quantum cum Deo poterimus tibi, ip-
„ ſis, cæterisque tuis omnibus nullos intendimus denegare.
„ Data Piſtorii quarto Idus Decembris Pontificatus no-
„ ſtri anno primo.

His, quaſi nacta occaſione, prolatis ad interruptam Ducum ſeriem redeamus. Ludovicum Triviſanum e vivis exceſſiſſe regiminis ſui curſu ad finem vegente, ex eo arguimus, quod
100 ſucceſſor ejus Leo Dandulus (ut refert in ſuo Chronico Andreas Cornelius) Cretam anno 1412. appulit. *Del* 1412. (hæc ſunt Chronologi verba) *venne Duca in Candia Leo Dandolo, al*
101 *qual ſucceſſe il medeſimo anno Franceſco Foſcari, e del* 1413.
102 *li deste cambio, e arrivò Duca in Candia Franceſco Bembo.* Tres igitur brevi temporis intervallo ſibi ſuccedentes habemus Cretæ Duchas, quorum primus Leo ſcilicet Dandulus, an dignitatem recuſaverit, an vero morte vel alia cauſſa interveniente dimiſerit, incompertum mihi eſt, Franciſcus

ſcus Foſcarus, ut pro certo habemus, eam adire detrectavit, ut in ejus funebri oratione teſtatus eſt Petrus Juſtinianus : *Præturas alias & Præfecturas omnino ſprevit, quamquam Provinciarum adminiſtratio opes tunc maxime augeret & dignitatem. Delatæ ampliſſimæ Veronenſis, Patavina, Cretenſis. Sed cum natum ſe non opibus augendis exiſtimaret, neque uni Reipublicæ curandæ parti, maluit in oculis hominum verſari, ut ab hujus Imperii gubernaculis non diſcederet.* His transmarinam Provinciam adire recuſantibus alium, qui oblato muneri pariter renuntiavit, addere oportet ex Marini Sanuti authoritate, Pandulphum nempe Malateſtam Ariminenſem, de quo citatus Sanutus in Chronico col. 880. ſic loquitur. *Adì 31. del detto meſe* (di Marzo 1413.) *fu meſſa parte nel Gran Conſiglio di fare il detto Signor Pandolfo Malateſta di Rimino Signor di Breſcia del noſtro Maggior Conſiglio, lui, i ſuoi figliuoli ed eredi.... Il qual Signore venuto al Conſiglio fu creato Duca di Creta per onorarlo. Ma rifiutò e fu fatto un altro.* In locum itaque Pandulphi Malateſtæ, qui abnuerat, renuntiatus fuit Franciſcus Bembus vir equeſtri dignitate inſignitus, qui cum integrum biennium in muneris ſibi demandati officio expleſſet, ſacram Hieroſolymorum peregrinationem, ut Dominicum ſepulcrum inviſeret, permiſſione ſibi a Senatu facta, ſuſcepit.

1415. *Die* 15. *Septembris.*

„ Cum vir Nobilis ſer Franciſcus Bembo Miles Ducha
„ Cretæ voluerit viſitare Sepulcrum Dominicum poſt exi-
„ tum ſui regiminis, nec videat alium modum poſſendi ad-
„ implere hanc ſuam intentionem, neque cum ſecuritate
„ venire Venetias cum uxore & familia ſua niſi procuret
„ habere unum ſuſtum armatum tam pro eundo ad Sanctum
„ Sepulcrum, quam pro veniendo Venetias cum ſua familia,
„ ut eſt dictum, & tempore regiminis Illuſtris & Excelſi
„ Principis Sereniſs. Dom. Ducis præſentis Thomæ Mocenici
„ tunc Duchæ Cretæ, & aliquibus aliis ante & poſt conceſſum

„ fuerit ſibi cum Conſilio Rogatorum, quod non obſtante „ aliquo capitulo ſuæ commiſſionis ipſe poſſit ſuis expenſis „ emere unum navigium a remis quod non eſſet noſtri com- „ munis, & illud armare pro reditu ſuo Venetias. Vadit „ pars, ut dictus ſer Franciſcus Bembo valeat perficere vo- „ tum ſuum, & poſtea redire Venetias cum ſua familia, „ quod non obſtante aliquo capitulo ſuæ commiſſionis poſ- „ ſit conſtrui, & fieri facere unum navigium a remis in „ illo habiliori loco quo poterit Inſulæ Cretæ excepto in „ Candida & diſtrictu Candidæ, vel emere unum factum „ exceptatis illis Dominationis noſtræ in Inſula prædicta de „ tot banchis quot habiliter reperire poterit omnibus ſuis „ expenſis, & illud armare pro exequendo & faciendo ſi- „ cut dictum eſt ſupra, aliquo ordine noſtro in contrarium „ non obſtante.

103 Delectus deinde fuit Cretæ Ducha Petrus Civranus, qui cum in patriam poſt abſolutum ſui regiminis curſum rediiſ- ſet, ibidem vivere deſiit, ejusque ſepulcrum nulla notatum epigraphe viſitur in Monaſterio Sancti Georgii Majoris Ve- netiarum prope eam januam, quæ ab Eccleſia viam ape- rit ad ſacrarium. Dum vero Civranus Cretæ præeſſet, Uni- verſitas Pheudatorum Cretenſium ſolemnes ad Venetum Se- natum Oratores inſtituit Petrum Polanum, & Bernardinum de Medio viros in Colonia clariſſimos, quorum diligentia plu- rimæ leges in Rogatorum Comitiis ad ſalubrius Inſulæ gu- bernium, & ad coercendas iniquas Judæorum extorſiones conſtitutæ fuerunt.

104 Anno 1417. Cretam appulit Ægidius Maurocenus, cui ex inſita pietate mandavit Senatus, ut ex redditibus Epi- ſcopatuum & beneficiorum, qui in Cretenſi Inſula vacarent, Sacerdotes Latini alerentur, qui Divina celebrarent officia, & Eccleſiæ, quæ reſtauratione vel ornatibus indigerent, rite aptarentur. Latum fuit S. C. eodem anno 1417.

1417.

Digitized by Google

1417. *Die 6. Junii.*

„ Cum vacent ad preſens Epiſcopatus Agienſis & Epi-
„ ſcopatus Archadie in Inſula noſtra Crete, & credendum eſt
„ quod antequam eligatur Summus Pontifex, cui termina-
„ vimus dare obedientiam, alie dignitates & prelature va-
„ cabunt, & bonum & utile ſit, providere quod redditus
„ & proventus dictorum Epiſcopatuum & aliorum Epiſco-
„ patuum & prelaturarum qui & que in futurum vacabunt
„ convertantur, & diſpenſentur in utilitatem dictorum epi-
„ ſcopatuum & prelaturarum.

„ Vadit pars, quod ſcribatur & mandetur Duche & Con-
„ ſiliaris Crete, ac omnibus Rectoribus noſtris Inſule pre-
„ dicte, quod omnes redditus & proventus epiſcopatuum &
„ prelaturarum ad preſens vacantium, & qui & que in fu-
„ turum vacabunt in locis ſuorum regiminum debeant in-
„ tromittere & ſequeſtrare & deputare duos bonos & ſuffi-
„ cientes ex fidelibus noſtris locorum eis commiſſorum ad
„ manus quorum omnes dicti redditus & proventus perve-
„ nire debeant, qui duo tales conſtituendi per Rectores no-
„ ſtros in locis ſuorum regiminum debeant de dictis reddi-
„ tibus & proventibus tenere computum ordinate. Et de-
„ beant noſtri Rectores providere quod de dictis redditibus
„ & proventibus teneantur ſacerdotes Latini, qui celebrent
„ Divina officia, & ultra hoc aptari faciant Eccleſias &
„ ornatus, calices, libros, paramenta, & alia neceſſaria ad
„ Divinum cultum, de quibus expenſis dicti duo conſtituen-
„ di ſimiliter tenere debeant computum ordinate; & ſingu-
„ lis quatuor menſibus reddere rationem Rectoribus noſtris
„ ſub quorum regiminibus erunt epiſcopatus & prelature
„ predicte tam de redditibus, & proventibus quos exege-
„ rint, quam expenſis quas fecerint. Et hoc durare debeat
„ donec aliam proviſionem fecerimus cum noſtris conſiliis
„ ſuperinde & ad iſtam conditionem ſit Epiſcopatus Argos,
„ & Neapolis, qui vacant ad preſens.

Nec diu poſt Ægidius Ducha ex hac luce migravit, atque apud Fratres Minores in Sancti Franciſci Eccleſia emortualem requiem habuit.

Eodem anno Cretæ occubuit Marcus Venerius ſupremus Militiarum Dux in Inſula Candiæ, qui in enuntiata S. Franciſci Eccleſia a dextris altaris Sanctæ Barbaræ tumulatus fuit cum hac epigraphe.

„ Regibus hic miles domus alta Veneria Marcus
„ Quem genuit Venetis, & virtus inclyta magnis
„ Præfecit rebus, provexit honoribus alma
„ Jam charus Patriæ Cretæ Capitaneus illam
„ Dum regit inſigni moderamine migrat ad aſtra
„ Spiritus huic ſaxo mortalia membra relinquens
„ Obiit MCCCCXVII. die XXV. Octobris.

105 Vices Ægidii Mauroceni ſuſcepiſſe Jacobum Gauſſonium, qui eo tempore in Candia Urbe Præfecti Militiarum, ſeu, ut vocant, Capitanei officium gerebat, tradit ſæpecitatus Cornelius in Chronico, eumque Viceducam nominat, quem tamen Duchæ titulo inſignitum invenio in diplomate Thomæ Mocenico Ducis Venetiarum dato die 16. Octobris anno 1418. cujus quidem diplomatis hæc cauſſa fuit.

Inſtitutum fuerat pridem, ut in caſtris totius Inſulæ Cretæ eſſent Sacerdotes, vulgo *Capellani Latini*, *qui miniſtrarent Divina Officia ;* cum autem ſtatuti ad eorum alimoniam proventus diſtracti fuiſſent, receſſerunt ob inopiam Sacerdotes, plurimique tum Nobiles, tum variæ conditionis Latini viri ad Græcum ritum acceſſerunt. Moleſtum hoc accidit pietati Senatus, qui, ne *fides Catholica in Locis Latinis deficeret*, *Jacobo Guſſono Ducbæ*, *& Capitaneo Cretæ*, *& Conſiliariis ſuis* per Ducales epiſtolas mandavit, ut *ad omnia Caſtra & loca dictæ Inſulæ Capellanos Latinos* mitterent qui debitos & conſuetos proventus habere deberent, ita ut ex ipſis ali poſſent. Omnia hæc latius ex ipſis, quæ evulgantur, publicis litteris olim in Cretenſi Cancellaria aſſervatis innoteſcunt.

Tho-

Digitized by Google

„ Thomas Mocenigo Dei Gratia Dux Venetiarum &c.
„ Nobilibus & Sapientibus Viris Jacobo Guſſoni de ſuo man-
„ dato Duche & capitaneo Crete & Conſiliariis ſuis ac eo-
„ rum ſucceſſoribus fidelibus dilectis ſalutem & dilectionis
„ affectum. Significamus vobis quod in noſtris Conſiliis Ro-
„ gatorum & additionis in preſentibus milleſimo & Indictio-
„ ne die vero XXIV. menſis Octobris capta fuit pars in-
„ fraſcripti tenoris videlicet. Cum temporibus elapſis in ca-
„ ſtris totius Inſule Crete eſſe ſolebant Capellani latini qui
„ miniſtrabant divina officia & modo a modico tempore ci-
„ tra quia accepte fuerunt regalie ipſis capellanis quas ha-
„ bere ſolebant per conſuetudinem obſervatam ſicut eſt ma-
„ nifeſtum, ipſi capellani nequeuntes reſiſtere, a dictis capel-
„ lis ſive caſtris receſſerunt, quod eſt maximum detrimen-
„ tum Caſtellanis nobilibus & aliis perſonis latinis in ipſis
„ caſtris & caſalibus exiſtentibus, qui & que non poſſunt
„ habitare in civitate quoniam ipſi non habentes latinos
„ capellanos propter neceſſitatem.... faciunt baptizari & ſe-
„ peliri, & alia officia celebrari modo ſive more greco &
„ hoc modo latini efficiuntur Greci, que res multum di-
„ ſplicet Deo & humane rationi quod fides Catholica ſpe-
„ cialiter in locis latinis deficiat. Unde pro honore & fa-
„ ma noſtri Dominii utiliter ſit providendum. Vadit pars,
„ quod mandetur auctoritate hujus Conſilii regimini noſtro
„ Crete & ſimiliter aliis Rectoribus inſule predicte quod om-
„ nino providere debeant, mittere vel mitti facere ad om-
„ nia caſtra & loca dicte Inſule capellanos Latinos neceſ-
„ ſarios, & opportunos qui capellani debeant habere ſua
„ ſalaria omnesque alias regalias conſuetas ſecundum antiquas
„ conſuetudines & ſi dicte regalie non ſufficerent debeant
„ providere per illos modos bonos & neceſſarios ſic quod
„ dicti capellani habeant cauſam remanendi contenti, & ſtan-
„ di in ipſis locis redeuntibus nihilominus in poſſeſſionem
„ illis capellanis qui receſſerunt a dictis caſtris propter di-
„ ctas regalias ſibi ablatas in eum locum proprium ubi prius

erant

„ erant quare mandamus vobis cum dictis Conſiliis quate-
„ nus ſupraſcriptam partem & contenta in ea debeatis ob-
„ ſervare & facere inviolabiliter obſervari. Facientes has no-
„ ſtras litteras in Cancellaria veſtri Regiminis ad futurorum
„ memoriam regiſtrari.

„ Datum in noſtro Ducali Palatio die 26. Octobris In-
„ dictione XII. 1418.

106 Anno 1419. Joannes Lauredanus, qui Candiæ vita ſunctus anno ſui regiminis ſecundo nondum expleto poſt ſolemnes exequias tumulatus fuit in Cathedrali Sancti Titi Eccleſia. Circa hæc tempora a Creta in Italiam venit vir celeberrimi nominis Georgius cognomento Trapezuntius, erat enim origine Trapezuntius, quamvis in Cretæ Inſula natus, cumque Venetias appuliſſet, a Franciſco Barbaro Senatore Clariſſimo, qui eum evocarat, benigne exceptus fuit, cujus etiam opera Veneta civitate a Senatu donatur. Varios & plerumque adverſos vitæ ipſius caſus, operum illuſtrationem & obitum ſplendide luculenterque deſcripſit in Diatriba ad epiſtolas Barbari Cardinalis Quirinus pag. 76.

107 Anno 1421. Andreas Cornelius Andreæ filius.

108 Anno 1422. Laurentius Bragadenus, qui in urbe Candia, dum regiminis ejus finis appropinquaret, occubuit, & in Cathedrali Sancti Titi Templo ſepultus fuit, cujus vices deinde tenuit Laurentius Capellus Militiarum Præfectus, do-

109 nec anno 1424. Cretam appulſus Franciſcus Lauredanus Ducha Provinciam adminiſtrandam ſuſcepit. Quum autem per ea tempora Creta Inſula aliæque per Orientem ſitæ Venetorum ditiones Epiſcoporum aliorumque Prælatorum cuſtodia deſtituerentur, & ſchismaticorum numerus etiam ex Latina gente in dies augeretur, ne graviſſimum hoc malum diutius ſerperet, decrevit Senatus ut Epiſcopi aliique Prælati Orientalium regionum ad ſuas Eccleſias accederent, & perpetuam in eis facerent reſidentiam. Ne autem publica juſſio in irritum decideret, ſtatutum fuit, ut eorum qui ſalutari decreto obſequi renuiſſent, redditus & proventus in

ſacros

Digitized by Google

ſacros uſus, & Eccleſiarum reſtaurationes inſumerentur. Hæc ſunt Decreti verba.

1425. Die 18. Maii.

„ Cum in terris & partibus noſtris Levantis fides catho-
„ lica multum diminuatur, & ſchismatici de die in diem
„ multiplicent, & hoc procedat propter abſentiam Prelato-
„ rum qui non morantur in prelaturis ſuis, & pro reve-
„ rentia Dei, & celebratione Divini cultus, & pro augu-
„ mento fidei Chriſtiane & diminutione ſchismaticorum ſi-
„ mus debitores ad hoc facere proviſionem pro honore no-
„ ſtri Dominii, & pro bono terrarum & locorum noſtro-
„ rum. Vadit pars, quod omnes prelati terrarum & loco-
„ rum noſtrorum partium Levantis de extra Gulphum te-
„ neantur usque per totum menſem Martii proximi de
„ 1426. iviſſe ad prelaturas ſuas, & ibi reſidentiam face-
„ re, & ex nunc captum ſit, & mandetur omnibus recto-
„ ribus noſtris, quod ſi prelati terrarum & locorum no-
„ ſtrorum, in quibus ſunt Rectores non fuerint ad prela-
„ turas ſuas usque per totum menſem Martii dicti noſtri
„ Rectores intromittere debeant omnes redditus & proven-
„ tus prelaturarum ſub ſuis regiminibus exiſtentium, deputan-
„ do duas ſufficientes perſonas pro qualibet prelatura que
„ exigant dictos redditus & proventus, & alia quecumque
„ ſpectantia dictis prelatis, & de omnibus teneant comput-
„ um ordinatum de quibus redditibus & proventibus & aliis
„ ſpectantibus dictis prelatis vigore dictarum prelaturarum
„ dicti Rectores faciant Divina Officia celebrare, Eccleſias
„ reparare, & emere paramenta calices & alia ad Divinum
„ cultum neceſſaria, faciendo ſimiliter de predictis tenere
„ computum ordinatum, & ſi aliquid ſuperabundaret, fa-
„ ciant totum quod ſuperabundaret, debite conſervari, non
„ dando de eo quod ſuperabundaret, aliquid alicui ſine mandato
„ noſtri Dominii. Et non poſſit preſens pars revocari ſu-

ſpen-

„ ſpendi, vel aliter declarari niſi per tres partes iſtius con-
„ ſilii congregati centum & ab inde ſupra.

110 Anno 1427. Fantinus Viarus Cretæ præfectus fuit Ducha, qui deinde anno inſequenti 1428. (ut refert ex Diarii ms. Veneti authore aliisque ſcriptoribus Raynaldus in annalibus) Turcas *Cretam Inſulam vaſtare aggreſſos magna clade* delevit. Hæc ſunt Raynaldi verba ad citatum annum num. 4. *Addit idem author* (Diarii ms. Veneti) *de Orientalibus rebus, Turcicam in dies auctam fuiſſe potentiam, ac duas naves Venetas prope Callipolim vigeſima quinta Auguſti die interceptas a Barbaris, eosque exſcenſu in terram facto Cretam Inſulam vaſtare aggreſſos, at demum magna clade fuiſſe deletos; qui fœlix nuntius vigeſimo primo Decembris Venetias perlatus fuit.* Notat deinde Raynaldus in margine ſcriptores eandem victoriam enuntiantes; ſcilicet *Diar. Venet. Joan. Bapt. Pogg. in vita Carol. Firm. Pig. lib. 6. & alios.*

Fantinum deinde poſt laudabiliter adminiſtratum Cretæ Regnum gravibus aliis aliisque Senatus deſtinavit officiis, vaſtamque Forojulienſis Patriæ Provinciam tertio rexit, cujus mentionem habuit Laurus Quirinus in epiſtola ad Franciſcum Barbarum Patriæ Forojulienſis Prætorem (Locumtenentem Veneti vocant) data anno 1449. *Succeſſor tibi creatus eſt Fantinus Viarus. Itaque nemo eſt, qui ad ſatietatem non rideat: hoc tamen vel ſolum ex ſententia ſucceder, quod licet gravis ſit, & oneroſus, & annis obſitus, properanti tamen feſtinabis tibi ſuccedere.*

111 Anno 1429. Leonardus Caravellus.

112 Anno 1432. Marcus Juſtinianus Bernardi Senatoris filius, & Sanctiſſimi Venetiarum Protopatriarchæ frater, vir eximiæ prudentiæ, quem tanti fecit Philippus Maria Vicecomes Inſubrum Dux, ut *plus negotii ſibi*, aſſereret, *ex lanea Marci Juſtiniani veſte exhiberi, quam ex ducentis cataphratis equitibus Venetis capere.* Ita Egnatius de Exemplis lib. IV. cui conſonant ea, quæ in vita Bernardi Juſtiniani retulit Antonius Stella pag. 7. *Phocionis vitam ab eo* (Leonardo Juſtinia-

ſtiniano Marci fratre) *prius in gratiam Marci fratris verſam perlegi, cum hujuſce translationis Præfatione ad Marcum fratrem, qui cum primus Bergomenſem Præturam ageret, in eo magiſtratu adeo vigil, ac diligens ſemper fuit, ut Philippus Mediolanenſium Dux unius hominis ingenium, magis quam magnam equitum turmam ſibi formidandum ultro prædicaret.*

Circa hæc tempora Senatus ad Cretæ Regnum aliaque orientalia ſuæ ditionis loca Legatos cum ſumma inquirendi poteſtate (Veneti Inquiſitores vocant) Nicolaum Maurocenum & Petrum Bembum miſit, qui expleto muneris ſui officio in patriam reduces inter alia reorum nomina apud P. C. detulerunt Dominicum Bembum olim in Cretenſi Regno Conſiliarium, atque Laurentium Avanzagum & Secundum Piſaurum, qui in Cretæ Regno Præfecturas egerant. Cauſa itaque eorum rite perpenſa carceribus ad biennium addicti, & perpetua a publicis muneribus expulſione damnati fuerunt.

Anno 1435. Marcus Lippomanus, quem Latinæ, Græcæ, 113
& Hebraicæ linguæ peritiſſimum novimus ex codice Juſti Fontanini Archiepiſcopi Ancyrani manu exarato, & in Bibliotheca Guarneriana Oppidi Sancti Danielis in Provincia Forijulii aſſervato, cujus titulus eſt: *Joannis Spilimbergenſis ad Marcum Lippomanum de congratulatione ſuæ Prætura virum Clariſſimum & Latinarum & Græcarum & Hebraicarum linguarum peritiſſimum Prætorem Civitatis Bellunenſis. Oratio incipit: Cum viderem, Prætor Magnifice, quanta cum optimorum hominum alacritate &c.* Sed & Chaldæas litteras caluiſſe teſtatur Flavius Blondus in Italia inluſtrata ſic de ipſo ſcribens: Marcus quoque Lippomanus jureconſultus Græcas, Chaldæas, Hebræas litteras æque ac Latinas egregie doctus eſt. Philoſophum atque jureconſultum ipſum aſſeruit Franciſcus Philelphus in epiſtola ad eum ex urbe Forocornelienſi data anno 1429. cujus eſt titulus: *Franciſcus Philelphus Marco Lippomano Philoſopho atque Jureconſulto ſalutem.* Me-

minit ejus cum laude Cyriacus Anconitanus in suo itinerario ad Eugenium Papam IV. inscripto.

Post plurima domi forisque pro Senatu laudabiliter expleta munia Cretæ Ducha anno citato creatur, cumque per biennium sibi creditam Provinciam optime administrasset, in patriam rediit, ubi post alia recte exercita officia e vivis excessit, ejusque imago, quod egregia posteris reliquisset sui ingenii documenta, ex publico decreto in Aula Majoris Consilii inter Clarissimos Jurisconsultos depicta ante ipsius Aulæ incendium visebatur.

114 Anno 1437. Matthæus Donatus.

115 Anno 1439. Lucas Thronus Donati olim Cretensis Duchæ filius, & Nicolai postea Ducis Venetiarum Pater. Huic absoluta sui regiminis periodo suffectus fuit anno 1441. An-
116 dreas Mocenico, qui sibi Venetias adductum excepit eodem anno sub custodia Ostasium Polentanum olim Ravennæ Dominum, qui cum uxore & filio assignatis sibi ex publico ærario redditibus, in Creta, ubi relegati fuerant, diem suum clausit extremum. Rem dubitanter affert Petrus Justinianus Hist. Venet. lib. VIII. his verbis: *Ravennam urbem Ostasius Pollentanus Princeps Veneti nominis studiosissimus regebat, is Marcelli* (Jacobo Antonio Veneti exercitus Legato) *fide implorata, cum intra mœnia ultro accepit, Ludovicusque* (Aquilejensis Patriarcha Pontificii exercitus ductor) *excluditur, ita Veneti Ravennam urbem clarissimam vetustateque, & magnificentia insignem Imperio suo adiecere, Ostasiusque cum conjuge & liberis Venetias abiit; quidam, invito eo, deditionem populum feciſſe tradunt; idque nihil a veritate discrepare videtur, quum Ostasium cum filio* (Hieronymum vocat Sabellicus Dec. III. lib. V. qui addit, cum patre in Cretam relegatum fuisse, ubi paucis diebus uterque morbo consumptus est) *non multo post Veneti in Cretam procul ab Italia relegarint*. Quod autem quasi ambigens affert Justinianus, id pro certo affirmat Marinus Sanutus in Chronico Rerum Italic. Tom. XXII. col.

Digitized by Google

col. 1100. ita ſcribens: " Adi 15. Agoſto 1441. la Signo-
„ ria noſtra ebbe la Città di Ravenna di volontà de Cit-
„ tadini, e del popolo, il qual trattato menò Nani (*Joan-*
„ *nes*) di Carlone ſpeziaro noſtro Veneziano. E avuta la det-
„ ta Città, fu mandato a' confini il Signore di quella chia-
„ mato Oſtaſio da Polenta, e ſua moglie e ſuo figliolo, con
„ dar loro provigione da vivere nella Città di Candia; &
„ ivi i detti finirono la vita. Aveano ducati 800. all'anno".
Locum Mocenici excepit anno 1443. Thomas Duodus, cui 117
deinde in Provinciæ adminiſtratione ſubrogatus fuit anno
1445. Andreas Donatus Eques Bartholomæi Procuratoris fi- 118
lius, qui antequam Cretenſis Provinciæ regimen Thomæ
Duodo ſucceſſurus exciperet, multis in Republica officiis,
pluribus vero iisque maxime arduis apud Summos Principes
functus laudatiſſime fuerat legationibus. Dum igitur Cretæ
præeſſet, jamque ipſius muneris finis adventaret, Venetias
miſſa ad id trireme accerſitur, ut objecta ſibi apud Sena-
tum crimina carceri addictus dilueret. De imputati criminis
genere diſſentiunt ſcriptores: ſunt enim qui de mala ærarii
publici procuratione in Patavina Prætura inſimulatum eſſe
ajunt, uti legimus in Chronico, quod ex Nobilium, in quo-
rum poſſeſſione eſt, familiæ nomine Venerium nuncupatur,
quodque ex Clariſs. Viri Apoſtoli Zeni judicio, ab Antonio
Donato Equite Andreæ hujus filio concinnatum eſſe credi-
tur. Porro hæc ſunt Chron. verba. " Nel 1446. (*error eſt*
„ *in appoſitione anni*) fu creato Duca in Candia eſſendo nel
„ qual Uffizio gli fu formato in Venezia un proceſſo di
„ mala amminiſtratione de publici denari fatta da lui nel
„ tempo della ſua Podeſtaria di Padova, la qual fu nel 1439.
„ onde adi 3. Aprile 1447. fu armata di publico ordine una
„ Galera, acciocche andaſſe a levarlo in Candia, la qual
„ coſa diede una gran paſſione al Doge Foſcari, di cui il
„ Donato era Genero. Il Donato giunſe in Venezia li 28.
„ Maggio, e fu poſto in priggione, indi meſſo al tormento
„ confeſsò, e fu condannato dal Conſiglio di X. al pagamen-

„ to di ducati 1500. e di ſtar due anni in priggione. In-
„ di finiti i due anni fu sbandeggiato dal Conſiglio di Vene-
„ tia onde portoſſi a Roma, dove dal Pontefice fu fatto Se-
„ natore del 1449.“ Concordat in Cretenſi Chron. Andreas Cornelius, qui rem ex Venerio Chronico plane hauſiſſe videtur: “ L'anno 1447. adi 3. Aprile fu in Venezia ar-
„ mata una Galera per andar a tuor Andrea Donato Cava-
„ lier Duca di Candia per alcuni ſuoi mancamenti commeſ-
„ ſi nella Città di Padova con l'haver male amminiſtrato
„ l'errario publico. Queſto era Genero del Doge Foſcari, e
„ alli 28. di Maggio capitò eſſo Donado a Venezia con la
„ Galera ſopradetta, e ſubito fu meſſo priggione, e datta-
„ gli la corda per quello che confeſsò fu condannato dal
„ Conſeglio di Dieci a dover pagar ducati 1500. e ſtar due
„ anni in priggione, e poi fu bandito perpetuamente dal
„ Conſeglio. Così terminata del 1449. la priggionia ſi por-
„ tò a Roma, & il Papa lo fece Senator di quella Città“. Gravioris autem culpæ reum apud Decemviros Capitales in-ſimulatum fuiſſe Andream notant Sabellicus & Petrus Juſti-nianus in Hiſtoria Veneta, & Æneas Sylvius Piccolomineus poſtea Pius Papa II. eidem Andreæ arcta neceſſitudine con-junctus, qui in Oratione quam habuit eodem condemnati Andreæ anno 1447. coram Friderico Romanorum Rege de morte Eugenii IV. & coronatione Nicolai V. ut videre eſt Tom. VII. Miſcell. Stephani Baluzii, ita de Andrea Donato ſcribit: *Nullum de proditione licet arguere, qui pacta ſerva-vit. Sed aperiendi ſunt in conventionibus oculi. Licere Franci-ſco Sforziæ ſine violatione fœderum Ducem repetere rumor erat. Jamque concluſum ferebant dum captus eſt apud Venetos unus ex Cancellariis ejus, qui tormentis adactus ſecreta Comitis pande-re, quamplures cives ſenatorios faſſus eſt pecunia Franciſci cor-ruptos. Atque inter hos Andreas Donatus Dux Candiæ nominatus eſt. Ad quem intercipiendum miſſum retinere ferebat nonnullos alios ſalutem fuga quæſiſſe.*

Inflictam Andreæ exilii mulctæque pœnam memorat idem

Æneas

Æneas Sylvius in Hiſtor. de Europa cap. L. *Gener ejusdem Ducis* (Franciſci Foſcari) *Andreas Donatus dum Cretam Inſulam pro Veneto Imperio gubernat, Dux Inſulæ appellatus, revocatus domum honore privatur, & magna multatus pecunia in exilium mittitur.* Pari ferme modo Sabellicus in Hiſtoriæ Venetæ Decade III. lib. VI. crimen Andreæ appoſitum, illatamque ei pœnam deſcribit, in qua ſtatuenda a Chronicis Venerio & Cretenſi diſſentit, dum Andream in annuum carcerem ſcribit addictum fuiſſe. Ita & Petrus Juſtinianus Venetæ Hiſtoriæ lib. VIII. eidem culpæ eandem pœnam irrogatam refert: *Iisdem quoque diebus Andreas Donatus, qui tum Cretæ Dux erat, juſſu Patrum ex Inſula devectus, publica adminiſtratione privatur, mille inſuper & quadringentis nummis aureis damnatus eſt, & per annum in vinculis habitus ob largitionem, qua Eum Sforcia corrupiſſe dicebatur, ut ejus patrocinio favoreque in Senatu uteretur.* Hoc pacto vir per omnes dignitatum gradus virtutis & meritorum gloria conſpicuus, quod largitiones viri Principis etſi eo tempore Venetis amici cupidius accepiſſet, patriasque leges & inviolabilem ſui muneris fidem aliquando violaſſet, primum in carcerem truſus, mox, (priſca id exigente Venetarum legum ſeveritate) torturam eſt paſſus; gravique deinde pœna damnatus, quam duriorem effecit ſtatutum ſibi a Supremis Comitiis æternum exilium. Hanc Reipublicæ gubernandæ diſciplinam ſano quidem conſilio tenebant majores, eamque ad augendam Dominii felicitatem plurimum valere putabant; neque minori ſeveritate præclariſſimos cives, quam reliquos vulgi homines in officio continere ſtudebant, ut ſuperiorum exemplo diſcerent ſubditi optimis legibus obſequi, easque venerari.

Anno 1447. Antonius Diedus. Per hæc tempora cum 119
multi Cretenſium (Patritii præſertim) magna vi æris alieni gravarentur, Judæis non ſine injuſtiſſimo fœnore ſuppeditantibus, & ad ejus ſolutionem ſeveriter urgerentur, & hinc extremum exidium familiis multis immineret, Univerſi-

verſitas Pheudatorum Candiæ & Sithiæ, ut tanto occurreret malo, Philippum Corrarium & Nicolaum Donatum anno 1449. ſuos ad Venetam Rempublicam Legatos deſtinavit. Hi itaque cum nobiliſſimæ Coloniæ, & totius Cretenſis populi vexationem, & rei domeſticæ anguſtias expoſuiſſent, legem in Comitiis Rogatorum latam die XVI. Auguſti impetrarunt, qua cautum eſt, ne Judæis deinceps pecunias Cretenſibus, niſi ſuſcepto mobilis rei pignore, mutuas dare liceret. Tres etiam Cretam miſſi fuerunt Proviſores Andreas Fuſculus, Marcus Zenus Eques, & Zacharias Valareſſius, qui, inter cætera eis demandata, iniquas etiam Judæorum uſuras tollerent, ipſosque æquis conditionibus quieſcere juberent.

Nec ſatis quidem habuit perfida Judæorum natio Cretæ degens Chriſtianos iniquis adeo moleſtiis divexare, ſed ut Religioni etiam illuderent, teneros agnos (fortaſſe quia fideles pueros captare nequiverant) in Jeſu Chriſti contumeliam cruci affixerunt, cujus facinoris nuntium cum Venetias delatum eſſet, Conſilium XL. virorum ad Criminalia Cretenſi Regimini mandavit, ut omni ſtudio in impios, qui adhuc ignoti erant, inquireret, publico etiam præmio iis propoſito, quorum opera ſceleſti homines detegerentur.

„ Franciſcus Foſcari Dei Gratia Dux Venetiarum &c. „ Nobilibus, & ſapientibus viris Bernardo Balbi de ſuo man„ dato Duchæ & Conſiliariis ſuis, nec non Bernardo Bra„ gadeno Capitaneo Cretæ & ſucceſſoribus ſuis fidelibus di„ lectis ſalutem & dilectionis affectum. Significamus vobis „ qualiter in noſtro Conſilio de Quadraginta ad Crimina„ lia propter intromiſſionem & placitum Viri Nobilis An„ tonii Gradonico Auditoris Noſtri novi ſententiarum, & „ in hac parte Sindici a parte Levantis capta fuit pars te„ noris infraſcripti videlicet:

„ Che per autorità di queſto Conſeglio ſia ſcritto al Re„ gimento di Candia, che per haver al tutto la verità degl' „ agnelli crocifiſſi in qualunque ſi foſſe, ſia proclamato in

la

„ la Piazza, & in la Giudaica di Candia, che ſe alcuno
„ accuſerà, o denonzierà, darà indizio overo ſegno, per il
„ quale ſi habbia la verità, non eſſendoſi avanti del rice-
„ ver queſte lettere ricavata la verità, debba aver in qua-
„ lunque modo faceſſe venir in luce il detto caſo ducati
„ domille d'oro delli beni delli colpevoli, e ſe quelli non
„ haveſſero da pagar ſia dati delli beni della Giudaica in
„ Candia, e ſe il denontiante haveſſe havuto parte o col-
„ pa nelli predetti peccati ſia liberamente aſſolto, e gli ſa-
„ rà creduto. Et ſe alcuno ſapeſſe del predetto caſo delli
„ agnelli Crociſiſſi, e lo taceſſe ſin al fine di ſei meſi do-
„ po fatti li proclami ſudetti, e che foſſe convinto d'aver-
„ lo ſaputo, tutti li ſuoi beni ſiano meſſi in Commune di
„ Venetia, e lui ſia condannato a finir la ſua vita in una
„ prigione ſerrata all'oſcuro, e per queſta cauſa poſſa eſ-
„ ſer preſo in tutti li luoghi della Signoria Noſtra così da
„ mare, come da terra, e non ſi poſſa far gratia, dono,
„ o remiſſion, compenſation, interpretation ſe non per li
„ Conſiglieri, tre Capi di XL. e quattro parti del Maggior
„ Conſiglio, e ſe paſſato il detto meſe non foſſe venuta in
„ luce detta iniquità, alcun pur accuſaſſe overo denon-
„ tiaſſe come ſopra, habbia medeſimamente li predetti duc.
„ do mille, e ſia aſſolto d'ogni pena che poteſſe meritar
„ per haver avuto parte nelli detti peccati, o per haver
„ quelli tacciuti.

„ Quare cum dicto Conſilio noſtro de Quadraginta fide-
„ litati veſtræ ſcribimus & mandamus, ut dictam partem
„ obſervetis, & obſervari faciatis, exequatis, & executio-
„ ni mandari facere debeatis inviolabiliter, facientes has
„ noſtras litteras in actis veſtri Regiminis ad futurorum me-
„ moriam regiſtrari.

Ut autem hanc ſeveræ inquiſitionis legem in XL. virali Conſilio proponeret Antonius Gradonicus, qui ex ſui magiſtratus officio hoc agere tenebatur, hortatores potiſſimum fuerunt, Laurentius Juſtinianus Sanctiſſimus Venetiarum Patriar-

triarcha, & Ludovicus Fuſcarenus vir in Republica clariſſimus, quorum ille gravibus verbis, iſte vero prolixa, prout erat Judaicæ perfidiæ infenſiſſimus, epiſtola, Antonii Gradonici pietatem obteſtati ſunt, ut quemadmodum de alio graviſſimo crimine Eccleſiæ ſcilicet profanatione Hebræos detulerat, ita pariter ad nefandum hoc ſcelus ulciſcendum Judicum Capitalium authoritatem & juſtitiam imploraret, excitaretque. Ampliſſimi Senatoris etſi haud brevem epiſtolam veluti piiſſimi animi teſtimonium hic opportune afferre cenſeo, tum quia peculiaribus iisque non ſpernendis affluit eventuum circumſtantiis, tum quia gemina Hebræorum facinora, Eccleſiæ ſcilicet fœdiſſima turpatio, & Agnorum crucifixio ad Cretam Inſulam potiſſimum attinent, ubi patrata fuerunt.

Pugnandum contra nefandum Judæorum genus, qui homines & agnos crucifigunt. Ludovicus Fuſcarenus Anthonio Gradonico ſalutem.

„ Ex delictis quæ tu ſtudioſiſſime contra Hebræorum per-
„ nicioſiſſimam crudelitatem inquiſiviſti, unum de ſacrilega
„ immolatione ita univerſis pateſacere decrevi; quod nemo
„ poſthac ſit tam amens qui dubitet, vel improbus qui neget
„ nequiſſimos Judæos agnos temporibus noſtris paſſim crucifi-
„ gere. Prophetas occiderunt, Sanctos interfecerunt, Solem
„ natum non admiſerunt, in tenebris vivunt, olim filii, canes
„ effecti ſunt. Servanda negligunt, & negligenda ſervant;
„ Deum tamen numquam cognoverunt, ſicuti divina teſta-
„ ta eſt veritas. Si patrem meum cognoviſſent, me utique
„ cognoviſſent. Ymo contra Dei filium clamaverunt crucifige; ſanguis ejus ſuper nos & filios noſtros, quibus nefandis precibus in non ſanandam rabiem poſteri eorum ſucceſſere; idemque facturi ſunt nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Qualiter Chriſtianos myro ſemper odio
„ perſecuntur, horum ſevitiem non illuſio, non injurie, non
„ flagella, non verbera, non Domini mors, non martyrum

tor-

„ tormenta exſatiant, temporum diuturnitates & miracula
„ non divertunt, ſed contrario ad auriendum ſanguinem no-
„ ſtrum laniandaque viſcera fiunt ardentiores, & nulla ca-
„ lamitatum noſtrarum miſeranda voragine expleri queunt.
„ In Ponto veluti noviſti ſervum a pyratis emptum ſacra-
„ tiſſima baptismatis aqua loctum crucifixerunt. O ſpecta-
„ culum miſerum & acerbum. O venerandæ Crucis neſan-
„ diſſimum ludibrium. O Chriſtiani nominis dedecus. O
„ ſceleſtiſſimum facinus ne dum crudeliſſimorum hominum,
„ ſed ſevarum immaniumque belluarum. O injuria non ſe-
„ renda, quo confugient? quem implorabunt? qua ſpe te-
„ nebuntur Chriſticolæ, ubi tuto erunt, ſi noſtris in regio-
„ nibus miſere mactantur? Qui ſemper Chriſti vexillum de-
„ tulimus, qui quingentis annis per urbem conditam num-
„ quam ferme niſi contra infideles arma ſumpſimus. Qui
„ pluries quam decies ſepties labentem Eccleſiam noſtris hu-
„ meris ſubſtulimus, titubantem ereximus & prope periclí-
„ tantem ſervavimus, qui Pontifici cæterisque fugientibus
„ crudeliſſimorum hoſtium furores, portus & ara fuimus.
„ Indignum eſt non damnatos homines in jurisdictionibus
„ noſtris injurioſius appellari, Scelus verberari, non feren-
„ dum necari; Quo nomine appelletur in cruce levari, ne-
„ ſcio, quia humanitas læditur publica poteſtas negligitur di-
„ vina majeſtas violatur. Iniquum eſt per nos, illos qui in
„ Rempublicam delinquunt ſummo ſtudio propoſitis premiis
„ & capientibus & occiſoribus perquiri, in eos vero qui in
„ Deum injurioſi ſunt, nullo modo animadvertere. Idcirco
„ tibi ſuadeas velim ſi vita cum morte commutanda fuiſ-
„ ſet, hæc ſeveriſſime vindicaſſem ſi ad Turchos ſceleſtiſſimi
„ homines non confugiſſent. Sed quid ego deploro ea quæ
„ in ſolitudine acta ſunt: Nonne auctor teſtis ſpectator &
„ adjutor fuiſti nobis aperienti oculos eorum, quibus in ea-
„ dem Inſula in foro maxima cœcitas allata eſt. Nulla con-
„ ſuetudine nulla lege, nullo jure, nullo exemplo. Domus
„ Chriſtianorum Judæis vendita fuit, cui ſacer locus inerat:

„ Abraſe turpiter, delete Sanctorum imagines Signato ore
„ effoſſis oculis venerandumque templum immunditer dedi-
„ catum eſt. Non paſſus Deus Omnipotens tam crudele ne-
„ phas celari lucem, cereos plurimos ibi fulgere voluit.
„ Hoc vidit univerſus populus, ſacrilegium cognitum nec
„ vendicatum eſt: Hac patientie facilitate, furor, & ſce-
„ leris audatia effrenatum Judæorum animum importuna-
„ que naturam ad tantam deduxit inſaniam, quod ipſi tur-
„ piſſimas ſervas ſuper altari parere coegerunt, ubi panis
„ in Chriſtum ſacris Sacerdotis verbis convertebatur. Qua-
„ propter expertus Deus Græcos homines tam cecos, quod
„ celeſtem lucem ſe oculis ingerentem non viderent, defi-
„ cere voluit luminaria; tenebaturque temporibus noſtris
„ domus a ſceleſtiſſimis Judæis, patientibus præſidibus & fa-
„ ventibus multis. Hanc rem ad nos pie detuliſti, maxime
„ mihi ſtomacus motus eſt, & Senatus auctoritate omnia
„ Decreta diſſolvimus, licet maximi ordinis ſententia firma-
„ ta eſſent, domum Chriſtifidelibus reſtitui cenſuimus, Ec-
„ cleſiam ædificari juſſimus, prohibuimusque gravi cenſura
„ ne impoſterum domus illa hebræorum dominio cedere poſ-
„ ſet: Sed miraculum hoc apud futuros homines ſummo
„ cum honore celebraretur. Agnum vero crucifigi, ut ad
„ illud potiſſimum redeamus, cujus gratia ſcribere cepimus
„ quoniam tu Senatui declarare non potuiſti, ſuadente etiam
„ ſanctiſſimo patre Laurentio Juſtiniano, cujus clementia in
„ crudelitatem piam tunc verſa fuit. Ego tibi impræſen-
„ tiarum non argumentis dyaleticis non conjecturis, non te-
„ ſtibus, non tormentis, non mortali ratione probare, ſed
„ divino miraculo demonſtrare conſtitui. Dum in Utinenſi
„ Concilio contra Judæos, quibus perpetuum bellum indixi,
„ contumeliofius dicerem: quidam pauper plenus fidei ſe
„ cum multis vidiſſe teſtatus eſt, hominem ditiſſimum mi-
„ ſerrimum effectum, quoniam agnos Judæis crucifigendos
„ vendiderat: Volui rem diligentius perſcrutari & multo-
„ rum comprobatione didici Judæum olim quam peſſimum,

qui

„ qui ſi adeſſet, mihi penas daret, in cœna Domini Agnum
„ a paſtore quodam Sauſco emiſſe. Poſtero die Paſſionis Lu-
„ pus oves Sauſci comedit, ſequenti anno dum peculius Lau-
„ ſenus reſeciſſet canesque multos & paſtores cuſtodes gre-
„ gi appoſuiſſet, Stabula firmaſſet, lupi iterum facta fovea
„ ſubterranea domum munitiſſimam ingreſſi univerſum gre-
„ gem occiderunt eo iterum die, quo Sol deficiens pie Crea-
„ toris mortem denuntiavit. Quia nihil invitis fas eſt quem-
„ quam fidere divis. Tertio demum ſolis curſu Sauſcus cum
„ cæteris ex familia, qui venditionis participes fuerant pe-
„ ſte periit. O deteſtandam patientiam ymo verius demen-
„ tiam ſi non intelligimus aut patimur acerrimos Chriſtiana-
„ rum gentium hoſtes in hiis perverſionibus verſari, ſi Si-
„ nagogas, ubi pueri venenatis his dogmatibus erudiuntur,
„ ubi maledicitur Deus, & in ejus irriſionem ceditur
„ agnus, ubi dæmones conveniunt propter quos a Deo de-
„ ſerimur, non deſtruimus, & ubi quando maxime flemus,
„ feſta in oculis noſtris peſſimi jocundiſſime celebrant. Le-
„ pidus ab hyberis rediens juſſit populum Romanum inter
„ vulnera proſcriptiones & mortes leta fronte triumphum
„ agere, ut Imperatoris gloria juſtiſſimis meroribus ſuis an-
„ teponeretur. Et nos mutata veſte inter omnes veri piique
„ meroris noſtri dominicæ paſſionis demonſtrationes audimus
„ videmus ipſius interfectores corheis muſicis plauſibus domo
„ clauſos feſta in Chriſtianis urbibus celebrare. Homines &
„ agnos crucifigere, depaſcendi odii, divini numinis deluden-
„ di, & noſtri doloris augendi cauſa erudire, prophetarum per-
„ verſiones edere contra nos, ſanctos libros peſſime interpre-
„ tari, perdurare contra veritatis precones. Hii ſceleſtiſſimi
„ majori ſunt odio digni quamquam ſi inter eos prophetæ nati
„ non fuiſſent nec fere debemus diutius hæc loca in divinitus
„ nobis dato imperio manere ubi dæmones habitent, ubi ad
„ Chriſtum deludendum agnum occidendum conveniunt, ubi
„ crux Pater Filius & Spiritus Sanctus contemnuntur. Nu-
„ ma Pompilius juſſit ſibilinos libros comburi quia videban-

„ tur ad diſſolvendas ſuperſtitiones pertinere; & principes
„ Chriſtianorum domos Hebræis concedunt, ad ſinagogas
„ conſtruendas vel reficiendas, ad paranda dæmonibus di-
„ verſoria. Unde pernitioſa dogmata errorum fomenta,
„ fidei everſiones, morum oppugnationes naſcantur; ydola
„ aboremus, templa aliis diis fieri non patimur, & Judæis
„ maledicendi Redemptorem noſtrum licentiam commodi-
„ tatemque præſtamus. Magicas artes prohibemus, quibus
„ dæmones divinis nominibus coerceri a quibusdam credun-
„ tur, & non contradicimus illis, qui Deum dæmoniacis
„ maledictionibus deteſtantur; fraudes ſeminant, ſimplices
„ capiunt, qui noſtra patientia & culpa ruunt. Quamobrem
„ cum ſummæ inſipientiæ ſingularisque nequitiæ ſemper ar-
„ bitratus ſim, contra Judæos non peſſime ſentire & vehe-
„ menter loqui, quoniam adverſus legem noſtram nosque
„ omnia contendunt, Hebræos Senatu annuente Maroſtica
„ excluſi, ubi publico foro Sinagoga ita proxima erat, quod
„ maledicta audiebantur, eoque miſer populus deductus fue-
„ rat, quod Chriſtus ab impiis ſacrilegis violator, Dei ini-
„ micus, juſte crucifixus decantabatur, audientibus, patien-
„ tibus, ridentibus illis pro quorum redemptione vitam cum
„ ſanguine fudit. Hæc dixi non inflamandi tui cauſa, qui
„ ſapienter & pie multo plura univerſis indicare conſuevi-
„ ſti, ſed tibi declarandi me in ſententia perſiſtere contra
„ Judæos agnum crucifigentes pugnandum, contumeliis igno-
„ miniis genus infandum afficiendum eſſe; ſicque te tua
„ ſponte currentem hortor & oro; Victorem quam Coro-
„ nam patronos, cæterosque habebis martyres omnes opti-
„ mos adjutores, qui illi ardentiſſime credunt, quem illi
„ ſceleſtiſſime deteſtantur, pro Chriſto piiſſime mortui ſunt,
„ quem Judæi crudeliſſime interfecerunt. Nec tibi deerit
„ Senatus favor. Expertus loquor. Multa contra perditiſ-
„ ſimos Hebræos nova & inaudita molitus ſum, eo quo
„ ab hac ſpirabo vita conabor ſupraverti continuo ſuffra-
„ gia vota noſtra. Aderit ſemper maximus & fideliſſimus

exer-

„ exercitus, ſint modo Chriſtiani & fortes Duces. Vale.

Bernardum Balbum quem in ſuperius allato XLvirum Criminalium Decreto legimus Ducham Cretæ enuntiatum, aſſerit Andreas Cornelius in Chronico fuiſſe immediatum Antonii Diedi Duchæ ſucceſſorem, cui tamen anno 1449. ſuſfectum fuiſſe Joannem Juſtinianum Equitem, qui ſortaſſe vel munus ſubire detrectavit, vel ad aliud munus ſtatim devectus fuit, notatum legitur in antiquo ms. codice, in quo Elenchus habetur Chronologice digeſtus Ducum Cretæ. Joanni itaque Juſtiniano vel recuſanti, vel alias abeunti ſucceſſit anno 1450. Bernardus Balbus ſupramemoratus. 121 122

Anno 1453. Benedictus Victurius, cujus prudentia occultas peſſimorum hominum inſidias evitare valuit, & diſſipare. Rem ita memorat Andreas Cornelius in Chronico. Græculus quidam Rethimenſis Siffius Ulaſtò nomine, Veneti jugi impatiens occultis ſuaſionibus ſocios non paucos ad neſariæ rebellionis ſcelus allexit. Quum autem inſtructa Venetorum arma trepidaret, ſi in apertam defectionem proſiliret, diabolico conſilio diſpoſuit, Venetos Magiſtratus, & primarios ex Latinis viros ſtatuta die in ſingulis Inſulæ civitatibus repentina internecione delere, eaque clade peracta exterum aliquem Principem ad Regni Dominium evocare. Interea dum ad enorme facinus conſilia & arma parantur, Græcus quidam Presbyter Limas de Rethimo, & David Maurogonatus natione Hebræus fœdiſſimæ conſpirationis conſcii ad Ducham accedentes ei rem omnem fideliter aperiunt, qui in auxilium evocato Andrea Calergio Georgii filio & Alexii nepote viro conſtantis in Venetam Rempublicam fidei, perduelles omnes mira celeritate in vincula conjecit, mox turpiſſimo ſupplicio affici mandavit. Limæ Papati deinde, & Davidi Judæo præmia ex ærario publico, & perpetui redditus aſſignantur, & Andreas Calergius plurimis laudibus a Senatu in data ad Eum epiſtola commendatur. 123

Ut autem commodiori Cretenſis populi ſtatui conſuleretur,

tur, inſtante apud Venetum Senatum Antonio de Medio Univerſitatis Pheudatorum Candiæ Oratore certæ leges in Rogatorum Comitiis latæ fuerunt, & Victurio Duchæ miſſæ, qui eas ad exequutionem traduceret. In iis inter cætera ſtatutum fuit, *quod quoniam per celebrationem multarum feſtivitatum fideles populi Cretæ multa damna & jacturas patiebantur, nemo, ultra feſtivitates ordinatas celebrari per Romanam Eccleſiam compelli poſſet per Regimen Cretæ & aliorum locorum ad celebrationem alicujus feſtivitatis niſi quantum pro devotione ſua quilibet celebrare voluerit.*

124 Anno 1456. Gerardus Dandulus, cujus regiminis tempora Cretenſi Inſulæ ob peſtilentiæ morbum per univerſa loca diffuſum funeſta fuere.

125 Anno 1459. Leonardus Duodo.

126 Anno 1462. Laurentius Mauro. Peſſimum per hæc tempora & deteſtabile ſcelus in Cretæ Inſula, & præcipue in civitatibus Candiæ & Sethiæ invaluerat, quidam enim audaciores juvenes Virginum puellarum amore capti, ut ſibi in matrimonium facilius provenirent, etiam in viis & compitis auſu furioſo aggrediebantur, oſculisque & turpi amplexu dedecorabant, ſicque illata publicæ ignominiæ nota parentes etiam invitos ad concedendas filiarum nuptias adigebant. Quum autem crimen hoc gravi adeo, ut merebatur, pœna haud afficeretur, majora in dies ſuſcipiebat incrementa, quare iis per Marcum Maurum, & Matthæum Mudacium Pheudatorum Candiæ & Sithiæ Oratores, ad hoc & alias res agendas deſtinatos, rite acceptis, Venetus Senatus lata lege decrevit, ut ſi quis deinceps *motu temerario vel furioſo tale facinus* perpetraſſet publico patibuli ſuſpendio mulctaretur. S. C. Duchæ & Regimini Cretenſi miſit Chriſtophorus Maurus Dux Venetiarum datis die VII. Septembris publicis epiſtolis anno MCCCCLXII.

„ Chriſtophorus Mauro Dei Gratia Dux Venetiarum &c.
„ Nobilibus & ſapientibus viris Laurentio Mauro de ſuo
„ mandato Duchæ & Andreæ Leono Capitaneo & Conſi-

liariis

„ liariis eorum & eorum ſucceſſoribus fidelibus dilectis ſa-
„ lutem & dilectionis affectum. Denotamus vobis, quod pro-
„ ximis hiis diebus ad noſtri Dominii fuere præſentiam No-
„ biles viri ſer Marcus Mauro & Maphæus Mudatio Ora-
„ tores Nobilium, & Pheudatorum iſtius noſtræ civitatis
„ Candidæ, & Sithiæ & eorum nomine porrexerunt nobis
„ nonnulla Capitula, ad quæ cum noſtro Conſilio Rogato-
„ rum fecimus reſponſiones noſtras ſicut hic inferius par-
„ ticulariter videbitis contineri. Quoniam elapſo tempore
„ maximum & intolerabile facinus perpetratum fuit ob ma-
„ lignam & temerariam & ſceleſtam quamdam audaciam
„ aliquorum juvenum; quod atrox facinus quantum, ut
„ merebatur, punitum non fuit, ſingulis annis creſcit mul-
„ tiplicando, nam aliqui ſcelerati juvenes ſine aliquo vel
„ Dei, vel Dominii timore aggrediuntur puellas virgines per
„ vias publicas, ut ad deſpectum parentum tali infamia per-
„ acta poſſint illas uxores habere. Cum igitur ſit ſcelus ne-
„ fandum, & nulli unquam genti tam feræ, quam barbaræ
„ uſitatum immo omnibus ſæculis inauditum, ut virgines
„ ingenuæ rapiantur a lupis rapacibus ex qua re facillime oriri
„ poteſt maxima totius civitatis perturbatio. Ideo ſupplicatur
„ Illuſtr. Dominio noſtro, quod placeat ei providere in hu-
„ jusmodi atrocibus caſibus, quod ſi aliquis deinceps motu
„ temerario vel furioſo tale facinus perpetraverit, ut am-
„ bæ ejus manus abſcindantur, ut aſperitate pœnæ ceſſare
„ poſſint, & erit omnibus grata, & cauſa ſecuritatis & pa-
„ cificationis, & quod nulla conventione poſſint matrimo-
„ nio conjungi, de qua condemnatione nulla gratia vel re-
„ miſſio poſſit talibus neſandis fieri. Reſpondeatur, quod
„ ſuſpendatur adeo ut vitam penitus ammittat.

„ Dat. in noſtro Ducali Palatio die 7. menſis Septem-
bris Indictione VI. anno MCCCCLXII.

Alio etiam decreto ſtatuit Senatus anno 1463. die 8. Septembris (id potiſſimum requirente Antonio Gallina Pheudatorum Cretenſium Oratore) ut Nobiles Coloniæ, voca-

ri

ri deberent *antiquo eorum titulo Nobiles Pheudati*, *& quod ſuper qualibet galea in Cretæ Inſula armanda*, *ac etiam ſuper qualibet navi ire deberet unus de Nobilibus Cretenſibus*.

Poſt hæc auſteram legem, qua (ut ſuperius dictum eſt) Proviſores Veneti in Cretam miſſi inhibuerant, ne quis intra Laſſiti, & Anapolis terminos domos ſtruere, terram exercere, aut animalia ad paſcua ducere auderet, revocavit eodem anno 1463. die 30. Novembris Senatus, eo potiſſimum intuitu, ut ingens tritici copia præſidio eſſet ad opportunitates ſacri belli, quod adverſus invaleſcentem Turcarum potentiam Chriſtiani Principes inito fœdere condixerant. Hanc tamen colendi agri facultatem duraturam fore, decreverunt P. C., *per id tempus quo duraret confœderatio facta inter Summum Pontificem* (erat is Pius II.) *Ducem Burgundiæ*, *& Venetum Dominium*, *quæ per triennium ſancita* fuerat.

MCCCCLXIII. Die ultimo Novembris.

„ Regimen noſtrum Cretæ reſpondens litteris noſtris ſu-
„ perioribus menſibus ſibi ſcriptis ſuadet, & hortatur quod
„ per viam affictationis, aut cultivationis ſeminari faciamus
„ loca Laſythi, Lephternie, Anopoli: ex quibus tanta fru-
„ menti quantitas colligetur, quod non ſolum victui Inſu-
„ læ, verum omnibus aliis noſtris neceſſitatibus affatim ſa-
„ tisfiet & ſicuti omnes intelligunt pro expeditione genera-
„ li adverſus Turcum hoc anno futuro ſit maximus homi-
„ num concurſus futurus providendum eſt, quam majorem
„ frumenti quantitatem poſſibile fuerit cumulare præcipue-
„ que cum Turcus ipſe Scaloſias omnes ſui Dominii clau-
„ di fecerit. Quamobrem vadit pars, quod ipſi Regimini
„ reſpondeatur noſtro Dominio admodum placuiſſe recorda-
„ menta ſua: ideo velle ſibique mandare quod loca ipſa
„ ſicuti ſcribunt per viam affictationis, ſeu cultivationis ſe-
„ minari faciat ſicuti ei melius, & utilius pro noſtro Do-
„ minio videbitur: adhibentibus ipſis circa hoc omne ſtu-
dium,

Digitized by Google

„ dium, & accuratiſſimam diligentiam facientibusque omnes
„ illas proviſiones, quæ ei neceſſariæ videbuntur quod per
„ hujusmodi ſeminationem nullum ſtatui noſtro periculum
„ accidat : quemadmodum de ſolita prudentia ſua confidi-
„ mus, quia nos certos reddimus quod ſi quod periculum
„ de hoc, ſtatui noſtro accidere poſſe intellexiſſent, id noſtro
„ Dominio non ita large perſuaſiſſent & ſi ante ſeminari
„ facere non poſſet provideat penitus, quod hoc menſe Mar-
„ tio ſeminentur ſuprafcripta loca quanto abundantius fie-
„ ri poterit, & duret hujusmodi proviſio per id tempus,
„ quo durabit confederatio facta inter Summum Pontificem
„ Illuſtr. Ducam Burgundiæ & noſtrum Dominium, quæ
„ per triennium ſancita eſt.

Hoc publicæ voluntatis mandatum complere debuit Jaco- 127
bus Cornelio Ducha 1464. Laurentio Mauro ſuffectus, qui cum perparce uberrimis iis locis ad ſerendas ſegetes uſus fuiſſet, acrem a Senatu objurgationem retulit ſequenti epiſtola, quam ideo in lucem effero, ut innoteſcat quali conſtantia majores noſtri levia etiam omiſſionum crimina in ſuis civibus reprehenderint.

1465. *Die* 21. *Martii*.

„ Certiores per veſtras litteras facti ſumus vos ſeminare
„ feciſſe in locum Laſiti menſuras tantum C.C.C.C. fru-
„ menti, ſtaria videlicet LXXX. Veneta, quod nobis diſpli-
„ cibilius aut moleſtius eſſe non potuiſſet; vobis enim no-
„ tiſſimum eſt, quam conſulte, quamque conſtanter, & af-
„ fectuoſe deliberatum eſt in Conſilio Rogatorum, ut locus
„ ille ſeminetur, qui cum natura tum ſoli, tum etiam ae-
„ ris feraciſſimus ſit, & capaciſſimus ſementis multarum mil-
„ lium menſurarum frumenti, nobis perſuaſeramus, & ani-
„ mo ſpem quodammodo certam conceperamus, ex loco illo
„ omnibus noſtris neceſſitatibus Orientis & aliis poſſe mira-
„ biliter ſuccurrere & ſubvenire. Vos vero, neſcimus qua
„ ratione ducti, ſpem, & expectationem hujusmodi noſtram

„ fruſtrati eſtis unde mentis noſtræ diſplicentiam exprime-
„ re non poſſumus & cum Conſilio Rogatorum vobis effi-
„ caciſſime & expreſſe mandamus quod quantum gratiam
„ noſtram caram habetis, & honorem veſtrum exiſtimatis,
„ locum ſupraſcriptum Laſiti ſeminari totum faciatis quam-
„ primum tempus ad ſementem jacendam idoneum adve-
„ nerit, factis prius omnibus opportunis, & neceſſariis pro-
„ viſionibus omnique adhibita cura, ut fructus conveniens
„ ex impenſa, & ſemente percipi poſſit & aut incuria,
„ aut negligentia aliqua labor, & impenſa non ammittatur:
„ provideteque cum effectu quod animalia cujusvis ſortis, be-
„ ne intelligimus limen veſtræ voluntatis eſſe adverſatum,
„ locum ipſum non ingrediantur ſub illis pœnis, quæ ho-
„ mines merito a contrafactione habeant continere, nam ſi
„ ſecus factum intellexerimus, providebimus per modum
„ quod re ipſa intelligetis quam moleſte tulerimus talia,
„ & tanti momenti, & importantiæ mandata noſtra non
„ habuiſſe illam reverentiam, & obſervantiam, quam ha-
„ bere digna ſunt.

Publica hac Senatus indulgentia, quam ad agros colendos ſolum extendi perſpicuum erat, adeo abuſi ſunt vaſerrimi Ruſtici, ut non multo diu poſt in ſuſpectis locis mapalia extruxerint, & domos etiam ad fixas ſedes familiarum ædificaverint. Ex audaci hac ruſticorum unione cum novas rebellionibus fieri poſſe opportunitates ſuſpicarentur Nobiles Pheudati, rem per Legatos ſuos Matthæum Mudaccium, & Nicolaum Grimanum Senatui Veneto ſignificatam voluerunt, cujus authoritate ſtatutum fuit anno 1471. ut erectæ habitationes ad ſolum proſternerentur, iterumque Anapolis & Laſiti loca ad deſertum adducerentur, quod tamen publicæ voluntatis decretum ita anno 1497. temperatum fuit, ut prædia intra Laſiti, Lephterniæ & Anapolis fines coli quidem poſſent, circa ipſa tamen a Cretenſi Duca ejusque Conſiliariis omne ſtudium, & accuratiſſima diligentia adhiberetur.

Die

Die 11. Septembris 1497. In Rogatis.

„ Regimen noſtrum Cretæ per litteras ſuas diei XXII. „ Julii præteriti lectas huic Conſilio requiſivit Dominium „ noſtrum permittere velit ob annone caritatem in Inſula „ illa quod locus de Laſithi in ipſa Inſula ſeminari poſſit „ & intellectis, & bene ponderatis rationibus & cauſis, quæ „ occurrere poſſunt in hac materia & præſertim quod alias „ per hoc Conſilium deliberatum fuit in 1463. die ultimo „ Novembris quod per viam affectationis, ſeu cultivationis „ Regimen illud ſeminari faceret loca Laſithi, Lephterniæ „ Anopoli &c.

„ Vadit pars, quod ipſi regimini reſpondeatur nobis ad- „ modum placuiſſe memoramenta ſua ideo velle ſibique man- „ dare quod loca ipſa ſeminari faciat ſicut ei melius & uti- „ lius pro noſtro Dominio videbitur adhibentibus ipſis cir- „ ca hoc omne ſtudium & accuratiſſimam diligentiam ſicu- „ ti res exigit.

Interea poſt acceptas Senatus litteras Jacobus Cornelio Ducha ex gravi peſtilentiæ morbo, quo Creta Inſula afflictabatur, vitæ ſuæ terminos explevit. Eo defuncto atque in Sancti Franciſci Eccleſia tumulato Regni adminiſtrationem ſuſcepit Dominicus Marcello tunc temporis Capitaneus, cui paulo poſt defuncto, & in eadem Sancti Franciſci Eccleſia ſepulturæ tradito ſucceſſit Franciſcus Zuſto Conſiliarius.

Anno 1466. Bernardinus Donatus, ut ex Codice Regi- 128
minum Reipublicæ patet, Provinciam Cretæ ſuſcepit adminiſtrandam. Codicis autem hujus authoritatem hoc loco profero, ne ſi quis epiſtolam Candiani Bollani ms. ad Andream Hungarum Carthuſienſem legat datam anno MCCCCLXVI. in qua ipſe Bollanus ſe ad Præturam Cretenſem vocatum dicit, ex hoc æquivoco inter Candienſes Duchas ad hunc annum Bollanum inſerat, qui circa ea tempora in Inſula Cretenſi Militiarum Præfectus, ſeu, ut vocant, Capitaneus

delectus fuerat. Brevis epistola quam Candianus commentariis super Genesim a se compositis præfixit, extat in Veneta Sanctorum Joannis & Pauli Bibliotheca, ubi hæc leguntur: *Ores pro me, qui ad Præturam Cretensem vocatus sum... Proficiscar usque ad dies octo decemve ad plus ad Præturam Cretensem. Ex Urbe die 14. Martii 1466.* Quum igitur certum compertumque habeamus, eo anno delectum fuisse Ducham Cretæ Bernardinum Donatum, aperte agnoscimus Præturam pro Præfectura Candianum in sua epistola reposuisse.

129 Anno 1469. Hieronymus de Molino difficillimis Reipublicæ temporibus Cretæ Ducha præfuit, quibus Turcæ victoriis elati inter cætera damna Christianis populis illata etiam maritimas Cretensis Insulæ regiones abductis inde captivis fœde vastaverunt. Ut igitur ad fœvos hostium incursus omni vi arcendos, promptiores validioresque redderentur, Pheudati Cretenses Matthæum Mudacium & Nicolaum Grimanum Legatos ad Venetos P. C. destinarunt anno 1471. ut præ cæteris arma & subsidia ad Regni propugnationem exposcerent. In hujusce autem Legationis expositione, dum de Candiæ Rectoribus agunt Oratores, hæc proferunt. *Sicut hoc tempore ab istis nostris justissimis Candidæ Rectoribus jus justissime administratur, ita per totam Insulam Cretæ cupimus administrari.* Verba hæc Oratorum in litteris Christophori Mauri Ducis Venetiarum anno 1471. die 12. Octobris ad Hieronymum de Molino Ducham aliosque Candiæ Rectores datis recensita apertum reddere testimonium videntur de ipsius Hieronymi Duchæ integritate; attamen in patriam absoluto sui muneris cursu reversus, de malæ administrationis crimine apud Senatum culpatus fuit, quo dum se purgare conatur, gravi morbo correptus ad supremi Judicis tribunal tranſiit. Pari quoque modo eodemque tempore Aloysius Phaledrus, qui Militiarum Præfecturam in Candia egerat, a P. C. quod in commisso sibi munere deliquisset, perpetua officiorum in Creta, & præsenti Veronensis Reiminis, cui adlectus fuerat, privatione multatus fuit, cujus

qui-

quidem ſententiæ dolore graviter adeo affectus ſuit, ut mœrore tabeſcens brevi vitam expleverit die prima Aprilis anno 1475. Ad hunc modum antiqui Veneti in cives ſuos, ſi Provinciis præfecti in minora etiam errata lapſi eſſent, acriter animadvertebant, ut paucorum punitione reliqui in probitate firmarentur, & ſubditorum amor in dies erga Rempublicam augeretur.

Anno 1472. Benedictus Grittus, qui anno inſequenti 1473. die 19. Februarii e vivis exceſſit, & in Cathedrali Sancti Titi Baſilica ſepulturæ demandatus ſuit, cujus deinde vices explevit Nicolaus Caucus Militiarum Præfectus. 130

Anno 1475. Euſtachius Balbus. 131

Anno 1477. Joannes Piſanus. 132

Anno 1479. Jacobus Contarenus, qui ſecundo poſt ſuſceptam dignitatem anno in urbe Candienſi hominem exuit die 29. Decembris. 133

Anno 1480. Marcus Juſtiniano, qui mortalitatem cum expleviſſet in civitate Candiæ, ibidem in Eccleſia Cathedrali Sancti Titi tumulatur, & Regni adminiſtrationem cum Viceducha titulo habuit Fantinus Georgio Capitaneus. 134

Anno 1482. Lucas Navagerio. 135

Anno 1482. Marinus de Garzonibus, qui deinde Patavina Prætura functus Procurator S. Marci in ſupremis Comitiis enuntiatur anno 1501. die 8. Octobris. 136

Anno 1487. Nicolaus Leono Joannis filius poſt adminiſtratam laudatiſſime Provinciam in patriam redux Procuratoria purpura ornatus anno 1496. die 2. Martii. 137

Anno 1490. Bernardus Bembo, ſub quo univerſa Inſula horribili terræ tremore concuſſa ſuit. Sed & alio eo graviori quo diuturniori malo tunc temporis affligebatur Creta; cum enim ad ipſius adminiſtrationem præter Regimen (*quod quidem Regimen intelligebantur Ducha, Capitaneus & duo Conſiliarii* ex probatiſſimis Reipublicæ Civibus electi) multi quoque ad minora Magiſtratuum munera exercenda Cretam mitterentur Patritii Veneti nec ætate, nec morum diſci- 138

diſciplina *ad aliquam juris adminiſtrationem idonei*, non leves propterea omnibus Regni incolis querimoniæ cauſſas peſſimis agendi regendique modis dabant. Intoleranda hæc, & alia hujusmodi mala cum apud Venetum Dominium per Oratores ſuos deploraſſet Creta, juſſit juſta providentia Senatus, ut ad tollenda ſcandala Judices & Officiales, quorum delectus vel apud Veneta Comitia, vel apud Cretenſe Regimen ſtatutus fuerat, de cætero Cretæ eligi deberent, certa tamen prudentique ſtatuta electionis lege, cujus verba ex Cretenſis Cancellariæ regeſtis afferimus.

1490. *Die 23. Decembris in Rogatis.*

„ Cum petitiones Nobilium Virorum Nicolai Dandulo, „ & Benedicti Barbadico Oratorum, qui ex Creta huc ve- „ nerunt, jampridem per Dominium Noſtrum fuerint com- „ miſſæ Sapientibus Collegii utriusque manus pluries, & ſe- „ piſſime ipſi comparuerunt coram dictis Sapientibus: ac „ una cum illis comparuit unus alius ex Nobilibus Cretenſi- „ bus habens ab illis commiſſionem ſuper eadem cauſa, qui „ concorditer cum magno affectu paſſionis declaraverunt & ex- „ plicaverunt tot diſordines, extorſiones, violentias, & omniſa- „ riam inconvenientiam committi per magiſtratus, & officiales „ illius civitatis Candide & Inſule Crete, qui tam hic per „ majus Conſilium, quam ibi per illud regimen eliguntur „ quod profecto ſicuti ſunt cum evidenti offenſione Dei; „ & juſtitie cum maximoque dedecore, & ignominia Do- „ minii noſtri ita non debent absque magna diſplicentia, & „ moleſtia audiri, que omnia inconvenentia & enormia, ut pre- „ dicti referunt, procedunt precipue ex mala electione que „ fit ipſorum magiſtratuum & officialium. Nam quoque ad „ Judices & officiales de nocte, qui eliguntur hic per ma- „ jus Conſilium veniunt ad hanc urbem ex illis juvenibus „ Nobilibus Venetis, qui ſunt improbi, flagitioſi, & male „ nature, minime apti, neque idonei ad aliquam juris ad-

mini-

„ miniſtrationem, neque ad ullum gubernium, & quando
„ in majori Conſilio hic nominantur cum non habeant ſcon-
„ tros, eo quod nulli noſtrorum ex hac urbe curant illuc
„ ire ob parvitatem beneficii, dicti tales remanent, a qui-
„ bus quod ſervitium, & que adminiſtratio ſperari poſſit,
„ omnes intelligunt, quoad reliquos vero, qui ibi eligun-
„ tur, referunt omnes prefati Oratores quod ob modicam
„ notitiam, quam de illis habet illud regimen noſtrum &
„ ob alios reſpectus ab illis oratoribus declaratos, fiunt pro
„ majori parte tales electiones que ſunt cum univerſali di-
„ ſcontentamento omnium tam civitatis, quam Inſule, ita
„ quod ab ipſis officialibus venditur juſtitia, & opprimun-
„ tur pauperes illi ſubditi noſtri, usque adeo, ut deterius
„ dici non poſſit & ideo inſtant, & quotidie flagitant effi-
„ caciſſime ac omni importunitate, ut Dominium noſtrum
„ dignetur providere, quibus omnibus intellectis, decet offi-
„ cium hujus Conſilii occurrere predictis diſordinibus, in-
„ convenientibus, & enormitatibus per media que honeſtio-
„ ra & tutiora reperiri poſſint. Idcirco vadit pars, quod
„ omnes tam Judices, quam officiales de nocte, qui hic in
„ majori Conſilio eligentur pro Creta de cetero, eligi de-
„ beant Candide modis & ordinibus infraſcriptis, una cum
„ illis aliis magiſtratibus, & officiis qui & que ibi eligi ſo-
„ lent, videlicet preſens regimen Crete quod quidem regi-
„ men intelligunt Duca, Capitaneus & Conſiliarii eligere
„ debeant ad buſſulos & ballottas quatuor ex nobilibus
„ illis diverſarum domorum qui inter ſe & cum dicto re-
„ gimine non ſe expellant a capello intelligendo ſolummo-
„ do de Venetis noſtris Pheudatariis illius Inſule ex prima-
„ riis ſed gravioribus, & maturioribus qui quatuor electi ſta-
„ tim vocentur ad ipſum regimen & inſimul omnes clau-
„ dantur in loco ſecreto, ubi nullus alius praticare poſſit
„ quousque expedita erit infraſcripta ballotatio & imbuſſu-
„ latio, que expediri omnino debeat intra biduum ad lon-
„ gius, ut practicis & precibus obvietur, & ex conſequen-

ti

„ ti electio ſincerior fiat, qui omnes ſic convocati, & uni-
„ ti, tam ſcilicet Rectores quam quatuor electi ſolemniter
„ per Cancellarium illum ſacramententur, quod fideliter,
„ realiter, & ingenue cum omni ſinceritate memorabunt,
„ conſulent, nominabunt, & accipient illos, quos pro con-
„ ſcientia ſua meliores, & utiliores cenſebunt ad munera
„ exercenda, & quod inſuper tam ipſi electi, quam regi-
„ men non fuerint rogati. & ſi quis eorum rogatus fuerit
„ ballote ipſorum rogatorum ponantur in contrarium eorum
„ qui rogaverint, quo dato ſolemni Sacramento regimen
„ predictum diligenter & accurate a prefatis quatuor ele-
„ ctis ſe informet de omnibus illis Nobilibus Venetis, qui
„ apti idonei ſufficientes, & boni ſint ad illos magiſtratus
„ Candide videlicet ad judicatus, ad officium de Nocte, ad
„ advocariam, & ad illa alia officia, ad que ſolummodo
„ Nobiles Noſtri Veneti eligi ſolent qua informatione ha-
„ bita omnes illi Nobiles Veneti qui dicto regimini vide-
„ buntur, ballotari debeant ſecrete per ipſum regimen & per
„ dictos quatuor electos, declarando quod Duca & Capita-
„ neus ſemper in utraque ballotatione tam ſcilicet quatuor
„ Nobilium Conſulentium, quam aliorum Nobilium eligen-
„ dorum pro officiis utriusque ordinis & gradus, de quibus
„ infra, & in hoc capitulo, & in alio ſequenti dicetur po-
„ nere habeant duas ballotas pro quolibet ipſorum Duche
„ & Capitanei & omnes qui in ipſa ſupraſcripta ballota-
„ tione remanſerint usque ad illum numerum qui a dicto
„ regimine limitabitur ponantur in uno buſſolo advertendo
„ quod tot ſint, quot ſufficiant per biennium, & adhuc
„ excedant, atque ſuperſint, ut in omni caſu morientium,
„ refutantium, aut aliter deficientium habeatur completus
„ numerus totius temporis dictorum duorum annorum ex
„ quibus ſic imbuſſolatis poſtea de tempore in tempus ſi-
„ cuti vacabunt magiſtratus & officia extrahi debeant per
„ prefatum regimen tot quot vacabunt, qui omnes extra-
„ hendi ſint per annum unum tantum; & ſi quis extractus

refu-

„ refutaverit officium & magiſtratum ſtatim dilaceretur bul-
„ letinum nominis ſui quod amplius non reponatur in buſſo-
„ lo, & unus alius ejus loco extrahatur, & duret dicta imbuſ-
„ ſulatio per biennium ad beneplacitum hujus conſilii ut jux-
„ ta experientiam que videbitur poſſit provideri quo tempo-
„ re finito aut etiam ſi prius fortaſſis extractio imbuſſulato-
„ rum compleretur, iterum fiat nova imbuſſulatio per aliud
„ biennium modo & ordine quo ſupra, ut hoc pacto obvie-
„ tur inconvenientibus explicatis Dominio noſtro, hoc tamen
„ expreſſe declarato quod ſupraſcripti quatuor nobiles qui hac
„ prima vice eligentur pro facienda ballotatione predicta, &
„ imbuſſulatione, illico expedita illa, intelligantur functos fuiſ-
„ ſe munere ſuo, & non poſſint reeligi in alia ſubſequenti
„ ballotatione, & imbuſſulatione, ſed habeant contumaciam
„ usque ad tertiam ſecuturam imbuſſulationem & ita ſemper
„ in omnibus futuris imbuſſulationibus obſervetur, ut rectius
„ atque ſincerius omnia procedant.

„ Hoc etiam declarato quod ſi qui forſan ad unummet offi-
„ cium extraherentur, qui ſe expellerent a capello, ille eo-
„ rum qui primo fuerit extractus intelligatur bene remanſiſſe,
„ reliqui vero qui cum illo ſe expellerent, reſerventur ad
„ prima alia officia vacatura quorum ſic expulſorum loco
„ alii extrahantur, ut equum & honeſtum eſt.

„ Quoad reliqua vero officia tam civitatis Candide quam
„ Inſule Crete ad que eliguntur promiſcue illi Nobiles tam
„ ſcilicet Cretenſes quam Veneti, obſervari debeat modus in-
„ fraſcriptus videlicet preſens regimen predictum eligat ſimi-
„ liter ad buſſulos & ballotas duos ex dictis Nobilibus Venetis
„ maturioribus, & dignioribus & alios duos ex nobilibus Creten-
„ ſibus etiam ex melioribus. Et ſtatim convocatis illis datoque
„ juramento ſolemni, & obſervato ordine quo ſupra, dictum re-
„ gimen ab eis ſimiliter ſumat bonam informationem omnium
„ eorum utriusque ordinis, qui probi ſufficientes idonei & apti
„ ſint pro dictis officiis cujuscumque gradus & qualitatis,
„ qui omnes modo ſupraſcripto ballottentur ſecrete per di-

„ ctum regimen & per prefatos duos nobiles Venetos, &
„ duos nobiles Cretenſes electos factaque ballotatione, qui
„ remanſerint usque ad numerum limitatum a regimine ſi-
„ cut in precedenti capitulo declaratur includantur in duo-
„ bus buſſolis, in quorum uno ponantur Nobiles Veneti &
„ in altero Nobiles Cretenſes & de tempore in tempus quan-
„ do vacabunt officia extrahantur per regimen predictum
„ tot ex Nobilibus Venetis quot ex Nobilibus Cretenſibus
„ quibus pro dimidia dentur officia predicta per annum unum
„ tantummodo pro quolibet exceptis tamen illis officiis ad
„ que eligi ſolent per ſex menſes de quibus ſervetur con-
„ ſuetudo & caſu quo ob vacationem officiorum ſive ob impa-
„ rem numerum eorum accideret quod aliqua vice plures
„ ex uno ordine extraherentur quam ex alio, debeat eo ca-
„ ſu regimen predictum in alia immediate ſequenti extra-
„ ctione reſarcire illum ordinem, qui fuiſſet inferior, ideſt
„ de quo in precedenti extractione pauciores fuiſſent extra-
„ cti, ita quod equalis fiat diſtributio, & hec ſimiliter im-
„ buſſulatio duret per annos duos ad beneplacitum quo-
„ que hujus Conſilii, quibus finitis aut ſi forte prius com-
„ pleretur extractio imbuſſulatorum, fieri debeat ſucceſſive
„ nova imbuſſulatio de biennio in biennium modo, & or-
„ dine predicto: Declarando quod ſuprascripti duo ex quo-
„ libet ordine electi habeant contumaciam contentam in ca-
„ pitulo precedenti qui ſimiliter expedita ballotatione, &
„ imbuſſulatione intelligantur fuiſſe functos munere ſuo hoc
„ etiam addito & declarato quod nullus predictorum imbuſ-
„ ſulatorum ire poſſit ad ullam Caſtellaniam ſive officium
„ ejus loci ſub cujus jurisdictione ipſe habeat pheuda, aut
„ alias poſſeſſiones ſuas & ideo ſi aliquando evenerit quod
„ aliquis ex buſſulo extrahatur pro eo loco, ubi habeat pheu-
„ da aut alias ſuas poſſeſſiones, tunc & eo caſu ille talis
„ reſervetur ad primum aliud officium vacaturum, ubi pheu-
„ da & poſſeſſiones non habeat & loco ipſius extrahi debeat
„ unus alius ſicque in omnibus is ordo obſervetur.

Ab

„ Ab ordinibus autem predictis excluſi intelligantur Supra-
„ comiti & Nobiles a puppi Triremium, que armantur in
„ Creta qui omnes eligi debeant juxta conſuetum.

„ Omnes vero buſſuli predicti teneri debeant in unò lo-
„ co tuto deputando a prefato regimine & non poſſint ullo
„ tempore aperiri niſi preſente, & ordinante toto regimine;
„ fieri debeant quatuor claves diverſe quarum unam teneat
„ Duca aliam Capitaneus & quilibet conſiliariorum unam
„ aliam.

„ Demum declaretur quod omnes quatuor eligendi pro
„ faciendis ballottationibus, & imbuſſulationibus officiorum
„ utriusque ordinis poſſint & ipſi imbuſſulari ſicuti conve-
„ niens eſt.

Anno 1492. Laurentius Venerio. 139

Anno 1494. Dominicus Bollanus. 140

Anno 1496. Andreas Gabriel Benedicti filius ad Procu- 141
ratoriam dignitatem deinde evectus anno 1502. die 22. Dec.

Anno 1498. Priamus Thronus Michaelis filius ex Nobi- 142
lium Colonia ad regendam Inſulam deſtinatus fuit, qui eo-
dem ſuæ electionis anno Candiæ die XXII. Novembris de-
functus in Sancti Joannis Eccleſia tumulatus eſt. Ejus vices
deinde ſupplevit Bernardus Juſtiniano Militiæ Præfectus, cui
rogatu Raynerii Dandulo Univerſitatis Nobilium & Pheu-
datorum Cretenſium Oratoris mandavit Senatus anno 1499.
die XXVI. Aprilis, ut impoſitum vinis Cretenſibus ab In-
ſula extrahendis vectigal omnino deleret, ita ut exteris etiam
vina ex Regno auferre absque ipſius ſolutione de cætero
liceret. Paulo autem poſt cum Bernardus quoque e vivis
deceſſiſſet, atque in S. Franciſci Eccleſia ſepultus fuiſſet, Vi-
ceduchæ munus ex lege ſuſcepit Aloyſius Amulius ætate ſe-
nior ex Conſiliariis.

Ad ſupplendas itaque Priami Duchæ defuncti vices ele- 143
ctus fuit anno 1500. Marcus Barbo, quo Inſulam admini-
ſtrante Venetias acceſſerunt ſolemnes Communitatis Creten-
ſis Oratores Andreas Mudaccius & Benedictus Barbadicus, ut

valida adverſus Turcicas irruptiones ſubſidia obtinerent. Cretenſium itaque fidelium vota cum excepiſſet Senatus, lato decreto juſſit, ut antiqua Candiæ urbis propugnacula ſollicite reſtaurari, & equitum numerus ad Inſulæ propugnationem aſſignatus compleri augerique deberet.

144 Anno 1502. Joannes Maurocenus, qui cum Candiæ obiiſſet die 4. Junii anni inſequentis 1503. in Eccleſia Fratrum Minorum Divo Franciſco ſacra tumulatus fuit, cujus locum, Viceducha implevit Aloyſius Venerius Militaris Præfectus.

145 Anno 1503. Coſmas Paſcaliçus, qui in officio deceſſit anno 1505. die 29. Martii ejusque vices usque ad ſucceſſoris adventum ſuſtinuit Benedictus Sanutus Militiarum Præfectus.

146 Anno 1506. Hieronymus Donatus Doctor, Antonii Equitis filius, Andreæ autem olim Duchæ Cretenſis nepos, vir doctrinæ prudentiæque præſtantia & ampliſſimis in Rempublicam meritis omni laude major Cretenſis Provinciæ iniit adminiſtrationem, in cujus illuſtratione aliquantulum immorari fas eſt, ne virum omnigena eruditione, & ſumma morum Religione ſpectatiſſimum ſola nominis appoſitione leviter attingendo, ipſum neglexiſſe potius quam ignoraſſe videamur. Quamvis autem ipſius gloria a ſcriptoribus clariſſimis celebretur, & eximia geſta noviſſime erudito P. Jo. Auguſtinii calamo illuſtrata prodierint T. II. Hiſt. degli Scrittori Viniz. pag. 201. attamen ea, quæ ad Cretenſe regimen præcipue ſpectant, non abs re erit hoc quoque loco vulgare, ut exinde uberius proveniat ſuſceptæ Spartæ ornamentum. Hieronymus Donatus itaque *Græcarum litterarum* (ut teſtatur in epiſt. Paulus Soardus) *peritiſſimus, & proçul dubio ætatis ſuæ Princeps* poſt præcipuas Patriæ dignitates ſapientiſſime adminiſtratas, plurimasque ad Europæ Principes pro Senatu Veneto felici exitu peractas Legationes Cretenſi Regno anno ætatis ſuæ XLVII. Ducha præficitur. Ad eam Inſulam adnavigaturus cum liberalitatis, & grati animi teſtimonium aliquod Marino Becichemo Scutarenſi filiorum ſuorum (quos inter fuere Auguſtinus & Philippus alius ab alio Epiſcopi Agienſes) olim

in

in Rethorica facultate præceptori impertiri exoptaret, nec sibi, post consumptum pene ex integro in publicis muniis peragendis majorum suorum patrimonium, quidquam tanto viro dignum superesset, suavissimis epistolis *velut testamento* quodam Marcum Dandulum Senatorem ornatissimum amicum suum (postea in Creta militarem Præfectum) benemerito viro *patronum patrem & tutorem* reliquit. Id in quæstionibus epistolaribus, quas eidem Dandulo inscripsit, testatum reliquit cap. XVII. ipse Becichemus his verbis: *Hieronymus Donatus Platonicus nostræ ætatis Demosthenes, & Oratorum, quos quidem viderim, audiverimque, facile Princeps, ex patria solvens jamque triremibus in pelagum provectus, ut ad Cretam magni Jovis Insulam evolet, Dux inclytus, literas ad me dedit sua manu (ut semper solet) exaratas amoris dulcissimi, suavissimæque humanitatis plenas, bis, inquit, velut testamento quodam Marcum Dandulum, animæ dimidium meæ, tibi patronum, patrem, tutorem, & denique alterum me relinquo.* Quantis autem Becichemum beneficiis prosequutus fuerit Hieronymus, in ejusdem epistolæ continuatione testatur Becichemus ipse sic Dandulum alloquutus: *Duplicem igitur personam nunc mihi geris, & Marci Danduli, hoc est amici, & fautoris præcipui, qualem te mihi semper ultro exhibuisti: & Hieronymi Donati, qui mihi author est famæ, salutis, & breviter terrestris Deus, qui inter magna & innumerabilia beneficia, Brixiensis Ecclesiæ Canonicatum, quæ talis ac tanta est dignitas, suis liberis ademit,* (Augustino nempe & Philippo superius memoratis, qui Clericalem statum jam sibi elegerant;) *Marioque filio meo duodecimum ætatis annum agenti, Cæsarea quadam liberalitate, me nec rogante, nec cogitante, noviſſime donavit, suisque pecuniis tabellarios & libellos Romam misit, & Apostolica authoritate firmatum, ab omni potentiorum injuria servavit.*

Quum autem demandatæ sibi Provinciæ gubernationem iniisset Hieronymus vehementer doluit male moratos incolas sacra prophanaque omnia miscere, unicaque voluptatum cupiditate ductos obsequium Divinæ legis adeo abjeciſſe, ut

vix

vix unus aliquis (teſtatur hoc de frequenti Metropolis Candiæ populo in Hierofolymitanæ ſuæ peregrinationis memoriis B. Paulus Juſtinianus Camaldulenſium Eremitarum reſtaurator, qui Candiam appulit anno 1507.) inveniretur, qui ad Pœnitentiæ ſacramentum ſtatutis ab Eccleſia temporibus accederet, ipſæque mulieres corruptos hominum mores impie æmulantes ab ipſis etiam ſacris audiendis penitus abſtinerent. Tot igitur tantisque malis, quæ in dies augebantur, ut occurreret pius Ducha inſita primum manſuetudine, mox minis pœnarumque rigore enixe ſtuduit perditos homines ad Divinas humanasque ſanctiones revocare, irrito tamen labore, ſiquidem vitium altiori in animis radice deſcenderat, quam ut humana poſſet ope penitus extirpari. Afflicti itaque cordis mœrorem, ut eo quo poterat modo levaret, Hieronymus aureum opus Apologeticum de Principatu Romanæ Sedis, jam ſuperius ad Agienſes Epiſcopos memoratum, concinnavit, & ad Græcos inſcripſit. Libellum hunc in Creta Inſula Græce a Hieronymo ſcriptum fuiſſe, mox Latine redditum, quum quarto Romæ legationis munere fungeretur, teſtatum reliquit Philippus Agienſis Epiſcopus ejus filius in epiſtola ad Clementem VII. quam opuſculo Patris ſui præfigendam ſcripſit. Hujuſce epiſtolæ tale eſt initium: *Hieronymus Donatus Pater meus, ſi non admodum amplam mihi fortunarum hæreditatem, non exiguam tamen inter cæteros hujus ætatis viros nominis ſui celebritatem reliquit, quam ſibi ipſe cum Rempublicam optime gerendo, tum aliquid ſemper erudito homine dignum ſcribendo, peperit. Hæc enim duo ita conjunxit, ut nec domi, nec foris unquam ſtudia optimarum artium intermiſerit. Inter cætera vero monimenta tum ingenii ejus, & doctrinæ, tum pietatis, extat libellus hic de Principatu Romanæ Sedis. Quem, quum in Creta Inſula Reipublicæ Venetæ nomine ſupremum gereret magiſtratum, Græce primum ſcripſit, deinde quum quartum Romæ Legationis munere fungeretur, Latinum fecit.* Illum deinde Romanis primum anno 1525. & Venetis deinde typis anno 1644. vulgatum

inſe-

inſeruit Labbæus in apparatu ad Collectionem Conciliorum pag. XXV. Pariſienſis, Venetæ vero editionis pag. 615.

Non itaque *majore ſtudio* (ut ipſe fatetur in Apologetico) dum Cretæ præeſſet, *rem Venetam quam Catholicam* curavit, *& apud plurimos profecit, idque non lucri gratia egit, aut gloriæ, ſed zelo Chriſtiani nominis*, quo cum mire ferveret, alia etiam Theologica opuſcula elaboravit: epiſtolam nempe *ad Oliverium Cardinalem Neapolitanum, in qua Romanam Eccleſiam Primatum Eccleſiaſticæ dignitatis obtinere, & Petrum eſſe Petram, & fundamentum Eccleſiæ doctiſſime comprobatur*. Romæ anno 1525. & poſtea Venetiis anno 1644. in lucem prodiit ornatiſſima epiſtola, quam videre eſt in citato Apparatu ad Collectionem Conciliorum poſt Apologeticum. Sed & *libros quatuor de Spiritus Sancti proceſſione compoſuit adverſus opinionem Græcorum, cum quibus aliud illi fuerat in Græcia certamen*, ut in epiſtola ad Cardinalem Caraffam data ſcripſit ipſe Hieronymus. Liber hic ſumma luce dignus cum a memorato Philippo Epiſcopo dicatum fuiſſet Leoni X. Pontifici Maximo, aſſervatur inter Codices Vaticanæ Bibliothecæ notatus numero 4326. Theologicæ itaque facultatis merito, & præſtantia, quibus tantum adverſus Orientales errores valuit profecitque, Hieronymus Donatus vir in Laico officio conſtitutus, jure eſt inter Scriptores Eccleſiaſticos adnumerandus, prout ipſum recenſuit Abbas Tritemius pag. CCV. & in ipſum Hieronymum perbelle cadunt, ea quæ in laudatiſſima ſua ad authorem hujus operis epiſtola Romæ & Venetiis edita anno 1754. pronuntiavit SS. D. Benedictus Papa XIV. homines nempe, *qui ſint ſatis ab ingenio, eruditione, doctrinaque inſtructi, atque parati, & facultas operi non impar reperiatur, eos ſive Laicis ſive Eccleſiaſticis adnumerentur, æque* in ſacra eruditione & ſcientia *verſari atque Eccleſiæ Sanctæ tali ſcriptorum genere prodeſſe convenire*.

Interea dum in hiſce juſtitiæ adminiſtrandæ pietatisque promovendæ ſtudiis verſatur Hieronymus, finis muneris ſui

adve-

advenit, jamque se ad reditum parabat, cum ad punienda Cretensium scelera horrendum Divina ultio terræmotum excitavit, ex cujus repentina violentia plurimæ ædes per universam Insulam, & in Metropoli præsertim civitate quassatæ corruerunt, ipsarumque ruinis attritus maximus hominum numerus miserrime periit. Deplorandum hoc Insulæ infortunium accurate æque ac eleganter descripsit Hieronymus supralaudatus Ducha in epistola ad Petrum Contarenum amicum suum, quam nondum typis vulgatam, opportune hoc loco ad pleniorem rei fidem, & sapientissimi viri decus publici juris efficimus.

„ Hieronymus Donatus Doctor, & Cretæ Dux Petro Con-
„ tareno Eusebiano suo salutem. Motum terræ quo nuper,
„ dum ad reditum accingebar, miserabiliter Insula Cretæ
„ concussa est, non possum reducere in mentem sine hor-
„ rore animi, nec sine lacrymis ad te scribere, scribam ta-
„ men, ut non solum ex tanto periculo me cum omnibus
„ meis sospitem intelligas, sed ut audiant omnes, quod fa-
„ ctum est, & discant periculis nostris Deo vivere, & Deum
„ timere. Quarto Kalend. Junias secunda fere noctis hora
„ Creta maximo, & horribili motu tremuit, & præcipue
„ Candax hæc ipsa nunc Metropolis, & Ducatus Sedes par-
„ tim prostrata, partim ita concussa est, ut magna licet
„ ædium parte non omnino prolapsa, quod refici posse spe-
„ ratur, multitudine scissurarum hiantibus parietibus ob im-
„ minentis ruinæ periculum plus præseferat mali, quam
„ spondeat boni, quod non prorsus conciderit. Præcessit mo-
„ tum mira aeris marisque tranquillitas per totam diem,
„ & nulla in parte occupato nubibus cœlo, sed Sole palli-
„ do, & sine ulla penitus aura, quasi pulverulenter, sub
„ ipso autem motu velut mugitus quidam, & fremitus, &
„ quasi collidentium inter se armorum strepitus terrifico ne-
„ scio quo sonitu præcessit. Ædes non aliter motæ sunt,
„ ac solent commotis maris fluctibus agitari naves, neque
„ solum visæ sunt nutare in latus, sed velut saltu quo-

dam

„ dam concuti, ſubinde ruentibus ædificiis tantus tamque
„ horribilis fragor inſonuit, ut pene auribus occluſa auditus
„ facultas videretur, tamque denſus excitatus pulvis eſt, ut
„ vix attrahere, & habere ſpiritum liceret, omnes non ter-
„ ræmotum exiſtimare, ſed poſtremam fati, hoc eſt Divi-
„ næ voluntatis diem credere, qua tota mundi moles caſu
„ laboraret extremo. Ego ſub hoc ipſo articulo temporis
„ paulo ante cubitum feceſſeram in medio cubiculo ſtrata le-
„ ticha tranſtili, quam ſoleo in legationibus, & itineribus
„ mecum habere. Ubi primum tremere omnia ſentio, &
„ trabes præcipue maximo ſtrepitu concuti, decidente e
„ parietibus operis tectorii calce non ſine lapidum fragmen-
„ tis linea tantum indutus, & nudis pedibus ſurgo confe-
„ ſtim. Uxor venit ad me ſtatim cum reliqua familia, quæ
„ fuerat in proximo cubiculo, in quo magna pars muri mox
„ corruit. Ego Joannem Franciſcum natu minimum feſtivæ,
„ & amabilis indolis puerum arripio; eximus omnes, & in
„ hypetria, quæ cubiculo jungitur, convenimus, ubi pauliſ-
„ per mirantibus ceſſavit motus, qui fere tanto temporis
„ ſpacio perduravit, quanto quiſpiam concitatius orationem
„ Dominicam proferat. Subinde diſcedimus in mediam aream
„ Palatii, cujus jam Aula auditoria a Septemtrionali parte
„ conciderat; & ſcalæ ruinis, & fractis trabibus, & tabu-
„ lis operiebantur. Sed nec tutus areæ locus videbatur ob
„ altitudinem ædificiorum, recepi me in altiorem partem
„ fori non longe a Palatio, ubi caſus murorum minus time-
„ ri poſſet, ſub diverſorio quodam ligneo, ubi Judæi treo-
„ neum coriarium exercent. Totam noctem inſomnis ibi
„ cum ſedens, tum extra inambulans traduxi. Interea om-
„ nis Populus viri paſſim, mulieres, & pueri velut inſequen-
„ tibus hoſtibus Urbis portam, quæ eſt in ipſa platea, ex-
„ euntes ululatu, & clamore incredibili omnia complebant.
„ Sacerdotes inſequentibus Turbis ſacras imagines, & ipſum
„ Dominici corporis Sacramentum circumferentes, accenſis
„ luminaribus per plateam, & ſuburbium ſupplicationes tota

„ nocte duxerunt. Sequebatur infinita prope virorum, &
„ feminarum omnis ætatis, & generis multitudo, altiſſimis
„ clamoribus, & effuſione lachrymarum inexplebili Dei mi-
„ ſericordiam implorantium. In Foro dumtaxat, & Subur-
„ bio erat aditus ſupplicantibus; nam ipſa via media la-
„ tior, quæ ducit ad Portum, quæ Magiſtra dicitur, mon-
„ tibus lapidum, trabium, & lignorum obruta negabat adi-
„ tum. Per reliquas Urbis vias, quæ anguſtiores ſunt, ſine
„ periculo incedere non erat, pendentibus, & ſciſſis ubique
„ domorum parietibus; vix enim quatuor aut quinque do-
„ mus ſuperſunt, in quibus habitare ſine inſtauratione lice-
„ bat. Interim nonnulli nunciantur ruinis obruti, nonnulli
„ ſemineces eruti, ſed in primis Feminæ multæ cum in-
„ fantibus oppreſſæ. Jugis ſub continuatis ejulatibus vocum
„ doloroſarum miſerabilis concentus exaudiebatur, & extra-
„ cta ex ruinis quædam cadavera, cum ſola pompa lachry-
„ marum efferebantur. Merito mihi noctis illius horrorem
„ conſideranti Maronianum illud occurrit: Quis cladem il-
„ lius noctis? quis funera fando explicet, aut poſſit lachry-
„ mis æquare labores? Ubi dies illuxit recepi me iterum
„ in aream Palatii, ut aliquantisper remotiore in loco ſeſ-
„ ſos oculos, & pulveribus obrutos ſomno refocilarem; præ-
„ ſertim quod ſub iis diebus me adhuc reliquiæ ægritudinis
„ infeſtabant, quæ per dies fere quindecim renum dolori-
„ bus me continue exagitaverat; ſed Dei auxilio, & Pom-
„ pilii Phyſici doctrina, & diligentia fracta in minutiores
„ particulas & expulſa lapidoſa materia, quæ in renibus
„ obcalluerat, jam convaleſcebam. Sic igitur dum quieſco,
„ tertia fere poſt ortum Solis hora alter terræ ſupervenit
„ motus, neque vehemens, neque nimis concitatus, ſed qui
„ plus timoris afferret; tunc enim pavor & horror cunctis
„ magis increbuit. Tum vero mihi provoluta ad pedes uxor,
„ & Filii, & tota Familia obſecrare, obteſtari, & implora-
„ re lachrymis cæpere, Urbe ut exirem, quod nullus in ea
„ locus, etiam ſub dio, ob denſitatem ædificiorum tutus

vide-

„ videretur. Acceſſere etiam ex Patritiis & Civibus quam-
„ plurimi ſuadentes, & orantes, ne ſolus ego Urbe vacua
„ in tanto periculo eſſe vellem. Demum ut uxorem, & fi-
„ lios, ſine me exire recuſantes, educerem, exivi, & in
„ proximos Urbis Divi Demetri hortos extenſis velis, &
„ peripetasmatibus familiam collocavi. Subinde me in Fo-
„ rum contuli, & in eodem diverſorio ligneo paſſuum mi-
„ nus duorum collocata letica, nocte cum nocturnis cuſto-
„ dibus adhuc dormio. Sed quæ in hac calamitate conſti-
„ tuta in dies, & in cladis reparationem excogitata ſint,
„ aut decreta, non attinet dicere. Nihil a nobis prætermit-
„ titur; ſed nunc in primis utile, & neceſſarium eſt con-
„ tinere quorum fieri poſſit Civitatem in civitate, hoc eſt
„ ne Urbs deſeratur. Idque quia ad me præcipue pertine-
„ re cenſeo, ſemper in Foro ſum, in quo non ſolum dor-
„ mio, ſed quaſi in domo ſedens, & inambulans, & legens,
„ etiam verſor. Neque hortari deſino omnes, ut quod tem-
„ pus, & neceſſitas allatura ſunt, prudentia, & diligentia
„ præveniant; ut inſtaurandis domibus pro tempore incum-
„ bant, aliaque plenus mœrore, & ſingultibus rem vultu ſi-
„ mulans ſolari, & conſulere, & quibus modis poſſum tan-
„ tum mali lenire, & publice, & private ſtudeo. Cæterum
„ hæc tam magna effecta naturæ quamquam ſine cauſis na-
„ turalibus, non eveniant, eſſe tamen divini judicii ſigna
„ credenda ſunt. Atque ut ſcias omnia particularius: Pri-
„ mum in tam grandi concuſſione, & ruina vere publi-
„ ca, muri Urbis, quæ magna moles eſt, nulla in parte
„ hoc motu labefactati ſunt, undique enim illeſi perman-
„ ſere; id quod maxime mirum eſt ne minimo quidem ſcis-
„ mate. Deinde in tanta clade domorum in Urbe & Su-
„ burbio pauciſſimi extincti ſunt, pauciſſimos voco, qui in
„ tam plena civitate habitantium numero, trecentorum nu-
„ merum vix attigerunt; inter quos & pauci ex Nobilibus,
„ aut notioribus populo interfuere; in circa quod tres, aut
„ quatuor dumtaxat Ædes ſub totis culminibus concidere;

„ reliquæ tantum anteriore, aut posteriore parte prolapsæ „ sunt, ubi trabes, & tigna non cohærebant. Sed alta ædi„ ficia, & Turres nutantibus, & disjectis cacuminibus & si„ bi & proximis ædificiis exitium intulere. Ædes D. Titi, „ quæ prima Ecclesiarum sedes est totius Insulæ a Turri „ condita, in parte quæ sub Turri erat confracta est. Idem „ evenit Summi Salvatoris, & D. Petri, & D. Marci; sed „ & templum D. Francisci ab Orientis parte ex eadem pro„ pinquitate Turris miserabiliter disjectum est cum magna „ parte Cœnobii. Hoc sane Templum choro ducentarum „ prope sedium insigne cultu divino, & exacta observatio„ ne celeberrimum Christianæ religionis sydus in Oriente „ merito censebatur; nam cum Cœnobiis Italiæ celebrioribus „ numerari jure poterit. Ejus nunc instauratio & sumptu & „ tempore maximo indigebit: Illud non præteribo memoria „ dignissimum: Servabatur in Altaris majoris summitate Sa„ cramentum Corporis Christi, inclusum, ut solet, tenui„ bus Christalinis argento compactis; id quidem ob ruinam „ sepultum erat; quod ubi omni studio inquirentes Fratres „ expedire, & extrahere summa veneratione conantur, tan„ dem illæsum cum Sacramento Tabernaculum invenere; „ quod si forte manu excussum in pavimento cecidisset, mi„ raculum erat si confractum in frusta non esset; id sub „ tanta mole lapidum, sub tanto pondere, sub tanto im„ petu, caruit noxa. Idem evenisse aliis Templis civitatis „ dictitant rumore incerto; sed hoc & verissimum est, & „ certissimum; sed in tanto Religiosorum numero nullus om„ nino non solum periit, sed ne minima quidem incussione „ læsus est. Verum ut ad motum Insulæ redeamus; tota „ quidem Insula trecentis millibus passuum ab Occidente, „ in Orientem porrecta omni ex parte simul tota contre„ muit; atque a media fere parte versus Orientem ædifi„ ciorum stragem sensit, & Setia, & Hyerapetra magna ex „ parte disjectæ sunt, Rethima, & Cidonia concussæ qui„ dem sunt, sed non dirutæ. In mari vero, ut jam ex Æ-

gei

„ gei Pelagi ſuperioribus partibus appulſis Navigiis nuper
„ accepimus; motus idem horribilis fuit ad quadraginta fe-
„ re milliaria verſus Eubeam, & Phrygiam concuſſis Inſulis,
„ & continenti, ſed non cum ſimili clade. Agitur nunc du-
„ centeſimus & quartus annus ex quo non minori motu
„ hæc civitas corruit Vito Canali Duce; quo tempore, ut
„ in quibusdam veteribus annotationibus hic reperi, ad qua-
„ tuor millia homines oppreſſi leguntur anno circiter cen-
„ teſimo poſtquam hæc Inſula Venetæ ceſſerat ditioni; tre-
„ centeſimus enim nunc & quartus agitur annus ex quo hæc
„ Inſula conquieſcit in ſinu Venetæ libertatis. Nunc itaque
„ continenter die, noctuque ſupplicationes ducuntur maxi-
„ mis clamoribus, & lachrymoſis vocibus; ſtrepitu vero, &
„ pulvere ita offendimur, ut ſæpe plus pulveris quam ae-
„ ris tracto ſpiritu hauriamus. Noctu ſæpe, ubi me pri-
„ mo aggreſſu ſopor oppreſſit, excitor novis clamoribus,
„ nam ſi quid fulguret, ſi accenſæ exhalationes, quæ vi-
„ dentur ſtellæ cadentes apparent, quæ facilius videntur,
„ quia ſub dio, fere omnes habitamus; ſi quid qua in par-
„ te ſtrepit, aut movetur, ſubito Feminarum clamor exci-
„ tatur, & pavore, & clamore complentur omnia. Illud
„ in tantis malis ſubſequutum eſt boni, & quidem maximi
„ quod cum antea ex conſuetudine peſſima quamplurimis
„ & adoleſcentibus, & viris verſarentur in ore fœdiſſima in
„ Dei Chriſti verba blasphemiæ, crimen execrabile quod
„ neque edictis, neque pœnis, neque Sanctorum virorum
„ prædicationibus & minis tolli poterat, nunc timor Dei
„ uno momento omnes non tam cohibuit, repreſſitque, quam
„ etiam contra blasphemantes armavit. Succeſſerunt loco
„ blasphemiarum, Dei laudes frequentiſſimæ, preces aſſiduæ,
„ & publica, per omnia compita, miſericordiæ divinæ cum
„ lachrymis profluentibus imploratio. Semel, neſcio quis,
„ nomen Chriſti turpiter nominare auſus eſt, pene a po-
„ pulo lapidatus eſt. Plerique ex his, quibus inter ſe lites,
„ & odia jamdiu vigebant, me præſente amplexu in invi-

cem

„ cem injurias remiſere, & pacem mutuis oſculis firmave-
„ re; multique qui per annos viginti ſine confeſſione latronum
„ more perduraverant, ad Sacerdotes ſe contulere, & fa-
„ cta confeſſione Euchariſtiam ſumpſere. Quibus hæc eve-
„ nerunt, etiamſi eorum domus totæ conciderint, grande
„ lucrum ex hac ruina ſunt conſecuti. Divinam hanc ul-
„ tionem fuiſſe, nemo eſt, qui dubitet; alii alia efferunt
„ ob quæ contra Cretenſes, hæc divino judicio clades ex-
„ citata ſit. Hoc quoque ipſum in hoc malo, boni ineſſe
„ video, quod hæc perſuaſio fructuoſa bonis moribus futu-
„ ra eſt. Illam ego infenſiſſimam blasphemiam exiſtimo,
„ quod ſuperſtitioſe ſe a Latina Eccleſia diviserunt Græci,
„ & Latinorum plurimi neque Græco, neque Latino ritui
„ obſequuntur, quod publice ſæpius audientibus omnibus &
„ damnavi, & execratus ſum. Floret hæc civitas tot Pa-
„ triciis, tot civibus, & quidem præſtantiſſimis & diligen-
„ tiſſimis, ſub religionis, cultusque divini nimia apud plu-
„ rimos negligentia eſt; & paucis ante annis inolevit mos
„ prædictus. Matres familias cum liberis & majori parte
„ familiæ nunquam ad Miſſarum ſolemnia, nunquam ad di-
„ vina officia prodeunt; domi continentur, & omnem cul-
„ tum religionis neſciunt; cum ſit alibi prima in Matronis
„ religio, & pro devoto Femineo ſexu ſemper oret Eccle-
„ ſia. Sub his Matribus educantur liberi, quæ extorres ab
„ Eccleſiis factæ ſunt vitio Parentum & Maritorum. Sæpe
„ ego ob hanc cauſam in ejusmodi crimen amanter inve-
„ ctus ſum. Cur enim hac in parte verum in ſuo pericu-
„ lo ſubticeamus, iis quos ob fidem publicam & privatam
„ in me charitatem unice diligo, quibus ſemper, & com-
„ moda accidere merito exopto, quæ mihi, & Familiæ meæ
„ evenire cupio? Sed ſatis fui longior de induſtria quod ar-
„ debam, quum hæc ad te ſcriberem, cupiditate quadam
„ incredibili tecum longius colloquendi de familiaribus re-
„ bus meis, & de communibus ſtudiis, nunquam magis te-
„ cum eſſe optavi; & tempus, & occaſio ipſa admonet,

ut

„ ut ſimul jam & Deo & nobis vivamus, & pendere ex „ vulgi opinione maxime damnabilem putemus; unam ut „ ſæpe dicere ſoleo, in Euſebiano tuo vel in hortis meis Pa„ tavinis, tecum transmiſſam in tranquilitate dieculam, jam „ etiam florente Republica, omnibus ego Magiſtratibus, om„ nibus honoribus antepono. Vale. Idibus Julii MDVIII.

Eandem afflictæ Inſulæ cladem ſcriptis mandavit (ut videre eſt Tom. II. Par. III. col. 454. Theſauri Anecdotorum a Bernardo Pezio collectorum) Vener. Georgius Prior Gemnicenſis Ordinis Carthuſiani in Auſtria, qui cum peregrinationem transmarinam religionis cauſſa ad ſacra Paleſtinæ loca aliasque Orientis regiones ſuſcepiſſet, ephemerides ſive Diarium ſui itineris concinnavit. In hoc itaque itinerario pius vir, Candiam, ad quam acceſſerat die 28. Auguſti anno 1507. brevi ſermone deſcribit, nonnulla celebriorum virorum dicta interſerens, quibus, (ut ait ipſe in Præfatione,) rei ipſius veritas magis aſtruatur. Novam deinde ejusdem Inſulæ mentionem ingerit, dum regreſſum ſuum ab Oriente enarrat, quas quidem notitias ad Cretam ſpectantes ſcitu dignas quidem cenſeo, tum quia res novas aſferunt, tum quia jam recenſitas, & in primis memorandam terræmotus vaſtationem confirmant. Hæc igitur ſunt prælaudati Carthuſienſis Prioris verba lib. I. cap. IV. col. 467.

„ Die XXVII. Auguſti anni MDVII. Cum pro voto no„ ſtro Zephirus prægnantia vela feciſſet, tum procul excel„ ſos colles, ſublimemque videre cæpimus Cretam. Con„ clamant ſocii ac Cretam Gnoſumque ſalutant.

„ Die XXVIII. Candiæ Urbi jam facti viciniores, adeo „ tranquillitate maris, quam nautæ *Bonazza* nominant la„ boravimus, ut vix hora noctis circa Candiam contigerimus.

„ Die XXIX. Galeis egreſſi intramus Gnoſum urbem nunc „ Candiam dictam, quo etiam nomine tota reliqua Inſula „ nominatur. Poſt domum peregrinorum ingreſſi, quam Dux „ quidam Burgundiæ, qui & ipſe easdem oras peregre luſtran„ do pro peregrinis emit, erexit, atque dilatavit, illic repau-

ſavi-

„ ſavimus. Hæc eſt Gnoſſus, ut meminit Diodorus Siculus, „ Ciranum (*fortaſſe Titanum aut Curetum*) olim patria, „ poſt Minois Regnum, portu ac turribus ſuperba, nunc „ Venetis ſerviens. In conſpectu ejus verſus Auſtrum collis „ quidam præeminet. Hunc incolæ Jovem vocant, eo quod „ ibi ſepulti Jovis pene clarum veſtigium & ſepulcrum eſt, „ cui nomen ejus inſculptum olim accolæ oſtendebant.

„ Porro a Candia contra meridiem triginta fere milliaribus Ida mons Cretæ altiſſimus, & ſublimitate & fama „ nutriti Jovis celebris eſt in medio fere Inſulæ, cujus circuitus ſexcentorum ſtadiorum eſſe traditur. Sub ejus montis radicibus Labyrinthus usque hodie extat Domus Minotauri, immo carcer, & inexplicabilis error, ſaxo extructus ingenti, unum in ſe deſcenſum habens, intus pene „ innumerabiles vias (ſed nunc propter ſubire volentium „ diſcrimen occluſas) multis ambagibus huc atque illuc remeantibus, ſed continuo anfractu, & ſæpe revocatis porticibus ancipites: quibus ſubinde alium ſupra alios orbes „ agentibus, & ſubinde tamen redeunte flexu, quantum quis „ proceſſerat magno, & inextricabili errore perplexus eſt. „ Major tamen ejus pars vetuſtatem ſenſit, & ruinam. At „ vero teſte Plinio lib. 26. natur. hiſt. quatuor olim Labyrinthi fuerunt. Primus in Ægypto, ſecundus in Creta, „ tertius in Inſula Lemni, quartus in Cluſio Italiæ oppido. Sed iſte noſter Creticus famoſior habetur, & a Poetis Græcis & Latinis maxime decantatus fabricatus a Dædalo fabro ingenioſo, dicente Ovidio lib. 8. Metamorphoſ.

„ *Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis*
„ *Ponit opus, turbatque notas & limina flexu*
„ *Ducit in errorem variarum ambage viarum.* Et ſubdit.
„ - - - - *Vix ipſe reverti*
„ *Ad limen potuit; tanta eſt fallacia tecti.*

„ Cæterum Inſula ipſa Bacchi mellisque apprime ferax „ prius a temperie Cœli *Aeria*, deinde *Macaroneſon*, ideſt „ Beata Inſula dicta, poſt a numero urbium *Hecatopolis*, ideſt

„ ideſt centum Civitatum, ac demum a Rege quodam *Cre-*
„ *ta*, nunc a candore *Candia* nominatur. De qua Inſula
„ Ariſtoteles lib. Polit. 2. ſic ait: *Videtur hæc Inſula ad Prin-*
„ *cipatum Græciæ nata ac præclare ſita, cuncto namque immi-*
„ *net mari*. De qua, ut ait Servius, dubitant omnes, in
„ quo ſit mari. Nam a meridie Lybicum, a Septentrione
„ Ægeum reſpicit: ab Oriente Icarium, ab Occiduo Jo-
„ nium ſive Myrtoum intuetur. Ingens ipſa, ac niſi major
„ eſſet, Cypro ſimilis, quæ ſecundum Socratem quingenta
„ ſtadia ambiat in medio fere mari ſita, Africæ, Aſiæ, at-
„ que Europæ contermina multis famigerata fabulis, adven-
„ tu Europæ, Paſiphaes & Aradnæ amoribus, Minotauri fe-
„ ritate, fæto domoque, Dædali operibus ac fuga, maxime
„ vero Jove ibi nutrito, atque ſepulto. Hic rem nauticam
„ principium habuiſſe tradunt, proverbiumque hoc natum:
„ *Cretes neſcit Pelagum*. De ipſa etiam Solinus tradit: quod
„ *ager Creticus ſilveſtrium Caprarum copioſus eſt, cervo eget,*
„ *lupos vulpes aliamque quadrupedum noxiam nusquam educat,*
„ *ſerpens nulla, larga vitis, mira Solis indulgentia, arborarii*
„ *proventus abundantes. Avem noctuam Creta non habet, ſi in-*
„ *vehatur, emoritur*. Porro nimia terræ fertilitas incolas ſuos
„ corrumpit. Verum eſt etenim illud Apoſtoli Pauli usque
„ hodie: *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*.
„ Demum Inſula hæc verſus Orientem habet Promonto-
„ rium *Salomonium*, quod vulgus Chao Salomon dicit, quod
„ in Actibus Apoſtolorum *Salmon* nuncupatur cap. 27. ubi
„ ſic habetur: *Probibentes nos vento adnavigavimus Cretæ*
„ *juxta Salmonem*. Ad Occidentem vero hujus Inſulæ eſt
„ promontorium *Criometopon*, quod interpretatur frons arie-
„ tis. Ex tanto autem olim urbium numero ſeptem ſola
„ extant in Candia oppida, ſcilicet *Candia*, *Chanea*, *Giſ-*
„ *ſamo*, *Rettimo*, *Jerapetra*, *Sittia*, *Arcadia*, in quarum
„ prima Archiepiſcopus, in ultima (*verius dixiſſet in reli-*
„ *quis*) Epiſcopus Sedem habet. Pagi vero mille quadrigen-
„ ti eſſe aſſeruntur.

Enarrata autem religiosæ peregrinationis serie, dum regressum describit, ubi ad Cretam ventum est, lib. III. cap. XVI. col. 623. sic prosequitur:

„ Die nona Aprilis anni MDVIII. ex Cycladibus gratia „ Dei eruti, venimus in conspectu Cretæ juxta Salmonem, „ quod Promontorium Pomponius Mela Sammonium appel„ lat: ubi quia tunc placidum ventis stabat mare, nihil se„ re & vento & remis nitendo profecimus.

CAP. XVII.

„ Die XI. Cretam appulsi, portum intramus, amicos sa„ lutamus, atque ibi nonnullos commorati dies vidimus in„ ter alia Echinorum capturam. Sunt autem Echini, ut ait „ Plinius, genus parvorum piscium hirsutorum, ex cancrorum „ genere semipedales magnitudine, virtutis admirandæ, ita „ ut navis, cui adhæret echinus, licet plenis velis per ma„ re decurrat, & cunctæ maris procellæ desæviant, se qua„ si radicatam, & immobilem firmet. De quo etiam Lu„ canus libro sexto.

„ Non puppim retinens Euro tendente rudentes
„ In mediis Echinus aquis.

„ Capiuntur autem tali modo: Nudant se nandi perito„ res, ac nudos cultros manu gestantes gradiuntur pedeten„ tim per litus saxis asperum, cui libenter echini adhærent „ simulque visu fundum maris scrutantes, pedibus etiam, „ ubi visus non attingit, pertentant. Quos ubi vel visu, „ quia nigri sunt, vel pedibus quia spinosi sunt, apprehen„ derint, capite sub aquam merso, pedibus interim supra „ aquam eminent, & una manu se sustinentes, altera, qua „ cultrum tenent, echinum a petra evellunt, atque in su„ perna elatum in comitantem sibi sportulam conjiciunt. „ Eduntur vero crudi sola aquositate effusa.

„ Ante diem XXII. Aprilis, ideſt in die Parasceves vi„ dimus quodam tale spectaculum. Erant in comitatu trecenti

„ centi fere Latini pariter, & Græci, qui ante festa Paschæ
„ faciem totumque corpus velabant, solo dorso excepto;
„ Hi per omnes plateas obeuntes, flagris acutissimis dorsa
„ cædebant, adeo, ut per flagella, vestis, tota caro ac pla-
„ tearum solum cruore manaret. Fertur vero quosdam in-
„ ter eos fuisse, qui id genus flagellationis in recompensam
„ passionis Christi sponte subirent. Majorem tamen partem
„ fuisse dicunt eorum, qui idipsum pretio ab aliis conducti
„ facerent & paterentur. Moris enim esse Senioribus terræ
„ illius, ut, cum ipsi aut præ senio, aut præ valetudine
„ corpus suum acerbius tractare non prævalent, alios, qui
„ id loco eorum agant, subordinent. Itaque videas plures
„ ephebos amore pecuniæ corpus suum quasi truncum aut
„ statuam sine sensu sæviendo ferire, ictus sonare, saniem
„ profluere ac omnia cruore fœdari. Quid enim non mor-
„ talia pectora cogit auri sacra fames? Ad hoc spectacu-
„ lum civitas tota effusa adulti & pueri, mares ac fœmi-
„ næ per intervalla acclamitant; Latini quidem misericor-
„ dia, misericordia, Græci ἐλέησον, ἐλέησον ingeminantes. Quæ
„ res commiserationis plena erat, ut nemo, nisi ferrea ha-
„ buisset pectora, se a lachrymis continere potuisset.

„ Die XXV. quæ fuit Sancti Marci, conducto quodam
„ navigio, quod Cyprum vocant, ex portu Candiæ solvi-
„ mus.... Cap. XVIII..... Violentus turbo, ventusque in-
„ crevit contrarius, simul & fluctus intumuerunt..... Sed
„ quia misericordiæ multæ Domini, omnis illa procella tem-
„ pestatis tandem conticuit. Quo factum est, ut in sinum
„ quemdam Candiæ angustum, cui nomen est Fraschia,
„ confugeremus, ibique jactis anchoris pernoctavimus, ven-
„ tis ac imbribus tota nocte exagitati.

„ Die XXVI. Sole jam exorto, quia ventus contrarius ite-
„ rum surgebat & prope esset Urbs Candia, rursus in portum
„ ejus cum ingenti turbine & pluvia, impulsi sumus: Interim
„ vero multis nobilibus, & Venetis, & Græcis familiares effe-
„ cti, jocunde satis, & honeste inter eos habiti sumus....

„ Cæterum de Candia, ſuperiori libro ſatis me dixiſſe
„ memini: quibus tamen adhuc adjicio. Tradunt hanc in-
„ ſulam pecore abundantem; lupis, vulpibus, ſerpentibus,
„ ac cæteris noxiis carere animalibus, & ſi quod ſorte aliun-
„ de talium illuc illatum ſit, continuo mori; morſus tamen
„ ac lacerationes unguibus muliebribus factas, lethales om-
„ nino eſſe & ſine remedio.

CAP. XIX.

„ Die XXIII. Maii. Provehimur portu, explicatis omni-
„ bus velis, ſed contrarius turbo ſtatim exortus a propoſi-
„ to itinere nos deflectens, in angulum Candiæ Fraſchia
„ dictum (ubi & priorem tempeſtatem declinavimus) etiam
„ renitentes impulit, ubi velis complicatis, jactisque ancho-
„ ris ſubſtitimus biduo, ventum ſecundum expectantes.

„ Die XXVI. Ventum lenem nacti exinde ſurreximus, ac
„ non juſto quidem itinere, ſed prout ventus flabat, æquor
„ ſulcantes....

„ Die XXIX. Opportune ad Bella Pala appulſi cum vix
„ anchoras jeciſſemus, ac in demittendis complicandisque
„ velis occuparemur, venit ecce turbo ingens, tempeſtas-
„ que horrida, quæ mare a fundo exire videbatur, fluctus-
„ que ad inſtar plumarum, altius attollens & per aera cir-
„ cumagens, ſtridorem rudentum anthennarumque edebat
„ horribilem, quod ſub Inſula poſiti fuiſſemus. Et hæc fuit
„ illa dies, in qua, ut poſt hæc dicetur (Cap. XXI.) Can-
„ dia civitas crudeli terræ motu ex parte magna quaſſata
„ corruit.

CAP. XXI.

„ Die XVI. Ut ſunt res humanæ ſemper fluidæ & ca-
„ ducæ, ſupervenit rurſus alia Brigantina cum alio non ma-
„ gis Jocundo Novo: Candiam ſcilicet Civitatem ad 29.
„ diem Maii fere totam horrendo terræ motu corruiſſe;

Do-

„ Domos plurimas & ſacras & privatas vel corruiſſe fundi-
„ tus, vel ſciſſas & disruptas habitationi hominum factas
„ ſuſpectas: Ultra ſexcentos homines oppreſſos, inter quos
„ & eſſe Cancellarium (Æneam Carpenium) virum huma-
„ niſſimum, & de nobis optime meritum compluresque alios
„ nobis notos & Nobiles & plebejos. Sed non ſolum Can-
„ dia hunc terræ motum ſenſit, verum & Sitia ejusdem
„ Inſulæ Civitas, ubi & Caſtellum & plures domus corrue-
„ runt. Imo & per totam fere Inſulam caſtella pagique hanc
„ pernitiem ſenſerunt. Ad hæc alia Inſula, quæ Santorini
„ dicitur per medium ita ſciſſa eſt, ac in duas Inſulas ef-
„ fecta, ut non abſimile vero credatur, quod de Sicilia Ita-
„ liaque veteres prodiderunt, quod ſcilicet utraque tellus
„ olim una fuerit.

Addit deinde Cap. XXIII.

„ Die XXVI. Julii ſupervenit (*Venetias ubi Georgius ap-*
„ *pulerat*) Jacobus Todeſchinus negotiator Venetus, cum quo
„ una Gallea Alexandriam usque vecti amicitias contraxera-
„ mus. Is retulit nobis Candiam rurſus terræ motum paſ-
„ ſam ad IX. diem Julii, & quod prior ille terræ motus
„ ommiſit hoc iſte ſecundus funditus quaſſavit, turrem illam
„ præcelſam quæ portum muniebat, & ornabat, plurimaque
„ alia ædificia dejecta, Capitaneum (*Chriſtophorum Maurum*
„ *Laurentii filium*) hominem gravem cum pluribus Nobi-
„ libus interiiſſe. Ad hæc de Inſulæ Santorini diviſione ſu-
„ pramemorata nobis diſſeruit.

„ Prædixerat hoc malum Frater quidam de Obſervantia
„ Sancti Franciſci græce ad populum Candianum concionan-
„ do, niſi videlicet vitam emendarent eo anno ipſos nota-
„ biliter puniendos.

Sedata deinde nutantis ſoli quaſſatione Hieronymus in patriam regreſſus eſt magno ſui deſiderio Cretenſibus relicto, quorum animos ſibi juſtitia pariter & ſuavitate devixerat. Eapropter ut perennis apud poſteros perduraret tanti Præſidis memoria, ejus nomen Cretenſes lapidea epigraphe conſecrari mandarunt.

CRE-

Digitized by Google

CRETA. INTER. INSIGNES. MARIS. INSVLAS.
CELEBERRIMA.
ANNO. SAL. MCCIIII. DITIONI. VENETÆ. CESSIT.
EXTEMPLO. TRANSMISSA. COLONIA.
EX. FLORE. NOBILITATIS.
PROPAGAVIT. CVM. IMPERIO. INCOLVMI.
VENETAM. DIGNITATEM.
HIERONIMVS. DONATVS. DOCTOR. DVX.
PACATAM. INSVLAM. ACCEPIT
PACATIOREM. DEO, IVVANTE. CVM. SPE.
DIVTVRNÆ. QVIETIS
SVCCESSORIBVS. RELIQVIT. ANNO. SAL. MDVIII.

147 Anno 1508. Aloysius Arimundo, cujus secundo regiminis anno Universitas Cretensium Othonem Bonum Legatum Venetias misit novas leges pro bonorum venditione a Senatu impetraturum.

148 Anno 1510. Paulus Antonius Æmilianus, cujus successor designatus Aloysius Capellus dum Cretam navigaret, exorta tempestate, naufragio obiit.

149 Anno 1513. Aloysius Maripetrus, qui in munere decessit.

150 Anno 1514. Aloysius Aimus, cui Senatus, efflagitante præsertim Francisco Bono Universitatis Cretensis Oratore anno 1515. lato decreto mandavit, ut quod potissimum Venetiis decretum erat, Cretæ quoque observaretur, nempe, ut filii Nobilium ex vili aut inhonesta fœmina progeniti de Nobilium virorum albo delerentur, neque eis fas esset Majus Cretense Consilium unquam ingredi. Statutum quoque fuit eodem tempore, ut Canonici Cathedralis S. Titi Ecclesiæ impetrata ad id Romani Pontificis authoritate ad personalem in Candia Urbe residentiam, & ad Divini Officii cultum adigerentur. Ita legitur in S. C. lato anno MDXV. „ Desiderando noi la salute dell'anime de sudditi nostri scri„ vemo all'Ambasciator nostro, che habbia a supplicar la „ Santità del Summo Pontefice che provedi, che li Canoni„ ci della Chiesa Cathedral di S. Tito faccino residentia,

& cele-

„ & essendone alcuno, che per legitima causa non la potes-
„ se far, sia saltem obligato substituir qualch' un delli Sa-
„ cerdoti de buona vita & optimi costumi, che per suo no-
„ me facci la debita residentia juxta el desiderio de tutti
„ quelli carissimi nostri.

Anno 1516. Marcus Aurius. 151

Anno 1517. Antonius Lauredanus. 152

Anno 1519. Antonius Maurocenus defunctus in officio, pro quo Insulam rexit Marcus Landus Capitaneus. 153

Anno 1521. Marcus Minius, qui extremo sui regiminis tempore universam Cretæ Insulam doluit ita fame & peste vexatam, ut ad sex & viginti millia hominum utroque flagello consumpta perierint. 154

Anno 1524. Nicolaus Georgius. 155

Anno 1526. Bernardus Superantius Nicolai filius Benedicti Archiepiscopi Nicosiensis Frater, post quem Jacobus Cornelius Donati filius anno 1528. administrationem suscepit Cretensis Insulæ acerbe a latronibus & grassatoribus vexatæ, qui apud Alicambi Casale, olim Phalernam seu Phalaxarnam civitatem a Strabone Ptolomæo & aliis memoratam, munitissimo in loco receptacula sua posuerant. Ad flagitiosos itaque conterendos misit eo ipso anno Senatus Hieronymum Cornelium Georgii Equitis & Procuratoris filium Classis supremum Ducem, qui immisso in Caneæ finibus equitum peditumque ingenti agmine devictos latrones magna clade affecit, atque delevit, ipsumque Casale Alicambo ædibus ad solum eversis, in desertum redegit; neve deinceps opportunus ibi esset flagitiosis asylus, lege statuta indixit, ut in eo loco nemo in posterum nova ædificia construere posset, nec dirùta restituere. 156 157

Anno 1530. Nicolaus Nanius Petri filius. 158

Anno 1532. Dominicus Capellus Caroli filius. 159

Anno 1534. Petrus Boldu Ludovici filius. 160

Antonius Amulius Pauli filius anno 1536. Dux novus Cretam advenit vir nominis in Republica magni propter res gestas 161

ſtas in gravioribus muniis ſæpius obeundis, ut teſtatur numisma, quod exhibemus.

Atrox tunc temporis bellum exarſerat inter Solymanum Turcarum Imperatorem & Rempublicam Venetam, propterea Hariadenus cognomento Ænobarbus Italice Barbaroſſa, poſt Cicladas in Ægeo vaſtatas, & magna ex parte ſubactas Cretæ Inſulæ invaſionem tentavit, ratus eam ſine præſidiis, & omni apparatu deſtitutam repentino ipſo impetu citiſſime occupatam iri. Itaque claſſem ex ducentis ſeptendecim vel triremibus, vel onerariis adduxit, & die 12. Junii anno 1538. in littus ſuos milites expoſuit. Excurſione prope Miloporamum facta Rethimum properavit, ubi intrepide exceptus poſt biduum Sudam verſus vela dedit. Ab ingreſſu in portum non prohibitus copioſum militem in agros effudit, qui hoſtiliter agens omnia fœde vaſtavit, prædas abduxit, familias integras in ſervitutem rapuit, & Apricornum oppidum ab incolis metu dilapſis vacuum incendit, & ſolo æquavit. Aggreſſus eſt inde Cydonem, ſed Andrea Gritti Proviſore viriliter obſiſtente poſt omnem circa agrum, Barbarorum more, depopulatum coactus eſt abire. Hariadenus deinde claſſem ad portum Fraſchiæ, qui Creta urbe parum diſtat, applicuit, omnemque exercitum ad Urbis Metropolis obſidionem eduxit. Urbs nec milite, nec munimentis inſtructa ſtare diu non po-

potuiſſet, Ducis tamen Amulii, & Marci Antonii Triviſani Militaris Præfecti induſtria, & conſtantia ſtetit. Scilicet hortando civium animos erexerunt, & eo, quo poterant in tantis anguſtiis apparatu militari diſpoſito, majores, quam revera haberent vires, oſtentarunt: quare deceptus hoſtis noctu ſe in ſuas triremes recepit, & illico remeavit.

Novam aggreſſionem pars claſſis Turcicæ molita eſt cum jam Franciſcus Bernardo ſub finem anni 1538. Amulio ſucceſſiſſet. Quadraginta omnino erant hoſtiles Triremes; Barbari ex illis profilientes arces primum Ciſſami, & Mirabelli ad deditionem vocarunt, cum autem ipſarum præſidium in fide permaneret, Turcæ aliquot ruſticorum mapalibus incendio dirutis, & incolis admodum paucis, qui fuga ſibi non conſuluerunt, in ſervitutem abreptis, abierunt. 162

Anno 1540. Carolus Capello Eques. 163

Anno 1542. Matthæus Barbadico Andreæ filius. 164

Anno 1544. Marcus Antonius Contarenus Eques Marci filius. Virum hunc ipſo ſui regiminis primo anno ſe munere abdicaſſe vel deceſſiſſe arguitur ex S. C. lato die IV. Junii anno MDXLIV. quo ad enixas preces Nicolai Boni Univerſitatis Cretenſium Oratoris mandatum fuit *Auguſtino Suriano Capitaneo & Viceduchæ Cretæ*, ut leges pro bono Inſulæ regimine recenter latas ad litteram exequeretur. 165

Anno 1546. Dionyſius Contarenus Andreæ filius. 166

Anno 1548. Sebaſtianus Venerius Moyſis filius, qui cum Venetæ Claſſi præeſſet anno 1570. Procuratoria purpura inſignitur die 15. Maii. Militari laude ac rerum geſtarum merito illuſtris ad Ducale faſtigium evectus fuit anno 1577. 167

Anno 1550. Aloyſius Raynerius Federici filius, cui Procuratoris Sancti Marci dignitas collata fuit anno 1559. die 23. Octobris. 168

Anno 1552. Aloyſius Gritti Franciſci filius, dum ad finem ſui regiminis vergeret, leges in Comitiis Rogatorum latas urgente potiſſimum Joanne Dandulo Cretenſis Univerſi- 169

tatis Oratores excepit, ut publica authoritate ad exequutionem deduceret. Datæ fuerunt ad ipſum Senatus litteræ die I. Julii anno 1554.

170 Anno 1554. Salvator Michael Lucæ filius, Candiæ defunctus die I. Maii anno 1556.

171 Anno 1556. Hieronymus Ciconia Franciſci filius.

172 Anno 1558. Hieronymus Taleapetra Aloyſii filius.

173 Anno 1560. Antonius Calbo Hieronymi filius in eo potiſſimum curam omnem adhibuit, ut propugnacula urbis Candiæ, (quod a Veneti Senatus providentia impetraverat Sanctus Paſcalicus Univerſitatis Pheudatorum Legatus) validiori ad defenſionem forma reficerentur. Succeſſorem deſignatum habuit Leonardum Lauredanum, qui Venetiis obiit antequam Cretam ſolveret.

174 Anno 1562. Marcus Grimani Nicolai filius regimen accepit Cretenſis Regni, ad cujus litorum marisque cuſtodiam Senatus Venetus Cretenſium precibus exoratus Præfectum cum claſſe deſtinavit; quod muneris primus omnium Petrus Thronus ſuſcepit. Hic Dragutem pyratam ſpoliis Chriſtianorum onuſtum cum obvium habuiſſet, prælio fregit captumque trucidavit. Necem Dragutis, qui ſe non pyratam, ſed Turcici Imperatoris militem aſſeruerat, adeo moleſte tulit Solymanus, ut ſe ſe bellum Venetis illaturum profiteretur, niſi ſibi ex æquo ſatisfieret; quapropter Throno Præfecto ad exilium damnato, Solymani ira Danielis Barbari Legati ſuavitate & dexteritate ſedatur. Abſoluta autem Grimanus ſuæ Legationis periodo, ſucceſſorem habuit ex Majoris Conſilii electione Joannem Matthæum Bembo Aloyſii filium, cui ex ſuprema authoritate ab onere hujus dignitatis exempto ſurrogatus fuit

175 anno 1564. Daniel Barbarus Laurentii filius, is, qui, ut jam diximus, Solymani furorem ſua prudentia linierat.

176 Anno 1566. Franciſcus Superantius Joannis Aloyſii filius, Candiæ adminiſtrationem ſuſcepit, in qua civitate deceſſit anno inſequenti 1567. die 24. Julii. Mortis ejus nuntio Venetias delato inſtitutus fuit *Candiæ Ducha* primum Paulus

Geor-

Digitized by Google

Georgius Aloyſii filius, mox eo munus ſubire recuſante, Paſcalis 177
Ciconia Gabrielis filius, qui ad onus ſibi delatum ſuſcipiendum
Cretam appulit anno 1567. Rethymnam urbem, quam Ret-
timum vocant, pridem Præſes ſeu, ut vocant, Rector lau-
datiſſime adminiſtraverat, ubi & violentas Pyratarum copias
Inſulam affligentes repulit, atque disjecit. In ſummo itaque
Regni officio poſitus nihil antiquius habuit, quam ut anno-
næ ubertati attentius conſuleret, quapropter publica horrea
tritico, aliisque frugibus aſſervandis deſtinata magnifice eri-
gi mandavit, ne (quod ſæpius acciderat) frequens civitatis
populus ſubita panis caritate laboraret. Nec minori ſtudio
ſibi demandatæ Provinciæ præſervationi proſpexit, quam aſ-
ſidua ſollicitudine multis graviſſimisque periculis exemit, om-
nia ad civitatis, & oppidorum præſidium apte diſponens,
ut loca ſuæ ditioni ſubjecta a Turcarum excurſionibus tuta-
retur. Non tamen univerſæ Inſulæ pari tranquillitate frui
licuit, cum enim ea tempora ſæviſſimo Turcarum bello
adverſus Venetos excitato perturbata eſſent, Barbarorum
claſſis noctu Cretam appulit, expugnatumque primo im-
petu Sudæ oppidum diripuit, & incendit. Opportuna de-
inde ad coercendam Turcarum ſævitiem, qui late per In-
ſulæ fines cædibus atque incendiis graſſabantur, adfuit Lucæ
Michaelis virtus: cum enim Caneæ Rector præeſſet, e civi-
tate cum octingentis militibus Corſis, & tenui oppidanorum
manu egreſſus ita conſtanter in Turcas irruit, ut ipſos ad
naves redire coegerit. Ulucialis tamen archipyrata cum iis-
dem diebus navium ſuppetias Turcis ex Algerii Regno ad-
duxiſſet, latus aquilonare Cretæ Inſulæ cum L. triremibus
invaſit, expoſitaque militum acie Caſalia primum ferro at-
que igne vaſtavit, mox Rethimum incolis ob metum in
propinquos montes elapſis vacuum repertum injectis in domos
flammis evertit. Rethimi excidium ſubſequuta eſt ruſticorum
ſeditio, qui ob exactos tempore belli remiges Venetis ma-
giſtratibus infenſi arreptis inopinato armis multos ex nobilibus
ſæviſſime trucidarunt, miſſisque ad Pertaum Turcicæ claſſis

Imperatorem ſupplicibus litteris, ſe ſe in ejus fidem ultro tradiderunt. At cum jam Barbari e Sudæ litore ſolviſſent, Marinus Caballus, qui Venetis copiis ſummo cum Imperio in Creta præerat, miſſis ad Rethimi loca militibus ſeditioſos arma deponere coegit, plurimosque ipſorum ultimo ſupplicio peremit.

Dum hæc in Rethimenſi agro aguntur, Paſcalis Ciconia ingentem bellici apparatus copiam undequaque collegit, eamque deduci mandavit ad Chriſtianæ claſſis ſubſidium, quæ celeberrimam deinde de Barbaris apud Echinadas Inſulas victoriam retulit anno 1571. Eo autem tempore poſt abſolutam ſuæ dignitatis in Candia urbe periodum Paſcalis ad regendum ampliſſimam Cydoniæ civitatem Reipublicæ juſſu translatus fuerat: ſiquidem cum ex ipſius ſollicitudine, & aſſiduo juſtitiæ ſtudio, dum Duchæ officio fungeretur, multa maximaque eveniſſent univerſæ Inſulæ bona, Senatus in arduo temporum diſcrimine ad varia in Cretenſi Regno munera virum prudentiſſimum diu detinuit, ita ut per decennium in diverſis Inſulæ civitatibus ſummo cum imperio præfuerit. Cydonem itaque cum magnæ navalis victoriæ anno Præſes adminiſtraret, eam urbem celeri providentia ab anguſtia annonæ, mox pari dexteritate a præſenti militaris ſeditionis periculo liberavit; quapropter Cydoniatæ, ut præclariſſima ſui Præſidis merita perenni grati animi teſtimonio proſequerentur, equeſtrem ex marmore ſtatuam illi in foro Urbis primario erigendam decreverunt. Nec ſapientia ſolum, & militari virtute, ſed & ſpectatiſſima pietate apud Cretenſes effulſit, cujus præclarum illud eſt teſtimonium, quod dum Candiæ aliquando Divino ſacrificio devotius adſtaret, conſecrata hoſtia ex altari ſponte elevata ad manus piiſſimi Duchæ evolavit. Ita de eo prodigio ſcribit Franciſcus Sanſovinus in Venetæ urbis deſcriptionibus: *Mentre udiva la Meſſa, un giorno in Candia, ſi levò l'Oſtia conſegrata dall'Altare, e levataſi in aere, benchè il Sacerdote faceſſe ogni ſforzo per riceverla, andò a fermarſi nelle mani di queſto Pren-*

Principe. Sunt tamen, qui ex traditione ſcribunt, Paſcalem, dum arcis Corcyreæ Præfectus eſſet, auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ex Sacerdotis manibus evolatum ſinu excepiſſe.

Prodigium hoc, & merita in Cretenſem Provinciam memorantur in emortuali elogio, quod Venetiis in Sanctæ Mariæ olim Cruciferorum, nunc Societatis Jeſu Eccleſia, legitur Mauſoleo ejus inciſa.

Paſcalis Ciconiæ Venetiarum Principis Memoriæ Sempiternæ. Qui poſt Remp. domi foris e dignitate ſæpius adminiſtratam, poſt Cretenſem Inſulam, cui per decennium ſummo cum Imperio præfuit, in Navali ad Echinadas prælio incolumem reſervatam, qua cauſa Cydones illi ſtatuam in foro E. C. Patriæ ſuæ tandem Princeps mira omnium conſenſione creatus, eam pariter per decennium tanta aſſiduitate & diligentia gubernavit, ut de ejus commodis, atque utilitatibus non prius finem fecerit, quam animam efflaverit, & ad ſuperos, cum diu æternitati ſuæ interfuiſſet, non ſine opinione ſanctitatis evolavit.

Obiit die II. Aprilis MDXCV. Ætatis ſuæ anno LXXXV. Menſ. X. di. XXV. Principatus vero ſui IX. menſ. VII. di. XV. Paſcalis Ciconia ex Fratre Nepos Mœſtiſſimus P. C. velut alter Symeon manibus Chriſtum excepit.

Et velut alter David Cretæ in bello, Patavio in peſtilentia, & Patriæ in fame præſto fuit.

Poſtquam igitur Paſchalis e Candiæ regimine ad alias urbes cuſtodiendas expleto biennio deductus fuit, Ducalis Candiæ dignitas anno 1569. Petro Pizzamano Joannis Mariæ filio collata fuit, qui in iis temporum anguſtiis munus ſuſcipere recuſavit. Electi igitur fuerunt alter ab altero Marcus Antonius Maurocenus Federici filius, & Gaſpar Raynerius Hieronymi filius anno 1570. quibus pariter onus ſubire renuentibus, electus fuit in majoribus Reipublicæ Comitiis Ducha Candiæ Marcus Grimani Nicolai filius; collatæque ſibi adminiſtrationis poſſeſſionem iniit ineunte anno 1571. Interea cum militare in univerſa Inſula imperium ſuſce- 178

piſſet

piſſet ex Senatu deſtinatione Jacobus Fuſcareno Eques, & Procurator, juſſit hic ſtationes militares in urbe Metropoli erigi, ejusque mœnia & propugnacula reſtaurari, augerique, operum directionem agente Antonio Scolario Veronenſe celeberrimo ævi illius militari Architecto. Dum hæc aguntur Marcus Grimani Ducha expleto ſui muneris biennio in patriam rediit, ubi non diu poſt meritorum ſuorum mercedem accepit Procuratoris dignitatem anno 1576. die 16. Octo-
179 bris. In ipſius locum ſuffectus fuit anno 1573. Daniel Venerius Marci Antonii Doctoris & Procuratoris filius, cujus regiminis eo ipſo ſuæ electionis anno ſuſcepti fidem perhibet documentum quoddam authenticum, quod licet minimi ſit momenti, lectorum tamen curioſitati non injucundum fore confido.

Adi 12. *Agoſto* 1573. *in Candia.*

SERENISSIMO PRENCIPE.

„ Non havendo la Serenità Voſtra fatto pagar ne per la „ prima, ne per la ſeconda, la ſarà contenta de far pagar „ per queſta terza de cambio zorni (ideſt giorni) 15. dap- „ poi viſta al Magnifico Miſ. Michiel Foſcarini fu de Miſ. „ Hieronimo, overo a chi per lui foſſe ducati ſettecento „ da L. 6 : 4 per ducato per altrettanti che contò in que- „ ſta Camera il Magnifico Miſ. Santo Paſqualigo fu de Miſ. „ Nicolò in Caſſa del Magnif. Miſ. Marco Bragadin Camer- „ lengo, e poſti in credito di V. Seren. tolti a cambio d'or- „ dine noſtro per pagar Fanti. La Seren. V. ſi degnerà far- „ gli ſar buon pagamento. Val - - - - Duc. 700.

„ Daniel Venier Duca.
„ Luca Bragadin Capitanio.
„ Luca Michiel Proveditor General.
„ Domenico Marcello Conſiglier.
„ Franceſco Garzoni Conſiglier.
„ Alfonſo di Bon V. Cancel. Fiſcal.

Digitized by Google

Nec diu poſt, anno ſcilicet inſequenti 1574. onus cum vita dimiſit Daniel Venerius Ducha in Eccleſia Sancti Salvatoris tumulatus. Candiam appulit ipſo anno 1574. Ducha renuntiatus Aloyſius Juſtinianus Bernardi filius, qui cum deinde Proviſoris Generalis munus ſumma cum probitatis laude in eadem Inſula expleſſet, Procuratoria purpura ornatus fuit in ſupremis Reipublicæ Comitiis anno 1593. die 5. Junii. 180

Juſtiniano ſuffectus fuit anno 1576. Marcus Ciconia Gabrielis filius, Paſcalis vero ſupralaudati frater, quo Cretam regente juſſit Senatus ad validiorem Inſulæ cuſtodiam munitiſſimum propugnaculum ædificari, quod deinde ſub Hermolao Theupulo Stephani Procuratoris filio anno 1578. Candiæ Ducha, & Luca Michaele Generali Cretenſis Regni Proviſore erectum fuit ad plagam Inſulæ Orientalem, ubi olim antiqua Cherſoneſus exſurgebat, cui proinde ex loci figura nomen inditum fuit Spinalonga. Alio quoque circa ea tempora fortiſſimo propugnaculo munitam voluit Cretenſem Inſulam Senatus, ne frequentibus Barbarorum incurſibus undequaque pateret, quapropter Paulo Urſino Clariſſimo Militum Duci commiſit, ut arcem ex proximo portu Grabuſarum, ſeu Carabuſarum appellatam in loco, qui fere inexpugnabilis videbatur, extrueret. Hoſpitale etiam iisdem ferme diebus ad ægrotos milites curandos Candiæ inſtitutum fuit, aſſignatis (ut ſuperius diximus) ad ejus ſubſidium redditibus Epiſcopalis menſæ Arcadienſis. 181 182

Nicolaus Salomonius anno 1580. Theupuli munus excepit, quod deinde abſoluto biennio Nicolao Donato electo ejus ſucceſſori reſignavit. Hic eximiæ prudentiæ vir ad ubertatem annonæ publica horrea in Candienſi Sancti Marci foro ſub Paſcali Ciconia inchoata nobili opere abſolvit; ad validiorem nobiliſſimæ Metropolis munitionem propugnacula auxit, ad commercii incrementum vectigalia laxari curavit, plurimaque ad Inſulæ commodum utiliſſime egit, atque æquitatis & ſapientiæ laude omnibus charus ab Inſula, 183 184

uni-

univerſo populo lugente, diſceſſit. Porro plurima ex iis quæ ſtudioſiſſime diſpoſuit, ex Veneti Senatus decreto exequenda acceperat, eaque per Legatum ſuum Franciſcum Quirinum Equitem ad hæc ſpecialiter agenda Venetias miſſum Univerſitas Pheudatorum Cretenſium impetraverat anno 1583.

Quoniam vero Franciſcum Quirinum Equitem Cretenſi Legatione functum memoravimus, non abs re erit, hoc loco merita & dignitates illuſtris hujus familiæ, quaſi oblata occaſione, recenſere ex S. C. quo Benedictus Quirinus vir clariſſimi nominis optime de patria, & Republica meritus a Veneto Senatu equeſtri dignitate, & perpetua Comitatus Caſtri Themenes, aliorumque locorum poſſeſſione decoratus fuit anno MDXCVII.

„ Marinus Grimanus Dei Gratia Dux Venetiarum &c.
„ Inter eas grati, ac benevoli animi ſignificationes, quibus
„ Principes Viri, ac bene Inſtitutæ Respublicæ, claros Ci-
„ ves, ac de Patria optime meritos, honeſtare conſueverunt,
„ illa maxime excellit, quæ non modo ipſorum merita il-
„ luſtri aliquo teſtimonio exornat, ſed etiam poſteris ad be-
„ nemerendum præclaraque ad tutandam, atque amplifican-
„ dam dignitatem, ac ſalutem publicam, edenda facinora
„ prælucet. Atque ideo Respublica noſtra traditum a Ma-
„ joribus diligentiſſime tuetur inſtitutum, ut Civium ſuorum
„ teſtatam erga ſe præſtantibus officiis, ac ſtudiis, fidem,
„ ac benevolentiam gratiſſimo animo excipiat, atque am-
„ plis honoribus decorare contendat, ut non modo ipſi de-
„ bitum laboribus ac vigiliis ſuis gloriæ fructum percipiant,
„ ſed etiam cæteros omnes ad eamdem amplectendam, per-
„ petuoque retinendam voluntatem ſuo exemplo impellere,
„ atque incitare poſſint. Quocirca cum Vir nobilis & egre-
„ gius Benedictus Quirinus Franciſci Equitis optime de no-
„ bis meriti filius, atque unus ex ductoribus Equitatus No-
„ bilium, & Pheudatorum in Regno noſtro Cretæ, pater-
„ nis veſtigiis inhærens, ea omnia in Regno Noſtro ipſo
„ Cretenſi quotiescumque publicæ occaſiones ac tempora

poſtu-

„ poſtularunt, accurate præſtiterit, quæ ad commodum ſa-
„ lutemque illius Regni pertinere intelligebat. Atque in
„ primis Anno ab Orbe redempto MDXC. Proviſor An-
„ nonæ declaratus in eam curam toto animo incumbuerit,
„ ut Urbem Cretam frugum copia, aliisque rebus permul-
„ tis maxime affluentem redderet, privatamque pecuniam
„ ſuam in omnes eos, quorum opera utebatur, erogaverit.
„ Deinde vero Anno MDXCII. cum peſtilentia univerſum
„ Regnum miſerrime conflictaretur, ipſe per annum inte-
„ grum huc atque illuc equitans, atque occurrens, non
„ modo Cretam Urbem frugibus, atque annona munien-
„ dam curaverit, ſed etiam, ut peſtilentiæ virus reprime-
„ retur, aſſidua cura, opportunisque mandatis operam de-
„ derit, nullo publico ſumptu, ſed privatis ſemper expen-
„ ſis in miniſtros omnes collatis, ac quingentis præterea au-
„ reis nummis ad ægrotos curandos dono datis. Ad quæ ac-
„ ceſſit etiam alia præſtantis animi declaratio. Cum anno
„ MDXCIII. increbeſcente de Turcicæ Claſſis adventu ſu-
„ ſpicione quingentos, & amplius homines, ex agris in Cre-
„ tam Civitatem adduxit, eosque omnes cum multis aliis
„ propriis ipſius fructibus, ac pecuniis ad tempus præſtitu-
„ tum alendos ſuſtinendosque curavit. Ac demum in cura,
„ & onere præcipuo unius ex Ductoribus Equitatus Nobi-
„ lium ac Pheudatorum egregie ſemper verſatus eſt, ac
„ Nob. Viro Fabio de Canali Præfecturam univerſi Equita-
„ tus adminiſtrante, quotiescumque poſtulavit occaſio, Ma-
„ ritima Regni loca cum Equitum ſuorum turma alacriter
„ ac ſtrenuo luſtravit, ac peragravit. Idcirco nos egregia
„ ipſius merita digno teſtimonio decorare volentes eumdem
„ virum nobilem Benedictum Quirinum hodie coram nob s
„ genibus flexis jacentem in nobilium virorum corona, e
„ plenitudine noſtræ Ducalis poteſtatis, ac ex Senatus De-
„ creto, cum omnibus liberis, poſterisque ſuis, ex legiti-
„ mis nuptiis ortis & orturis per rectam lineam de Pri-
„ mogenito in Primogenitum Comites creavimus, ac digni-

„ tate Comitatus per impositionem annuli de more inve-
„ stivimus ; qua dignitate ipse, ejusque Posteri frui debeant
„ pro Castro Themene & Casalibus Paphnes, quæ in Re-
„ gno Cretensi possident : quod Castrum & Casalia post hac
„ ad dignitatem Comitatus erecta esse intelligantur, cum
„ omnibus commodis, ac prærogativis, quas cæteri Comi-
„ tes titulares in Dominio nostro obtinere consueverunt :
„ Salvo semper jure Superioritatis, ac veri Dominii nostri,
„ ac fidelitatis, quam Reipublicæ nostræ jurare, ac perpe-
„ tuo semper tenentur servare. Præterea eodem die illum
„ ipsum nobilem Virum Benedictum Quirinum, quem Co-
„ mitem creaveramus, coram nobis flexis genibus positum
„ aureo cingulo & calcaribus aureis ornatum servatis omni-
„ bus quæ de more servari opportuit, ex Senatus Decre-
„ to, ad gradum, & dignitatem Equestris Ordinis promo-
„ vimus, & extulimus, ut post hac Eques splendidus ubi-
„ que appelletur, atque illi facultatem impartivimus ferendi
„ aureas vestes, arma, zonam, Calcaria, aliaque inaura-
„ ta cujusvis generis militaria ornamenta, nec non gauden-
„ di quocunque honore, dignitate, jurisdictione, ac quibus-
„ vis immunitatibus, ac privilegiis ad veram militiam, &
„ equestre decus pertinentibus. Quæ ut omnibus testata,
„ atque expressa sint hoc diploma nostrum fieri jussimus,
„ & sigillo nostro aureo communiri.

„ Datæ in Nostro Ducali Palatio XIV. Apr. MDXCVII.

„ Joannes Carolus Scaramelli Secret.

185 Nicolai Donati Dignitatem iniit anno 1584. Ludovicus Memmius, eique postea in munere successerunt.

186 Anno 1586. Bernardus Navagerius Hieronymi filius.

187 Anno 1588. Albertus Lauredano Leonardi filius.

188 Anno 1590. Hieronymus Capellus Aloysii filius, cui (efflagitante per Legatos suos ad id specialiter delectos Universitate Nobilium Pheudatorum Cretæ) mandavit Senatus anno 1591. ut ad rite probanda Nobilium, qui Cretæ gignebantur, natalia, iisdem utendum esset in Creta legibus,

quæ

quæ Venetiis pro admittendis in Majori Conſilio Nobilibus conſtitutæ fuerant. Oratores ad id impetrandum deſtinati fuerunt Joannes Franciſcus Cornelius pro civitate Candiæ, Alexander de Molino pro Cydonia ſeu Canea, Marinus vero Polanus pro Rethimo, qui cum egregie ſuo munere functi fuiſſent, Senatus decreto equeſtri dignitate donati fuerunt anno inſequenti 1592; Cornelius & Molinus quidem die 14. Polanus autem die 28. menſis Martii. Graviſſimo peſtilentiæ morbo per hæc tempora Candiæ urbs afflicta fuit, qua lue nondum extincta Hieronymus Creta diſceſſit, ubi non multo poſt rediit cum ſummo militari Imperio Proviſor Generalis ejusdem Regni deſtinatus.

Joannes Dominicus Ciconia Hieronymi filius liberatam vi- 189
dit a peſtis flagello Candiæ urbem Dei miſerentis ope, cui propterea Candienſes Eccleſiam S. Rochi titulo nuncupatam, corrogatis eleemoſinis erexerunt. Hanc peſtis calamitatem mira ignium portenta per aerem diſcurrentia ſubſequuta ſunt, nec multo poſt in Civitate Candiæ ovis agnum humana facie, & in Caſali Caleſſa nuncupato mulier puerum ſuillo ore grunnientem pepererunt. Quum autem hujusmodi monſtra licet ex occultis naturæ diſpoſitionibus orta haud remotum aliquod infortunium ex vulgi opinione portendant, magno univerſi Regni incolas terrore affecerunt. Et quidem cum
anno 1594. Marcus Antonius Venerio Danielis olim Duchæ 190
Cretenſis filius, Inſulæ adminiſtrationem excepiſſet, Candia urbs anno inſequenti 1595. adeo horribili terræ tremore concuſſa fuit, ut aliæ ſuper alias domus repente corruerint, plurimæque aliæ hiantibus parietibus ad ruinam inclinarent, cujus quidem terræmotus damna ad alias etiam Inſulæ civitates & loca ſe extenderunt. Afflicti Regni mala deinde auxit acerba fames, quæ anno 1596. poſt ſuſceptam a Peregrino Bragadeno Ducha Nicolai filio adminiſtrationem non 191
Candiæ ſolum, ſed & in reliquis Cretæ regionibus ſævierat. Quum autem annonæ charitati tandem proviſum eſſet, Peregrinus Ducha Inſula ex muneris ſui officio perluſtrata gra-

vi infirmitate correptus e vivis exceſſit, ejusque corpus in Sancti Salvatoris Eccleſia ſepulturæ traditum fuit.

192 Anno 1598. Petrus Franciſcus Maripetro Marci filius.

193 Anno 1600. Jacobus Piſauro Marci filius.

194 Anno 1602. Joannes Sagredo Petri filius, militari etiam authoritate propter abſentiam Proviſoris Generalis munitus loca Caſtrinovi & Priotiſſæ a latronibus fœde afflicta & vaſtata ad quietum ſtatum reſtituit, & flagitioſos ferro & laqueo ſuſtulit. Leges etiam, quas Senatus rogatu Jacobi Quirini Equitis & pro Univerſitate Pheudatorum Candiæ Oratoris ad Inſulæ munimentum & utilitatem tulerat, publice promulgari & utiliter impleri curavit.

195 Anno 1604. Joannes Baptiſta Michael, cujus tempore cum frequens terræ nutatio Candiæ civitati cæterisque locis excidium minitaretur, pavidi cives ex domibus emigrantes ad apertos ægros confugerunt, ibique tentoria figentes per duos & amplius menſes, donec terra quieſceret, permanere coacti ſunt. Inſulæ autem ſtatu ad quietem reſtituto, cum ardui regiminis curſum expleſſet Joannes Baptiſta in patriam rediit, cujus munus inire juſſus fuit Anno 1606.

196 Joannes Matthæus Girardo. Quum autem per ea tempora de valido Turcarum apparatu rumor percrebuiſſet, juſſit Senatus omnia ad Cretæ Inſulæ propugnationem neceſſaria apte diſponi, quæ dum Candiæ & Cydoniæ aguntur, Cretam appulit anno 1608. Girardi ſucceſſor Delphinus

197 Venerius locorum Inſulæ & ſtatus Regni optimæ gnarus, quippe qui Danielem Patrem & Marcum Antonium fratrem habuiſſet in dignitate præceſſores. Inter ea autem repellendi hoſtis conſilia, Cretenſes Patritii fidem ſuam delatis ſubſidiis oſtenderunt, quos tamen omnes & liberalitate, & alacritate longe præcelluit Bartholomæus Dandulus Venetus e Cretenſi Colonia Nobilis, cujus mira in patriam pietas ex imminenti Turcicæ invaſionis periculo agitatam, validæ Triremis ſubſidium propriis ſumptibus aptatæ militibus.

Digitized by Google

tibusque inſtructæ proprio ære diu ſuſtinuit, ſeque ipſum gravioribus belli laboribus expoſuit, nullo alio præter patriæ charitatem propoſito ſibi expenſarum, & incommodi præmio, quapropter Senatus optimi viri meritis devinctus ipſum ampliſſimo diplomate die XIII. Octobris anno MDCIX. equeſtri dignitate multisque privilegiis ornari decrevit.

„ Leonardus Donato Dei Gratia Dux Venetiarum &c.
„ Majores noſtri virtutem tanti profecto facere, ut eos qui
„ præditi fuerint aliquo inſigni argumento, omnibus ſpectan-
„ dos præbuerint, eorum nobilitatem adauxerint, decus de-
„ cori addiderint, nam licet quæ ex virtute emanant ſplen-
„ dida ſint & micent, Principum tamen teſtimonio mican-
„ tiora redduntur, & veluti dies ſolis luce clariora & per-
„ ſpicaciora omnibus apparent, ſicque virtute clari viri im-
„ mortalitatem cum affectent, gloriam illam adipiſcuntur,
„ qua in perpetuum vitam agunt, dum celebre eorum no-
„ men immortalitati commendatur. Nos quoque eorumdem
„ veſtigiis inſiſtentes non caduco, ſed immortali præmio de-
„ corandos eos eſſe cenſemus, qui bene de Republica me-
„ riti illuſtria facinora cum præſtiterint, ut a vulgaribus di-
„ gnoſcantur, ſumma exiſtimatione eos teneri noſtra autho-
„ ritate volumus, ſingularibus honoribus ornamus, ut cives
„ cæteri hac illecti gloria præclara quæque prout occaſio
„ ſe ſe offert, pro Republica gerant, nihilque cum anti-
„ quius Patria bonis ſit civibus, pro illa nullum vitent pe-
„ riculum, ſed ilari animo vel graviſſima quæque ſubeant.
„ Ita ſane ſe geſſit Nobilis vir Bartholomæus Dandulus q.
„ Fantini, qui præterquam quod nullam ſuæ in nos opti-
„ mæ voluntatis demonſtrandæ occaſionem prætermiſit præ-
„ cipue dum peſtilentia in Regno noſtro Cretæ annis 1592.
„ 1593. graſſabatur, cæteris rebus poſtpoſitis, quæ fuerunt
„ illi impoſita ab iis, qui eo tempore Regnum illud noſtro
„ regebant nomine, ingenti ſuæ vitæ diſcrimine onus per
„ totum Regnum equitando hilari animo acceptavit, ma-
„ gna authoritate exercuit, maximaque illorum Patrum, qui

illi

„ illi Regno præerant voluptate confecit. Plura ea, quæ
„ præſtantia pro Republica egit, dum equites in eo Regno
„ noſtris verbis duxit, prout publicis diplomatibus nobis con-
„ ſtant omnia. Superioribus annis, dum ſumma pro Repu-
„ blica agerentur, ingenti animi lætitia ſponte ſe obtulit
„ Triremem ſuo ære rebus omnibus inſtructam alere, nec
„ non cæteris quoque ejusdem Regni triremibus, dum ſub
„ ſummo dilectiſſimi Nobilis noſtri Joannis Bembo D. Mar-
„ ci Procuratoris Imperio commorarentur, in ſenili ætate
„ conſtitutus, filio orbatus, qui ut Triremi præeſſet erat
„ delectus, incredibilem dolorem cohibuit, præeſſe ingenti
„ alacritate voluit, omniaque prompte præſtitit, quæ ad
„ tantum ſubeundum onus pertinere videbantur. Quibus re-
„ bus a ſe præclare geſtis, ſempiternaque memoria dignis,
„ nobilibus propriis natalibus nobiliorem ſe præbuit, quæ,
„ ut omnibus innoteſcant, & poſteris ſint ad præclare agen-
„ dum excitamenta, utque meritorum ſuorum gloria potia-
„ tur, motu proprio S. C. pleno Collegio multorum no-
„ ſtrorum Nobilium cæterorumque adſtantium corona, eun-
„ dem Nobilem virum Bartholomæum Dandulum torque
„ aureo cum Divi Marci noſtri Protectoris bulla pendente
„ donavimus, ſervatisque iis, quæ ſervari conſueverunt, eque-
„ ſtri dignitate ornavimus, Volumusque ut in poſterum eques
„ ſit, & ab omnibus habeatur, omnibus honoribus, immu-
„ nitatibus, jurisdictionibus & privilegiis, quæ ad militarem
„ & equeſtrem pertinent dignitatem perfruatur cum liber-
„ tate ferendi torquem, ſtolam, enſem, zonam, calcaria
„ aurea, cæteraque equeſtria & militaria ornamenta, & in-
„ ſignia, eoque modo cæteris præſit, quo ejusdem Regni
„ equitatus Duces præſunt, qui de more inter ſe præeſſe
„ debeant, prout eorum fert ætas. Inſuper dum vixerit,
„ conceſſa illi ſit jurisdictio Oppidi Bonifatii, quod alias
„ idem Nobilis Vir peſtilentia ſurente gubernavit, ſolita
„ ejusdem Oppidi & aliorum idem Oppidum regentium au-
„ thoritate. In quorum omnium fidem diploma hoc fieri,

& ſi-

„ & ſigno noſtro communiri juſſimus. Dat. Venetiis die 1. „ Octobris Ind. VIII. anno 1609.“ (Indictio incœperat a Kalend. Septembris.)

Hoc ipſo anno 1609. Obiit Candiæ vir memoria dignus Sanctus Cucina Ordinis Servorum B. M. in Provincia Græciæ Vicarius Generalis, qui cum unicus ex ſuo Ordine in Candienſi Sancti Pauli de Candia Monaſterio de Bungirada nuncupato degeret, illud per obitum ſuum absque habitatore vacuum dereliquit. Quum autem nullus eſſet ex Servorum familia, qui in defuncti munere ſuffici pateretur, Thomas & Paulus Danduli, de quorum familiæ jurepatronatus erat, ut alibi diximus, Monaſterium, illud anno 1612. contulerunt Marco Paſcalico, qui tunc Eccleſiæ Candienſis Canonicatum obtinebat. Verum cum non diu poſt idem Marcus ad Epiſcopatum Zacinthi, & Cephaleniæ aſſumptus fuiſſet, Nobiles Danduli ſuperius enuntiati adminiſtrationem collati Monaſterii Marco electo Epiſcopo auferre, & in virum alium transferre diſpoſuerunt. Quare oborta controverſia, & ad Senatum Venetum delata, decretum fuit ex Magiſtri Pauli Sarpi conſilio, qui tunc Publici Conſultoris officio fungebatur, ut Marcus Epiſcopus Monaſterii ipſius adminiſtrationem, quæ ſimplex beneficium cenſebatur, poſſet ſimul cum Epiſcopatus regimine retinere. Circa hæc tempora veriſimile eſt derelictum ab Ordine Servorum Candienſe Monaſterium Sancti Pauli ad Fratres Prædicatores per conceſſionem Familiæ Dandulæ tranſiiſſe, ſiquidem in Codice ms. quem ſæpe citavimus, nullum aliud Cœnobium enuntiatur in Candia civitate Sancti Pauli titulo inſignitum, niſi illud quod a Fratribus S. Dominici excultum memoratur.

Anno 1610. Auguſtinus Michaelius. 198

Anno 1612. Franciſcus Maurocenus Petri filius, cui ad 199
ſupremum deinde Inſulæ Imperium militare evocato cuſum fuit numisma, quod exhibemus.

Ob militaria merita clarus Procurator renuntiatur anno 1630. die 28. Junii.

Anno

200 Anno 1614. Bernardus Venerius Angeli filius, qui cum aſperius in exigendis tritici vectigalibus ageret, Cretenſes Nobiles plus æquo gravatos eo adduxit, ut inſtituta Legatione Duci, & Senatui Veneto per Jacobum Quirinum Equitem ipſorum nuntium, & Oratorem de injuſtis Venerii Duchæ actis querimonias exhiberent. Pheudatorum preces cum excepiſſet Senatus lato decreto juſſit, ut amotis iis quæ ex arbitrio egerat Ducha, omnia ad veterem legum normam revocarentur. Hæc Senatus decreta deinde Franciſco Zeno (quem mox memorabimus) Cretæ Duchæ exhibuit anno MDCXX. idem Jacobus Quirino Eques poſt abſoluta ſuæ Legationis acta in patriam redux.

201 Anno 1616. Carolus Belegnus Aloyſii filius, cui in ipſis ſuæ adminiſtrationis exordiis defuncto ſuffectus fuit Donatus

202 Maurocenus Marini filius. Huic anno 1617. *Cretæ Proconſuli deſignato* epiſtolam Belluni dedit Aloyſius Lollinus Epiſcopus X. Kalend. Junias, in qua ipſius mores doctrinam & prudentiam laudibus extollit, & de illi commiſſa Provincia hæc addit: *Provincia quin etiam ipſa, quæ ſortita obtigit hujusmodi omni ævo fuit, ut tibi tameſſi impigre currenti tua ſponte, calcar addere debeat ad decus, dum tecum ipſe cogitas jus te iis in regionibus dicturum, quæ luminis in oras olim edidere Minoa atque Rhadamantum, illos capitales etiam nunc, ſi Poetis credimus, Manium Duumviros, quorum ſupercilium tartara tremiſcunt. Cupreſſeta Gnoſſiorum quoties videbis, animo ſuccurret Clinias cum Socrate ibi de legibus colloquens in umbra, quam late opaci nemoris arbores diffundunt. Verrem mediuſfidius Siciliæ labem æque admonerent, topica iſtiusmodi, recordationis adiumenta, ne dum te Myſtam Themidis politica arte expolitum. Inter eas Rerumpublicarum formas, quas lumen illud veſtrum Ariſtoteles æmulari volentibus proponit, nullam facile invenies, quæ minori cum exceptione laudari queat, quam Cretenſis, adeo moribus conſtabat, ut illa ferebat ætas boneſtiſſimis & belli pacisque tempori percommodis.* Alia duo hujus epiſtolæ fragmenta dedimus ſuperius in

in notis ad Bondelmontium. Proconſuli huic viro doctiſſimo ſibique ſumma neceſſitudine conjunctiſſimo alias etiam Latinas Epiſtolas miſit laudatus Epiſcopus, ipſumque *in Cretenſem coloniam ſummo cum Imperio proficiſcentem* Elegiaco aliisque diverſi metri carminibus prolequutus eſt, quem pariter e Cretenſi regimine magna cum probitatis prudentiæ laude reverſum non uno carminum genere commendavit. Eidem inſuper duo ex ſuis opuſculis inſcripſit unum ſcilicet, cui titulus: *Diſputatio de origine malorum:* Alterum ſic notatum: *De ſcopendi verbo in Pſalmis poſito:* Venetiis edita anno 1630.

Anno 1619. Franciſcus Zenus Marci filius. 203

Anno 1621. Nicolaus de Ponte, cujus ſucceſſor deſignatus Jacobus Nanius obiit Venetiis antequam commiſſæ ſibi dignitatis poſſeſſionem iniret, cui propterea in publicis Comitiis ſuffectus fuit anno 1623. Marinus Piſaurus Candiæ nondum abſoluto ſui muneris periodo defunctus. 204 205 206

Anno 1625. Leonardus Fuſculus Aloyſii filius, cui deinde, dum Dalmatiæ Provinciam Proviſor Generalis regeret, Procuratoris dignitas collata fuit anno 1647. die 4. Novembris. Obiit anno ſecundo Leonardi Fuſculi Ducis anno ſcilicet Chriſti 1626. Belluni ſæpelaudatus *Clariſſimus Præſul & Præſulum decus* Aloyſius Lollinus ex Cretenſi Colonia Patritius Venetus poſtquam Eccleſiam Bellunenſem per triginta annos piiſſime adminiſtraſſet. Laudes ipſius & operum elenchum edidit Ughel. in Bellunenſ. Epiſcopis Tom. V. Italiæ Sacræ Venetæ Edit. col. 168. aliqua tamen ex ipſius opuſculis mss. prætermiſit, ut patet ex eo, quem Lollinus ipſe in Præfatione ad Poematium (*noctua* Inſcriptum) texuit indiculo ſuarum lucubrationum. Inter egregia ingenii ſui monumenta, enumerantur plurima, quæ in Cretenſium laudem cadunt, ſatisque indicant, in pio humaniſſimi viri animo dilectionem patriæ Inſulæ ex diuturnâ abſentia nullo modo imminutam fuiſſe. Inter hujusmodi opera, quæ Cretam reſpiciunt, *Apologeticum* eſt, quod appellavit Heneto-Creta, 207

ſeu *adverſus Coloniæ Cretenſis calumniatores*, Satyra, cujus titulum dixit: *Epimenides redivivus*: Epigrammata edita, quorum aliqua ſuperius attulimus, & alia varii metri carmina, ex quibus libet Elucubrationem de Creta Inſula quamvis typis vulgatam, iterum hoc loco ad Clariſſimi Scriptoris laudem exhibere; qui non remotam Turcarum in Cretenſi Regno irruptionem fatidico quodam vaticinio præſignificavit.

De Creta Inſula.

„ Salve juventæ chara o nutrix meæ
„ Superba centum Creta claris urbibus
„ Jovis tonantis inclyta incunabulis
„ Idæus alto mons cacumine inſerit
„ Aſtris te, agerque cultus, & vini ferax
„ Ignoſce, vini ſi excidit nomen mihi,
„ Neƈtar volebam dicere, aut ſi quid magis
„ Beat liquore lauta Divum prandia.
„ Ponti tyrannus tot bonorum gargera
„ Tibi invidere pergit, ut ſolet minax.
„ Cui jus in enſis cuſpide, atque conſili
„ Loco eſt voluntas fæva, visque bellica.
„ Qua ſtravit acer quidquid Ena face
„ Tyton reviſit, Nilus irrigat, freto
„ Euxinus ambit, Thrax arat, ſerunt Phriges,
„ Colunt Lacones Martis efferi truces
„ Miniſtri, & almæ Palladis cives, ſacris
„ Noti camænis, lumina heu quo verteris,
„ Videbis aƈtas ſub jugo gentes gravi
„ Olim beatas, nunc vetuſtæ gloriæ
„ Nil plane habentes, præter umbram nominis
„ Inanis, humanæque ſortis nobile
„ Exemplum, inertes excitans, ne idem velint
„ Pati, obtigiſſe quod propinquis viderint
„ Olim. Lacertis fortibus tibi eſt opus
„ Solertiaque impervia fallaciis
„ Fruſtrari ut hoſtis ſpem improbam, & dolum queas.

Anno

Anno 1627. Marcus Gradonicus Joannis Jacobi filius. 208
Quum eo Insulæ Metropolim regente facta fuerit universi Regni Cretensis descriptio, (ut notatum legi in Andreæ Cornelii Chronico) non abs re erit hoc loco numerum incolarum exhibere, qui eo tempore per diversa Insulæ loca commorabantur. Numerata itaque fuerunt.

In Urbe Candia Hominum mulierumque capita	num. 11474
In Candiæ Territorio ex utroque sexu capita	num. 71177
In Civitate Sithiæ ex viris fœminisque capita	num. 1537
In Sithiæ territorio Virorum mulierumque capita	num. 3275
In Oppido Jerapetræ ejusque territorio capita	num. 2687
In Urbe Rethimi capita	num. 7993
In Territorio Rethimi capita	num. 42937
In Urbe Cydoniæ seu Caneæ capita	num. 4340
In Cydonienſi Territorio capita	num. 46905

Omnia itaque virorum mulierumque Cretensium capita (quæ inter numerabantur sexaginta supra mille & centum ex Hebræorum natione) simul collecta æquabant numerum 192725.

Anno 1629. Lazarus Mocenicus Antonii filius, qui su- 209
premus Venetæ Classis Imperator ob præclaras victorias de Barbaris Reipublicæ hostibus relatas Eques primum in Senatu, mox in majoribus Comitiis Procurator enuntiatur die 1. Junii anni 1657. fortissimo viro emortualis, dum enim adversus Turcas strenue dimicat, eo ipso anno occubuit.

Anno 1631. Joannes Baptista Fusculus Francisci filius. 210

Anno 1634. Joannes Baptista Grimanus Antonii Equitis 211
& Procuratoris filius, dum Venetarum Triremium classis in sinu Adriatico præesset, in Majori Consilio Ducha Cretensis eligitur. Per omnes deinde dignitates militares ad supremum maris Imperium evectus bellica gloria clarus Procurator Sancti Marci enuntiatur anno 1647. die 24. Aprilis. Anno autem insequenti die 24. Martii, dum Turcicam classem in aquis prope Mitilenem persequitur fœda tempestate jactatus naufragio periit.

212 Anno 1635. Joannes de Ponte Aloysii filius.
213 Anno 1637. Paulus Donato Joannis Aloysii filius.
214 Anno 1639. Nicolaus Lippomano Bernardini filius.
215 Anno 1641. Bernardus Marcello Andreæ filius.
216 Anno 1644. Bernardus Maurocenus Franciſci filius, quo Inſulam régente bellum adverſus Venetos movit Heibrahimus hujus nominis primus Turcarum Imperator. Hic cum non ita pridem pacem cum Veneta Republica ſolemni jurejurando firmaſſet, ipſam paulo poſt fœdiſſime violavit, nullaque præ habita belli denuntiatione validiſſimam claſſem ad Cretæ oppugnationem immiſit, ſub ſpecie quidem vulciſcendi injuriam eam, quod Veneti in Cretenſi Regno Melitenſium equitum naves Turcarum prædis onuſtas amice recepiſſent, *revera* autem (ut de Romanis diximus ſcripſiſſe Florum) *ſola vincendi nobilem Inſulam cupiditate*, quæ & Conſtantinopoleos propugnaculum eſſet, & faciliorem præberet ad Siciliam Italiamque invadendam deinde trajectum. Ad hæc autem conſilia Heibrahimus deductus eſt, quod ei delatum eſſet, Inſulæ urbes arcesque a paucis, iisque imperitis militibus cuſtodiri, incolasque ipſos Venetorum Dominium ægre ferentes ſpem præbere, ſtatim ac Turcarum vexilla conſpicerent, ultro ſe in eorum fidem ceſſuros. Inſtructa itaque claſſis (Duce Juſufo elati animi viro, qui Heibrahimum Imperatorem contra Venetos accenderat,) ad Cretam Inſulam anno 1645. die 13. Junii juxta Promontorium olim Cadiſtum, nunc Capoſpada nuncupatum appulſa, ingentes militum copias, nullo arcente vim (erant enim cuſtodes oræ illius tantæ multitudini impares.) in litus eduxit, quæ primo impetu S. Theodori arcem in Leuce Inſula a Venetis, unde latius in mari proſpiceretur, ædificatam oppugnarunt. Arci præerat Blaſius Julianus Cohortis Dux natione Hiſter, qui ſolis triginta militibus, (quinque & ſexaginta numerat Gratianus in Hiſt. Veneta lib. IX.) ſtipatus oppugnationem validiſſimam ſtrenue ſuſtinuit, nonnullasque hoſtium triremes tormenti bellici ictibus in mare demerſit, cumque

ſe

ſe ad extrema redactum, tantisque viribus imparem eſſe cognoſceret, glorioſiſſimam mortem magis quam odibilem maluit ſervitutem. Conjecto itaque igne in cuniculis tormentario pulvere repletis, Turcarum catervas in patefactas arcis januas erumpentes incendio diſperſit, & ruinis oppreſſit, quibus & ipſe obrutus ad Cœlos evolavit vir æterna memoria, & laude meritiſſimus.

Fauſto triumphalis hujuſce initii omine inflati Turcæ deque majoribus fidentes victoriis ad obſidendam totis viribus Cydoniam evolarunt, quæ arcto militum numero munita, bellicisque apparatibus pene deſtituta, cum per unum & alterum menſem Antonii Navagerii Præfecti virtute formidabilis obſidionis ſuſtinuiſſet anguſtias, nullaque ſuppetiarum vicina ſpes eluceret, ad manus Barbarorum, honeſtiſſimis tamen pactis conditionibus, die XII. Auguſti ex ceſſione devenit. Enituit in ea propugnatione pietas & conſtantia Milani Bencii Epiſcopi, qui, ut ſuperius diximus, ſola Crucifixi imagine munitus inter graviora pericula, ut animum militibus Chriſtianis erigeret, augeretque, præſto erat, aſſiduisque hortationibus, ſpreto omni vitæ ſuæ diſcrimine, eos ut laudabilem mortem potius quam execrandam Barbarorum captivitatem ſubirent, excitabat. Ut autem omnis tuendæ civitatis ſpes evanuit, de illuſtriori gregis ſui portione ſollicitus ſacras Chriſti virgines e religioſis ſeptis eductas Venetias miſit, ne effrænatis victoribus devenirent ad ludibrium.

Illuſtri itaque Cydoniæ civitate occupata, anno inſequenti 1645. Juſufus cum accepiſſet Amphimalium arcem (a Suda vulgo nuncupatam) omni prorſus præſidio deſtitui, ſpe ipſius absque certamine occupandæ ductus nonnullas ex ſuis triremibus illuc miſit, ut ſi defenſores moram deditionis facerent, armorum vi expugnaretur. At ſtrenue eam propugnantibus Hieronymo Minoto, & Michaele Maripetro, Barbari Ducis conſilium ex Venetæ claſſis adventu irritum fuit. Quum autem inſequenti anno 1646. Juſufo enecto ſuffeciſſet Heibrahimus in navali imperio Muſſam, Cuſ-

ſeimo

ſeimo autem terreſtris exercitus curam demandaſſet, iſte tentata fruſtra Amphimalia, Chiſſamum parvum oppidum, XL. militibus, qui illud tuebantur, ad unum necatis, expugnavit. Mox cum Veneta claſſis ex Amphimalio ſinu excedere coacta fuiſſet, nova Turcarum obſidione arx Amphimalia circumvallatur, quæ etſi hoſtili foris impetu, gravique intus peſtilentia vexaretur, attamen bellica propugnatorum virtute numerum ſupplente, (ex mille enim militibus ad præſidium deſtinatis vix ducenti ſupererant) adeo conſtanter ſtetit, ut Cuſſeimus relicta exercitus parte ad continuandam obſidionem, reliquas copias Rethimum oppugnaturus deduxerit. Conſtanter reſtiterunt obſeſſi, ſed clade Venetorum, qui in ſubſidium urbis advenerant, perterriti dum improviſo pulveris ſulphurei incendio, ignem cuniculo ſibi ab hoſte ſubjici metuunt, præcipiti fuga e muris elapſi Barbaris locum ceſſerunt, ut propugnaculo potirentur, & turmatim in urbem irrumperent. Quum autem milites interim in arcem, quæ civitati præſidebat ſe recepiſſent, non diu poſt pari fato & ipſa in hoſtium poteſtatem devenit, oppidani enim a Turcarum furore ſibi metuentes, Venetum Magiſtratum obteſtati ſunt, ne diutius reſiſtentes victorum iram concitarent. Miſſi igitur fuerunt, fruſtra obnitente Joanne Franciſco Ornano Corſorum militum Duce, qui, ſtatutis cum Cuſſeimo conditionibus, arcem traderent.

217 Cretam interea appulit Dux Candiæ electus Cyprianus Civranus, qui ejus urbis bello & peſtilentia afflictæ regimen ſuſcepit anno 1646. Interea Amphimaliæ obſidio, quæ nihil remiſerat, per totam hyemem protracta eſt Hieronymi Donati virtute, qui eam licet tenui munitam præſidio ſtrenue ita propugnavit, ut quocumque Barbarorum conatus irritos redderet. Vario deinde Marte pluries pugnatum eſt, cumque Cuſſeimus copiarum multitudine redundaret, partem exercitus ad expugnandum Mirabellum oppidum non vulgare dimiſit, quas ut e conſpectu oppidi diſpoſitas aſpexerunt mili-

milites, qui præſidio erant, deditionem obtulerunt. Non ita militum manus ad Hierapytnam cuſtodiendam deſtinata; ſtrenue etenim, non ſemel repulſo a muris oſtium impetu, ſpem dederant protrahendæ, donec ſuppetias exciperent, obſidionis. At oppidani numero validiores cum extrema belli pericula trepidarent, expanſis ſeditioſe portis, barbaros in oppidum receperunt.

Poſt hæc Cuſſeimus univerſum exercitum, in quo triginta armatorum millia numerabantur, ex adverſo Candiæ conſtituit, diſpoſitisque contra muros & propugnacula bellicis tormentis urbis obſidionem aggreſſus eſt anno 1648. eo nempe, quo Jacobus Barbarus Joannis filius Candiæ Ducha re- 218
nuntiatus regiminis adminiſtrationem ſuſcepit, qui abſoluta nondum muneris periodo Proviſor in Regno Cretæ conſtitutus Hierapytnam oppidum e Turcarum poteſtate recepit, & ſolo æquavit, cumque Candiam repeteret a Turcis circumventus, dum fortiter dimicat, accepto vulnere occubuit. Ducha Cretæ Jacobi loco renuntiatur Lucas Franciſcus Barba- 219
rus ejusdem frater, & bellicæ virtutis æmulator, ad cujus gloriam cuſum viſitur numisma imaginem ipſius ex una, & Candiam civitatem Juſtitia, Prudentia, Fortitudine & Temperantia ſuffultam ex alia parte exhibens, quod per calcographum in ære inciſum ex adverſo hujus paginæ apponitur. Quum autem primo regiminis anno vix expleto Lucas Franciſcus, pro ea quæ præſtabat maritimæ rei peritia, ad Venetæ Claſſis Præfecturam evocatus fuiſſet, Cretæ adminiſtrationem Ducha renuntiatus ſuſcepit anno 1650. Jo- 220
ſeph Maurocenus Marci Antonii filius, ſub cujus regimine Cherſonelus, (ne ipſius præſidii cauſſa copiæ minuerentur ad propugnationem Candiæ) a Venetis diruitur. Interea cum Veneta claſſis inſignem de Turcica Deo favente retuliſſet victoriam, Cuſſeimus, ut omnem tumultuandi occaſionem in caſtris ſupprimeret, fiduciam ex induſtria ſimulans, equitum agmine e proximis collibus evocato, urbi appropinquat. Intromiſſus contra eum Georgius Cornelius Venetus e Cretenſi

tenſi Colonia Patritius, qui præclara pridem bellicæ virtutis præbuerat argumenta, cum prælium miſcuiſſet, Cuſſeimum igneæ baliſtæ ictu graviter vulneravit, ex quo Venetis victoria proceſſit. Exinde inter Venetos & Turcas levia ſolum nec frequentia certamina, quibus vario Marte tentatis, nihil Candiæ oppugnatio remiſit. Duchæ munus interea
221 Antonio Aloyſio Marcello Jacobi filio delatum fuit anno 1653 cui tamen alia dignitate diſtracto titulus reſervatur, donec officium, quo fungebatur, expleret, & interim deſtinatus fuit, qui vacantem regiminis ſedem occuparet Joannes Andreas Paſcalicus Jacobi filius. At iſte, ut erant ea tempora periculi & moleſtiæ plena, onus detrectavit, ad quod ſubeundum
222 renuntiatus eſt Ducha ejus loco Hieronymus Lippomanus.
223 Cretam deinde mittitur Ducha adlectus Candiæ Andreas Zenus Joannis filius, ſed ſponte ſua ſe ſubduxit, quapropter in exordiis anni inſequentis 1657. novus Ducha creatur ſu-
224 pralaudatus Georgius Cornelius Joannis filius, qui ob militarem rem egregie geſtam equeſtri ordine a Senatu pridem donatus fuerat; Viro huic morum integritate, & bellica virtute clariſſimo numisma cudi voluerunt Cives & milites Cretenſes, quod ad perennandam ipſius memoriam & laudem in ære inciſum profertur.

Poſtremos vitæ ſuæ annos in ſacra Capuccinorum familia, cui nomen dedit, piiſſime duxit, & clauſit.

Anno Chriſti 1659. qui erat Cretici belli decimusquin-
225 tus, Zacharias Mocenicus Candiam urbem Duchæ titulo ſu-
226 ſcepit adminiſtrandam, cui ſuffectus fuit anno 1663. Jacobus Lauredanus Bernardini filius. Huic non diu poſt munus recuſanti ſucceſſores renuntiati fuerunt anno 1664. alter ab altero Franciſcus Bragadenus Nicolai filius, & Jo. Paſcalicus Antonii filius, qui in iis belli anguſtiis ad Provinciam ſibi commiſſam accedere detrectarunt. Electus itaque fuit anno 1665.
227 Franciſcus Battalea vir ſumma animi magnanimitate præditus, qui expleto muneris ſui curſu dum improviſa militum eruptione Turcarum ſtationes intrepide turbat, eorumque

opera

opera disjicit ferreæ fistulæ globo ictus in prœlio occubuit anno 1668. Battaleæ succesſor fuit Jacobus Contarenus Fantini filius anno 1667. cujus militaris virtus in eo præcipue enituit, quod ea loca sibi propugnanda deligeret, in quibus plus esset periculi, & laboris. Validos igitur Barbarorum urbem invadere conantium impetus dum intrepide repellit, igneæ baliſtæ plumbea pila percussus, ne præsens vitæ discrimen subiret, brachium sibi amputari sustinuit. Inter hæc Noallius Dux, qui e Gallia suppetias a Rege oppugnatæ Candiæ destinatas deduxerat, Venetis Ducibus denuntiavit, se dies post paucos in Galliam reversurum. Eo Galli Ducis propositio exterriti Veneti, cum de ipso retinendo precibus & hortationibus nihil agerent, ad extremum Jacobus Contarenus Ducha resecto nuper brachio illustris, squallens, & atra veste coopertus longoque puerorum & fœminarum lugentium agmine stipatus ad Noallium accessit, per Divina omnia humanaque obsecrans ne infelicem urbem, quam suo adventu erexerat, mox ad pessimam omnium ruinam labi vellet. Verum nec prece vel lacrymis motus vela in Galliam fecit, cujus exemplum libenter sequutus Vincentius Rospiliosius Clementis IX. nepos ejusque auxiliorum in Cretam Dux Candia discessit, urbemque ad quam tuendam missus fuerat, in extremis angustiis deseruit. Uterque socordiæ suæ pœnas dedit: Noallius enim prohibitus a Ludovico Rege Parisios adire, relegatus est in Petricorios; Rospiliosius autem purpuram, quam patruus ei deferre decreverat, amisit. Candiam interea appulit Zacharias Mocenicus, is qui Duchæ munus laudatissime egerat, Venetiis missus, ut suppetias cum imperio deduceret profligatis Cretæ rebus opportunas quidem, at funesta necessitate minores. Quamobrem spe omni conservandæ civitatis præcisa, post diuturnam obsidionem, & plane miram defensorum constantiam Urbs Candiæ Nobilissimi Regni Metropolis anno 1669. die 26. Septembris honestissimis pactis conditionibus (pro quibus utrimque adimplendis obsides apud Turcas pro Venetis da-

ti fuerunt Fauſtinus a Ripa, Joannes Baptiſta Calbus, & Zacharias Mocenicus olim Candiæ Dux) in ſæviſſimas Barbarorum manus devenit cum ingenti totius Chriſtiani Orbis luctu, & incredibili Clementis IX. Sanctiſſimi Pontificis dolore, qui paulo poſt morbo, & mœrore confectus, amiſſa vita, ſatis oſtendit, ſe nemini conceſſiſſe, qui maximam ex tanto Reipublicæ Chriſtianæ infortunio moleſtiam cœpiſſet.

Hac ratione finis graviſſimo bello eſt impoſitus, quod per annos ferme XXV. inter Rempublicam Venetam & potentiſſimos Turcarum Imperatores exarſerat, non ſine magna Venetorum laude, qui immanibus ſæviſſimi hoſtis viribus retundendis diu adeo pares fuerunt, ſed non ſine inæſtimabili detrimento Venetæ atque adeo Chriſtianæ Reipublicæ, ſiquidem Regnum illud fortiſſimi propugnaculi loco erat contra ſævientes avidosque Turcarum conatus. Sed Dei Omnipotentis, in cujus ditione omnia ſunt poſita jura Regnorum, judicia adoranda ſunt, qui Barbaram nationem veluti flagellum movet ad corripiendos contumaces filios.

Belli hujus caſus varios, & præclariſſima Venetorum terra marique geſta per longum adeo tempus producta, Hiſtorici paſſim fere omnes, præſertim Veneti memoriæ prodiderunt. Inter eos eminent Joannes Gratianus in Hiſt. Venetis Latino ſermone concinnatis, & Andreas Valerius Senator, qui non mediocri volumine Italico idiomate eleganter exarato complexus eſt quidquid a primis belli motibus usque ad pacem cum Turca initam in Candiæ deditione, memoratu dignum accidit. Hos ſequuntur ex Italis Sertorius Anticanus, qui primas belli clades expoſuit in libro cui titulus: *Fragmenti Hiſtorici della Guerra di Candia*, *Bononiæ* 1647. Hieronymus Bruſonius, qui Belli Cretenſis ultimi Hiſtoriam Italice vulgavit Bononiæ 1679. & Franciſcus Fulvius Frugonus Ordinis Minimorum, in libro cui titulus: *Candia Anguſtiata*, Ven. edito. Ex externis vero Comes de Chaſtelemain, qui relationem ad Regem Angliæ habitam præſenti bello inter Venetos & Turcas, ideſt de Statu Can-

Candiæ Anglice ſcriptam vulgavit Londini *1666.* J. H. Glazemaher Candiæ obſidionis cruentæ Hiſtoriam Generalem Belgice deſcriptam edidit Amſtelod. *1671.* Antonius de Haes ſituationem Candiæ Inſulæ, & obſidionem Belgico idiomate in lucem protulit Amſtelod. *1669.* Hi omnes & nonnulli alii, qui Creticum hunc ultimum bellum ſeu Gallico, ſeu Germanico idiomate protulerunt, memorantur ab Alphonſo Laſor a Varea in *Orbe ſcriptorum calamo delineato* Tom. I. pag. 307. verbo Creta, ubi Scriptores enuntiat (non tamen antiquos, nec omnes) agentes de Creta. Indicatis itaque uberibus fontibus, ex quibus univerſa belli ſeries exponitur, exiſtimarem me profecto inutili opere laborare, ſi ab aliis ſcriptoribus eleganter accurateque edita, ipſe denuo enarrare ſuſciperem, præſertim cum Chronologicam hanc Ducum ſeriem mihi concinnandam ita propoſuerim, ut in iis tantum rebus immorarer, ex quibus occaſionem nanciſcerer proferendi ineditum aliquod documentum. Hoc enim in primis alte animo inſedit, ut ab injuriis temporum pretioſa hæc antiquitatis veſtigia præſervarem.

Digitized by Google

SUPPLEMENTA.

HAud modicum a veritate aberrare putabitur, qui in vasta rerum congerie tum propter longi ævi diuturnitatem, tum propter varias virorum series implicata, sibi suadeat posse (immani quamvis labori indulgeat) omnia congerere, quæ multis abditisque in locis dispersa inventu difficillima dignoscuntur. Id ego tam in Venetis, quam in Torcellanis Ecclesiis non semel expertus, novo argumento in Cretensibus rebus deprehendo; siquidem cum ad lucem, præli merito, tenue hoc Cretæ Sacræ opus appropinquaret, advenerunt in subsidium ornatumque operis ipsius Monachio Bavariæ Electoralis Metropoli (humanissimum Joannis Pauli de Gasperis viri in colligendis antiquarum rerum notitiis eximii munus) nomina aliqua Episcoporum, qui in Cretensis Insulæ Ecclesiis sederunt, aliaque itidem & Archiepiscoporum & Episcoporum nomina ex nonnullis, nec tamen omnibus summi meriti, libris prodierunt, ex quibus accuratæ Criticæ studio aliqua quidem in Antistitum serie adjicienda, alia vero penitus rejicienda probantur. Eapropter cum nefas esse duxerim, de iis quæ in re hac mihi innotescant, benevolum eruditumque Lectorem fraudare, consilium inii, ad absoluti Operis calcem quasi pro appendice (servato Ecclesiarum ordine,) additamenta hæc disponere, & exhibere.

Ad Archiepiscopatum Candiensem.

Præter eos quos superius enuntiavimus sive Græci, sive Latini ritus Archiepiscopos Candiæ, alios tres reperire datum est, qui a totidem scriptoribus Archiepiscopali Candiæ titulo insigniti leguntur. Primus horum est Simon, sive Simeon, qui a Vincentio Coronello Ord. Min. Conventualium olim Generali Ministro in Bibliothecæ Universalis Tomo VII., ubi de Candia agitur, renuntiatur Archiepiscopus Cretensis, &

ad

ad annum 1212. alligatur his verbis: *Gl' Arcivescovi di questa Metropolitica Chiesa* (Candiæ scilicet) *de quali abbiamo potuto avere notizia sono , il primo nel* 1212. *fu Simone*. Haud inverisimiliter autumo, virum diligentiæ potius quam labori parcentem Simonem hunc inter Cretenses Archiepiscopos adnumerasse ex æquivoco, siquidem anno 1212. die 12. Sept. (ut superius dixi Tom. II. pag. 222.) Simoni verius seu Simeoni Archiepiscopo Montis Sinai redditus in Cretensi Insula, dato diplomate, Petrus Zianus Dux Venetiarum constituit, seu potius confirmavit, ex quo fortasse factum est, ut a Coronello Simon statueretur Cretæ Archiepiscopus.

Secundus, quem reperi inter Archiepiscopos Cretæ perperam cooptatum, est Quirinus, quem Zabarella in opusculo, cui titulum præfixit. *Il Galba* pag. 68. Archiepiscopum Cretæ dicit: *Quirino fu Arcivescovo di Candia del* 1300. Quæ autem fides adhibenda sit scriptori in universis suis libris, (quos bene multos edidit) erroribus, mendaciis & fabulis redundanti, noverint omnes, qui ejusdem male coacervata scripta pervolverunt.

Tertius recentiori ævo in Candiensi Ecclesia sedisse innuitur a Joanne Mario Crescimbenio, in libro cui titulus: *Commentarj intorno alla sua Istoria della Volgar Poesia Tom. V. pag.* 198. ubi hæc habet:

„ Scipione Buonanni Folignate anch'esso, e celebre Giu-
„ reconsulto servì in Roma in qualità d'Auditore, Ottavia-
„ no Corsini Chierico di Camera, e Arcivescovo di Cre-
„ ta; e fu Segretario dell'Accademia degli Umoristi, ove
„ segnatamente orò nella morte del Guarini. Di lui si truo-
„ vano varj componimenti Poetici sparsi per le raccolte,
„ e morì in Roma a 17. Sett. l'anno 1618. “ Verum cum eorum temporum certa compertaque sit Archiepiscoporum series ex solis Venetis Nobilibus constans, nullo divinare facto possum, qua authoritate conjecturave ductus Crescimbenius Octavianum Corsinum inter Cretenses Archipræsules collocaverit.

Jure igitur meritoque hos tres assertos Candiæ Archiepiscopos e legitimorum serie Præsulum rejicio, ad Episcopos inde ejusdem Insulæ transiens, servato Ecclesiarum ordine, quem superius mihi constitui.

AD ECCLESIAM ARCADIÆ.

Georgius Alexander seu de Alexandris, cujus mentio prolata superius est Tom. II. pag. 131. Ecclesiæ Archadiensi præerat anno 1494. die enim 30. Martii ejusdem anni Dominicæ Resurrectioni sacra in Vaticana Principis Apostolorum Basilica inter Pontificiæ Missæ solemnia Evangelium Græco idiomate cecinit, idemque ibidem præstitit anno scilicet 1495. in diebus 20. Januar. & 25. Decemb. anno 1496. in solemniis Paschalibus, & in Natalitiis Apostolorum Petri & Pauli, anno 1497. tum in Paschali solemnitate, tum in diebus 28. Augusti, & 25. Decembris demum anno 1498. in Festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. Hæc omnia deprompta traduntur ex Ecclesiasticis Diariis Joannis Burchardi Argentinensis Episcopi Hortani & Civitatis Castellanæ, Capellæ Pontificiæ Ceremoniarum Magistri, & ex aliis Diariis Tom. V. VI. VII. & VIII. collectionis, quam ex Vaticanis codicibus exscribi fecit Onuphrius Panvinius, quamque Joanni Jacobo Comiti Fucher seu Fukari misit in XII. Tomos digestam, atque in Electorali Boiariæ Bibliotheca, nunc temporis asservatam.

Matthæus Episcopus Archadiensis, anno 1511. mense Aprilis Romæ juramentum obedientiæ præstitit, prout in Tom. X. superius enuntiatæ collectionis testatum reliquit Paris de Crassis Bononiensis in Romana Pontificia Capella Ceremoniarum Magister.

Post Matthæum inferendus esset inter Episcopos Archadiæ Franciscus Sirigo, si fides esset iis quæ affert Vincentius Coronellus in suo Atlante seu Insulario pag. 200. col. 2. num. 34. ubi hæc leguntur: *Arcadia essendo gia stata una delle*

Cit-

Città Veſcovali ſotto l' Arciveſcovo di Candia, credeſi, (neque enim ſcriptor ipſe certus eſt de re) *che l' ultimo ſuo Veſcovo foſſe Franceſco Sirigo circa il* 1550. *eſſendo poi ſtato ſoppreſſo queſto Veſcovado dal Pontefice Clemente VIII. nel* 1584. At ſicuti ex diplomate Clementis VIII. ſuperius allato pag. 132. comperimus Epiſcopatum Archadienſem ſuppreſſum fuiſſe anno 1604. ita ex eis quæ ſequuntur, alium addiſcimus Archadiæ ultimum Epiſcopum.

Loco ultimi Epiſcopi, quem Leonem ex Cornelii Chronico appellamus, reponendus eſt Benedictus Leo ſeu de Leonibus Ordinis Cruciferorum Rector olim Generalis in Philoſophicis & Theologicis ſtudiis doctiſſimus, qui in ſuo Epiſcopatu reſidens ibidem extremam diem clauſit, & in Cathedrali Eccleſia tumulatus fuit circa annum 1594. multis relictis ingenii ſui teſtimoniis, quæ inter liber eſt, cui titulus: *L' Origine e Fondazione dell' Ordine de Crociferi deſcritta dal Reverendiſs. Monſignor Benedetto Leoni Veſcovo di Arcadia in Venezia MDXCVIIII.*

AD ECCLESIAM MILOPOTAMENSEM.

Jacobus Epiſcopus Millipotenſis profertur in documento anni 1281. diei 15. Novembris, quod ex Archivo Monialium S. Mariæ de Valliviridi Diœceſis Torcellanæ Ordinis S. Benedicti, protulit Bonolus in additionibus ad Ughellum Tom. V. Venetæ Editionis col. 1389. Documentum ipſum retuli cum Jacobi Epiſcopi Millipotenſis nomine in Eccleſiis Torcellanis Illuſtratis Tom. X. Eccl. Ven. pag. 368. verum in Indice Generali nomen ipſum minus accurate prætermiſi, ex quo factum eſt, ut nullam de Jacobo ipſo mentionem ingererem in ſerie Epiſcoporum Milopotamenſium. Supplendum hoc loco eſſe cenſeo, etſi nomen Epiſcopatus aliquantulum (fortaſſe ex Amanuenſis inſcitia) diſcordet a communi appellatione; cum nullibi Millipotenſem Eccleſiam pro Milopotamenſi legerim.

Geor-

Digitized by Google

Georgius Epiſcopus Milopotamenſis interfuit anno 1498. die 25. Aprilis ſimul cum aliis tribus Epiſcopis ſolemni conſecrationi Cardinalis Dominici Grimani in Patriarcham Aquilejenſem. Anno autem inſequenti 1499. Georgius Epiſcopus extremum diem clauſit Romæ die 7. Octobris. Ita in Joannis Burchardi Argentinenſis Epiſcopi Hortani, & Civitatis Caſtellanæ Capellæ Pontificiæ Ceremoniarum Magiſtri, & aliorum Diar. Tom. VII. in Electorali Bibliotheca Ducis Bavariæ.

Nicolaus Stridonius ex Ordine Cruciferorum uti Epiſcopus Milopotamenſis in Candia enuntiatur ab Auguſtino Superbio Minorita Conventuali in libro, cui titulus: *Trionfo Glorioſo d'Eroi illuſtri di Venezia* pag. 142. ubi hæc habentur: *Nicolo Stridonio Crocifero Dottore Theologo. Fu il primo che leggeſſe in Greco nel Coleggio di Roma de Greci inſtituito da Gregorio XIII. Fu Veſcovo di Milopotamo in Candia, ove morì dalla peſte, e furono abbruggiati tutti li ſcritti ſuoi che erano coſe rare ſopra Platone.* Ex Aloyſio Contareno in ſuo Viridario pag. 498. addiſcimus floruiſſe Stridonium circa annum 1580. *Nicolo Stridonio Crocifero Veſcovo Melliporenſe nella Latina & Greca lingua dottiſſimo nel* 1580.

Octavianus Semiteculus dum Romæ pro Ordine ſuo Cruciferorum Procuratoris Generalis munere fungeretur, ad Eccleſiam Milopotamenſem a Clemente VIII. Pontifice aſſumitur anno 1502. ut in nota marginali innuit citatus Superbius pag. 143. hæc de Octaviano ſcribens: *Ottaviano Semitecolo Crocifero Theologo e Predicatore celebratiſſimo, mentre era in Roma Procuratore Generale della ſua Religione fu creato Veſcovo di Milopotamo da Clemente VIII. e morì in Conegliano di morte ſubitana, e fu ſepolto in San Martino groſſo Priorato e Parochia de ſuoi Padri Crociferi.* Hæc autem minime cohærere poſſunt cum citata Chronica nota marginali, ſiquidem Clem. VIII. Pontificatum iniit anno 1592. qui quidem annus ab authore notatus, fortaſſe ex Librariorum inſcitia corruptus fuit repoſito o pro 9. Aloyſius Contarenus in enuntiato Virida-

ridario pag. 498. ſcribit Octavianum floruiſſe anno 1488. *Ottaviano Semitecolo Crucifero Predicator unico & Teologo nel* 1588.

Aloyſius ſeu Ludovicus Bollanus ex ſupralaudato Cruciferorum Ordine ad Eccleſiam Milopotamenſem adminiſtrandam Epiſcopus inſtitutus fuit teſte citato Superbio pag. 138. qui hæc de Bollano profert: *Luigi Bollani Crocifero Dottore Theologo ſucceſſe nel Veſcovato di Milopotamo in Candia. Mori con predicamento di gran Santità.* De Aloyſio Bollano paucis verbis agit Aloyſius Contarenus in ſuo Viridario pag. 484. nulla habita de Epiſcopatu ejus mentione. *Alvigi Bollani Crucifero Filoſofo Theologo & d' alto intelletto* 1588.

AD ECCLESIAM CYDONIÆ.

Non abs re erit hoc loco quaſi nacta occaſione errorem detegere, quem protulit editor inſcriptionum Urbis Patavinæ a Jacobo Salomonio Ordinis Prædicatorum accurate collectarum: dum enim ad Eccleſiam Sanctæ Annæ epigraphes ſepulcrales exhibentur, inter eas notatam legimus inſcriptionem *Fratri Dionyſio Bollano Ordinis Prædicatorum &c.* quam ex marmore ipſo correctiorem attulimus ſuperius Tom. II. pag. 156. *Fratri* ſcilicet *Dominico Bollano Ordinis Prædicatorum &c.*

Ex eodem autem Inſcriptionum Patavinarum libro alium detegimus Epiſcopum Agienſem ſeu Cydonienſem Andream ſcilicet Corbellium, cujus mentionem agit Salomonius poſt inſcriptiones Urbis Patavinæ in appendice p. 591. ubi enim ad pagum MIRA nuncupatum devenit, epigraphen Familiæ Corbelliæ afferens, hæc addit in nota marginali: *Claruere ex ea* (Familia Corbellia) *Andreas Epiſcopus Cydoniæ, atque Benedictus, & Marcus Antonius Magni Cancel. Regni Cretæ, ille anno* 1613. *iſti anno* 1590. 1596. *circiter.* Hujus itaque notæ authoritate Andreas Corbellius reponendus erit in ſerie Agienſium ſeu Cydonienſium Epiſcoporum inter Dominicum Bollanum, & Georgium Perpignanum.

AD

AD ECCLESIAM JERAPETRENSEM.

Philippus Epiſcopus Monevaſienſis & Hierapetrenſis juramentum ſuum Romæ præſtitit die X. Octobris anno 1520. Ita Blaſium Baronium Martinellum Cæſenatenſem Pontificium Ceremoniarum Magiſtrum in Diariorum Tom. XII. notaſſe aſſeruit mihi ſcribens ſuperius laudatus Joannes Paulus de Gaſperis.

Noviſſimo loco emendationem proferendam cenſeo involuntarii erroris in quem impegiſſe me ultro fateor Tom. V. pag. 280. Eccleſ. Venet. Illuſtrat. & iterum Tom. VII. pag. 282. dum Agnelinum Epiſcopum Sudenſem nimis facile dixi Epiſcopum urbis Sudæ poſitæ in Creta Inſula, authoritati fidens illius ſcriptoris, qui Indicem Geographicum concinnavit Collectionis Conciliorum Labbei: enuntians enim ipſe Antonium Epiſcopum Sudenſem in Synodo Baſileenſi anno 1438. verbo Sudenſi *addit in Inſula Cretæ*; at nunc ab eruditiſſimo Lequienio edocti Epiſcopos Sudenſes addiſcimus Eccleſiæ Soltanienſis Archiepiſcopalis fuiſſe ſuffraganeos: ita enim ſcribit Tom. III. Orientis Chriſtiani col. 1379. *De Eccleſia Sudenſi ſive Sunenſi nihil aliud mihi occurrit, niſi hanc fuiſſe Eccleſiæ Soltanienſis aliquando ſuffraganeam, eique præfuiſſe nonnullos Latini ritus Epiſcopos*. Inter eos autem nec Antonium recenſet, qui in Synodo Baſileenſi ſedit, nec Agnellinum de quo mentio acta eſt in Eccl. Ven. Illuſtratis Tom. V. & VII. ſuperius citatis. Porro Eccleſiam Soltaniæ Metropolim, dictam olim Tigranocertam in Armenia Majori collocat Lequienius ex Geographorum, quos col. 1359. citat, authoritate.

Nec male hic cecidit, ut cum ejusdem eximii ſcriptoris aſſertis finem imponerem, cujus potiſſimum vel adaugendi vel illuſtrandi cauſſa, ſaltem quod pertinet ad Cretenſes Epiſcopos, manum huic Operi admovi.

FINIS.

Digitized by Google